3. 4. 160

Digitized by Google

Digitized by Google

9. ? . 160

TIARA
ET
PURPURA VENETA.

Digitized by Google

TIARA

ET

PURPURA VENETA

AB ANNO MCCCLXXIX. AD ANNUM MDCCLIX.

SERENISSIMÆ

REIPUBLICÆ VENETÆ

A

CIVITATE BRIXIÆ

DICATA.



BRIXIÆ

Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.

MDCCLXI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



SERENISSIMO

VENETORUM PRINCIPI

Civitas Brixiæ.

Præſtantiſſimi Civis Veſtri, & Patriæ ſuæ amantiſſimi incœptum jampridem Opus, nunc vero feliciter abſolutum, ſi non ad augendam, certe ad publicandam magis Venetæ Gentis gloriam, in lucem emittere decrevimus; quod etiam ut SERENITATI VESTRÆ *offerre, ejuſ-*

Digitized by Google

ejuſque Auguſto Nomini inſcribere liceat, pro noſtra erga Vos reverentia, & veneratione enixe rogamus, & pro Veſtra in nos Benignitate, ac Clementia impetraturos confidimus. Eminentiſſimus ſcilicet Auctor CARDINALIS QUIRINUS *hunc laborem ea præſertim mente ſuſcepit, ut oſtenderet, pleroſque Summos Pontifices plurimi ſemper feciſſe graviſſimum Senatum Veſtrum, ex cujus ſinu tot lectiſſimos Viros in Sacrum Collegium cooptarunt, utque inde iſtorum præcipue opera, conſilio, ac prudentia difficillimis temporibus rem Chriſtianam ſtetiſſe, & collapſam pene Eccleſiaſticam diſciplinam reſtitutam fuiſſe demonſtraret. Quod vero immortalis memoriæ Vir immatura, & ſemper nobis deflenda morte præreptus affectum tantummodo reliquerat, id nunc alterius Patritii Veſtri Joannis Hieronymi Gradonici C.R. ſtudio perfectum, ſicut nos eodem animo exhibemus, ita & eodem ſucceſſu ſub Veſtris Auſpiciis acceptum iri ſperamus. Paſſim nempe occurrunt Scriptores quamplurimi, qui res a Majoribus Veſtris ſeu bellica gloria inſignibus, ſeu civili prudentia claris domi, foriſque geſtas celebrarunt; nulla enim alia unquam* RESPUBLICA *Imperii diuturnitate, & libertatis integritate firmior, nulla ſanctioribus legibus & inſtitutis,*

ac

ac magnis exemplis ditior fuit. Nec defuerunt, qui poſteritati commendarent magna etiam, & innumera in Rempublicam Chriſtianam merita Veſtrorum Civium, qui illam vel ornarunt moribus, vel doctrina & ſcriptis emendarunt, aut defenderunt. Sed hæc ſparſim leguntur; quamobrem devotionis, & ſtudii erga Vos noſtri eſſe duximus horum Elogia juxta mentem Auctoris in unum collecta evulgare, ut conſpici facile, & ab omnibus ſuſpici poſſent. Verum & ſtimulos addidit ut hanc curam ſuſciperemus grati animi recordatio erga doctiſſimum Scriptorem de nobis optime meritum, ne ſcilicet ejus Opera auro contra comparanda aut negligi, aut in tenebris latere diutius pateremur. Cum enim ex legato Publicæ Bibliothecæ, qua non minus Veſtra clementia, quam ejus liberalitate donati ſumus, pleraque ejus Scripta in manus noſtras, veluti in ſacram cuſtodiam, pervenerint, immemores & ingrati plane ſimus, ſi, præclara hæc beneficia ſilentio tranſmittamus, & rei literariæ, quam ille juvare ſemper ſtuduit, egregia hæc Monumenta invideamus. Hoc igitur utcunque tenue nimis pro AMPLITUDINE VESTRA *ſit munus, certe a meliore animo proficiſci non potuit. Hinc*

SE-

SERENITATEM VESTRAM *oramus, ut qua ſolet Clementia, ac Benignitate illud excipiat, & perſuaſum habeat, nos ultra ea omnia quæ fidei, & ſacramenti titulo debemus, quaſcunque alias de Vobis benemerendi, & Majeſtatis, ac Dignitatis Veſtræ amplificandæ occaſiones ultro & conſtanter eſſe arrepturos.*



PRÆ-

PRÆFATIO.

EXPOSITURO mihi quibus de cauſſis adductus, quodve conſilium ſim ſecutus, ut hæc Venetorum Eccleſiæ univerſæ Pontificum & Cardinalium Elogia hactenus diſperſa, in unum veluti corpus colligerem, res altius repetenda.

Unus ſupra triceſimum jam agitur annus, ex quo Cardinalis Quirinus, vir ſummus atque immortalis memoriæ, cum Venetorum gloriæ majorum ſtudioſiſſimus, tum poſterorum profectus flagrantiſſimus in Aula majori ædium D. Marci Romæ, quas Summorum olim Pontificum habitatione celebres Pius IV. Venetæ dono dederat Reipublicæ, ſacros Civitatis non ſolum Venetiarum, verum etiam Ditionis Venetæ omnis faſtos, appoſitis tantum inſignium virorum nominibus exprimendos penicillo curaverat. Qua in re præſtanda non unum ſibi propoſuit Marcianarum ædium ſplendorem augendum, non unam prolatandam Veneti nominis gloriam, ſed civibus in primis ſuis ad ſplendida virtutis premenda veſtigia, ad quæ exemplis inflammamur movemurque magis quam verbis, accommodatiſſima incitamenta. Ad hæc impiger Cardinalis cum cogitaſſet eorundem nominum memorias Commentario hiſtorico illuſtrare, nobiliora tunc ſelegit, quæ Pontifices Maximos,

 mos,

mos, Romanæque Eccleſiæ Cardinales complectuntur, ipſo Veneto ſanguine natos. Exorſus eſt Opus a Ludovico Donato in ſacrum Cardinalium Collegium labente ſeculo XIV. adlecto, atque deductum ad Marcum Antonium Cardinalem Amulium qui LXX. ſupra MD. obiit anno, Romanis typis Antonii de Rubeis imprimendum juſſit anno Jubilæi MDCCL. hoc titulo inſcriptum, qui Præfationis loco totius rationem Operis repræſentat: *Tiara & Purpura Veneta Romæ ante annos viginti penicilli opificio adumbrata in Aula majori ædium Cardinalis Tit. S. Marci, appoſitis tantum nominibus Pontificum, & Cardinalium Venetorum, nunc iſtorum Elogiis ex Ciacconiano Opere depromptis, noviſque ad hæc Annotationibus in publicum prodit. Romæ Anno Jubilæi* MDCCL. *ex Typographia Antonii de Rubeis apud Pantheon.*

At luctuoſiſſima inter damna, quæ ob immaturum, improviſumque tanti Cardinalis interitum res ſacræ literæque omnes fecere, ultimum haud eſt exiſtimandum, quod Operi præclare inchoato extrema non acceſſerit manus, atque in tenebris, quoad vixit, Auctor contineri juſſerit.

Jam vero PETRUS ANDREAS EQUES CAPELLUS, qui litteratorum curas, in quibus & ipſe totam ferme exegit ætatem, ſplendidis licet Patriæ muneribus diſtractam, juvare nunquam deſtitit, Brixianæ hujus provinciæ regimen ante duos annos cum ſuſcepiſſet, me veteri uſus conſuetudine ſæpe ac ſæpius exhortabatur, QUIRINI ut Opus hoc abſolverem publicique facerem juris: Movebatur

batur autem ipſe & ardenti eo deſiderio quo me accenſum videbat Quiriniani nominis qualibet occaſione adoruandi, & operæ facilitate, cum ob alias cauſſas, tum maxime quia ex *Brixia Sacra*, quam paucis ab hinc annis in lucem emiſeram, quæcumque ad hanc rem conferre viderentur, veluti ex meo fundo transferre poſſem. Commemorabat præterea & Patriæ decus, & ſplendidiſſima ad virtutem incitamenta, Venetis viris uno veluti oculorum intuitu propoſita, quodque cum Eccleſiaſticæ tum litterariæ hiſtoriæ cultoribus præſtabatur adjumentum minime ſpernendum. Ita præclarus Vir putabat ipſe.

Ego contra conſilium etſi vehementer probarem, intelligeremque mihi honorificum quid contingere, negotii tamen difficultatem ſerio metitus, doctorum prudentiumque virorum reprehenſionem cum incurrere pertimeſcerem, me ei ferendo imparem reputabam, multaque dicebam, cur abirem excuſatus. Cogitabam enimvero ejus Operis Quirini cura elaborati præcipuam laudem in eo eſſe ponendam, quod ampla in illo ſit rerum novarum frequentia cum ob monumenta tum primum e tenebris eruta, tum ob perſpicax Scriptoris ingenium, quo ex ipſa rerum narratione nova quædam elicit ac veluti extundit. At ego quæ Operi perficiundo forent de meo addenda reſpondere illius pretio poſſe negabam. Ex altera quippe parte ſubſecutis temporibus illuſtrandis nihil prope novi ex Tabulariis expiſcari me poſ-

ſe noveram: ex altera vero, quantumvis nonnulla promenda occurrerent, illum tamen mihi non ſuppetere ſciebam ſtylum promtum, acutum, eloquentem, qualis in Quirino fuit, & quem in eo deſideres, cui abſolvendi Operis ſparta demandatur, ut integro volumine rem eccleſiaſticam atque litterariam juvare, deque eruditis benemereri poſſit.

Nihilo tamen minus provinciam hanc ut deprecarer, non ſolum ratione ulla CAPELLUS minime eſt paſſus, verum etiam eandem ut aggrederer nixus eſt conatu omni. Suaſiones adhibuit, ſuam exhibuit operam ad extrahenda e Bibliothecis ſiqua ſupereſſent rei noſtræ profutura monumenta, atque ad conquirendas viventium memorias. Itaque tanti Viri præclara cupientis, & oratione gravis & auctoritate, victus tandem ſuaſionibus, iter arripui, ſcrupeum licet ac difficile, nonnullius tamen utilitatis, noſtris potiſſimum civibus, qui domeſticis gaudere poſſunt & frui præclariſſimæ virtutis exemplis. Æque enim ad eos pertinet hæreditas gloriæ a majoribus hoc in Opere commemorandis partæ, ac præclara factorum imitatio. Hæc iis maxime præ oculis habenda eſt, qui ad Rempublicam acceſſere. Quotus enim quiſque erit, qui Opus iſtud perlegens ſingularem Veneti Senatus non admiretur gloriam, ex cujus ſinu, pietatis prudentiæque fonte, tot ab oculatis ſapientiſſimiſque univerſæ Eccleſiæ Hierarchis ad Chriſtianam excerpti ſint Rempublicam adminiſtrandam Heroes?

Totum

Totum hoc Volumen tres in partes dividam; quarum prima ipſum exhibebit Quirini Opus, quod in Cardinali deſinit Amulio, quo primæ parti Decadis III. finis imponitur: in altera vero Decades continuabimus, atque Auctoris methodum ſecuti, Elogia ex Ciacconiano dabimus fundo ad Joannem uſque Delphinum juniorem, qui ultimus eſt ex Venetis Cardinalibus a Ciacconio laudatis: reliquorum vero elogia a Petro Baſadonna ad Carolum Rezzonicum, quem Clemens XII. in Sacrum Cardinalium ordinem retulit, ſuppeditabit Marius Guarnaccius Ciacconiani Operis Continuator (a). Tertia tandem pars noſtra complectetur in univerſum Opus additamenta, quæ toti etiam Venetæ ditionis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ nonnullam afferent lucem: eaque hoc erunt ordine diſpoſita (b). Duorum in primis recenſebimus Summorum Pontificum res geſtas, Alexandri nempe VIII. & CLEMENTIS XIII., qui una cum tribus aliis ſub ipſum Operis initium recenſitis, quinarium complent numerum Venetorum Patriciorum ad ſummum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ faſtigium evectorum. Ut vero abſoluta in hanc diem Venetorum Cardinalium habeatur ſeries, Danielis Delphini, Caroli Rezzonici, Antonii Marini Priulii, & Sanctes Veronenſis, quorum primum Benedictus XIV., reliquos vero CLEMENS XIII. Cardinales crea-

(a) Pag. 303. Guarnacciano autem Operi Romæ edito anno 1751. eſt titulus: *Hiſtoriæ Pontificum Romanorum & S. R. Eccleſiæ Cardinalium*.

(b) Pag. 307.

creavit, paucis, utpote viventium, laudes perſtringemus (a). Gregorii deinde XII. Eugeniique IV. memoriam a Franciſci Bruji criminationibus vindicabimus (b). Noſtræ denique in univerſas Cardinalium Decades annotationes Operis finem facient (c). Has exordiemur a Cardinali Ludovico Donato, propterea quod in Ciacconiano Opere, quod Quirinus ſibi ſequendum conſtituerat, ex Venetis Cardinalibus ullum reperiri Donato antiquiorem certo non conſtet. Nolo tamen quiſquam exiſtimet neminem ex noſtris ante illum Cardinalitia dignitate decoratum fuiſſe. Quo enim tempore ſacer Cardinalium Senatus ad maximum novi eligendi Pontificis honorem elevatus eſt ob Alexandri III. ſtudium, qui tollendorum ſchiſmatum cauſſa, uni Sacro Collegio id honoris, ſecluſo inferiori clero, tribuit, tunc Veneta Reſpublica prolato in orientem maritimis expeditionibus Imperio, cum in occidentem ad vicinas objectaſque terras cœpiſſet curas ſuas extendere, præclaros quoque ſuis ex civibus in Sacrum Senatum cooptatos fuiſſe, ſunt e noſtratibus viri docti, qui vetuſtis innixi chartis ambigere nequeunt. Quam nos opinionem etſi probabilem prorſus reputamus, exemplis tamen confirmare hujus Operis non eſt atque inſtituti. Quo tamen in loco illud animadvertere non omittimus, nullum in Venetis Regeſtis detectum adhuc fuiſſe veſtigium, quo ante Seculi XIV. finem publicas pro ea re poſtulationes decretas fuiſſe conſtet. Prima enim hujuſce rei memoria

(a) Pag. 317. (b) Pag. 324. (c) Pag. 349.

moria anno 1379. aut 1381. in commemorati Ludovici Donati gratiam occurrit.

Eſt itaque nobis propoſitum colligere eos, quos ab eo tempore ad noſtram ætatem Cardinalitia dignitate ornatos fuiſſe certo ſcimus. Temporis rationes eorum aſſumtio dabit; reſque nonnullæ animadverſione dignæ, quæ Ciacconii, Quirini, Guarnacciique diligentiam effugerunt, præterea commemorabuntur. De iis vero qui adhuc ſuperſtites ſunt, cum diu quæſitæ ſerius ad nos delatæ ſint eorum notitiæ, nonnulla ex iis, quæ in Elogiis expreſſimus, partim retractare in novis annotationibus, partim vero copioſius exponere operæ pretium fuit.

Coronidis loco Operiſque ſplendori augendo Numiſmatum notitias exhibebimus, quæ in noſtrorum univerſæ Eccleſiæ Pontificum honorem cuſa ab Eugenio IV. incipient. Quod enim Gregorii XII. effigiem præſeferr, inter apocrypha, utpote recenti elaboratum manu, amandamus; cum inter doctiſſimos quoſque conveniat id moris ante Martinum V. minime obtinuiſſe. Quatuor quæ CLEMENTI XIII. feliciter regnanti obſignata in hanc diem fuere, noſtram claudent ſeriem; eaque ſæpius laudato Comiti Mazzuchello accepta referre debemus, quemadmodum priora Cl. Rodulphino Venuto, ex cujus Opere *Numiſmata Romanorum Pontificum præſtantiora* inſcripto ea decerpſimus (a).

Sapien-

(a) Romæ 1744. pag. 7. 23. 309.

Sapientiſſimi autem Septemviri, quorum auctoritate & prudentia urbana res geritur Patriæ nomine atque adminiſtratur, quique hanc editionem in Venetæ Gentis gloriam, & partim etiam in honorem Brixianæ Civitatis ceſſuram, ſummo ſtudio aggreſſi ſunt, id præcipue ſolemni Decreto Bibliothecæ Publicæ Curatoribus commendarunt, nequid etiam ab externo cultu, elegantiaque huic Operi deeſſet ornamenti. Iſtis vero obſequium ac diligentiam ſuam probare cupientibus, nullum aptius ornamenti genus, & gravitati argumenti conveniens magis, accommodatumque viſum eſt, quam ſi, quos Faſtus Card. Quirinus in Marcianis ædibus penicillo adumbrari juſſerat, eoſdem tabulis æneis incidi, & delineari ſubinde, atque exprimi curarent. Deerat exemplar, ſed hoc quoque in Bibliothecæ pluteis ſedulo excuſſis feliciter invento, collatoque cum alio penes laudatiſſimum EQUITEM CAPELLUM exiſtente, res adeo ſucceſſit, ut quatuor, quas ſubdimus, tabulæ repræſentari potuerint. Ultra tamen annum 1730. quo iſtæ deſinunt, excurrere, atque ad hæc tempora perducere ſumma religione, ac fide abſtinuerunt, ut Quirinianum Opus hoc in genere ſibi ipſi videretur ſufficere, & proprio ſuo, non adſcititio decore ornaretur. Sed erit fortaſſe, ut poſteriores quoque Faſtus eodem modo, altero Volumine publicentur. Interea nequid a nobis in præſens deſideretur, ejuſdem ſubnectimus expoſitionem.

Supra

Supra januarum veſtibula exprimuntur quatuor Ædium Marcianarum incrementa, ſcilicet,

I. *Humile admodum & anguſtum Titularis S. Marci domicilium Petrus Barbus Venetus ejuſdem Tit. Cardinalis in amplum erexit Palatium.* II. *Veteris Tituli, ac prioris domicilii caritate commonitus idem Barbus, creatus deinde Summus Pontifex, appellatuſque Paullus II. illud magnifice complevit, frequenterque inhabitavit.* III. *Hinc appellatum factumque Palatium Pontificium, addicta tamen Venetis Tit. S. Marci Cardinalibus nobili parte.* IV. *Pius IV. Venetæ dono dat Reipublicæ, per plures tamen annos Pontificia majeſtate illud inhabitare non dedignata.*

Quæ vero Faſtis exprimuntur, hæc ſunt,

Stemmata & nomina quatuor Pontificum Venetorum, nempe Gregorii XII. Eugenii IV. Paulli II. Alexandri VIII. & unius Tarviſini, nempe Benedicti XI., atque unius Cremenſis Antipapæ, Paſchalis nempe III.

Nomina Venetorum Cardinalium quinquagintaquinque, Patavinorum ſeptem, Brixianorum quinque, Bergomatum duo, Forojulienſium octo, Veronenſium quatuor, Cremenſium duo.

Nomina Patriarcharum Venetorum viginti quatuor, & Auditorum S. R. R. duodecim.

Memoria trium Venetorum Sanctorum Faſtis adſcriptorum.

Venetorum quinque Principum, qui abdicato Imperio vitam profeſſi ſunt Monaſticam.

Bellorum per Venetos adverſus Infideles, & Pontificis Romani hoſtes geſtorum; ſcilicet, duplex in Longobardos flagrantibus Romanis Pontificibus expeditio, qua Venetæ Reipublicæ primordia decoravit Ravenna a Barbarorum jugo liberata.

Veneta virtus adverſus Saracenos, quæ quatuor vicibus enituit, nec quievit donec Fidei hoſtes toto mari depulſi Italicas oras vexare amplius non ſint auſi.

In Syriaco bello, Urbano II. auctore, ad recuperanda Loca Sacra indicto innumera virtutis ac pietatis argumenta per 200. *ferme annos Veneti edidere.*

Otthone Friderici Imperatoris filio a Venetis victo capto-

**

ptoque, Fridericus Venetiis Pontificem Maximum Alexandrum III. ſupplex adorat, unde Pontifici dignitas Veneti Senatus beneficio reſtituta.

Deprecante Innocentio III. Veneti Byzantium adoriuntur, belloque quinquaginta & octo annos feliciter geſto, Imperium Græcum una cum Gallis tenuere, primuſque e Latinis ad Patriarchalem illam Sedem per S. P. evectus eſt Thomas Maurocenus.

Veneti non tam ſuo, quam totius Chriſtiani Orbis periculo moniti irrequietis bellis adverſus Turcas inſurgunt, magnis ſemper animis, ita ut vel ipſæ calamitates in eorum virtutis argumentum ceſſerint.

Unumquemque Factum metricis Quirinus expreſſerat Inſcriptionibus: binas ſubnectimus:

In Operis fronte:

Heroas genuiſſe ſacros quos videris intus
Urbem nil mirum quam poſuere Dii.

Ad Tiaram et Purpuram Venetam:

Qui præclara cupis cognoſcere geſta Virorum
Quorum dumtaxat nomina picta vides,
Grandia Ciaconi ſcrutare volumina: diſces
Quanta inſit Venetis gloria, quantus honor.

Accommodatiſſimo tandem S. Bernardi in Epiſtola ad Eugenium III. monitu, quo Quirinus Iconographiam concluſerat, noſtram & ipſi Præfationem abſolvimus: *Quantorum... Cardinalium, & Præſulum mortem tuis oculis aſpexiſti! Ipſi te Prædeceſſores tui tuæ certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus tranſeuntia gloriæ blandimenta memorare noviſſima tua; quia quibus ſucceſſiſti in Sedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.*

SE-

S E R I E S

ROMANORUM PONTIFICUM VENETORUM.

GREGORIUS XII.
Anno MCCCCVI.

EUGENIUS IV.
Anno MCCCCXXXI.

PAULLUS II.
Anno MCCCCLXIV.

ALEXANDER VIII.
Anno MDCLXXXIV.

CLEMENS XIII.
Anno MDCCLVIII.

S E R I E S

CARDINALIUM VENETORUM.

LUDOVICUS DONATUS
Anno MCCCLXXIX.

ANGELUS CORARIUS
Anno MCCCCIV.

ANTONIUS CORARIUS
Anno MCCCCVII.

ANGELUS BARBADICUS
Anno MCCCCVII.

GABRIEL CONDULMERIUS
Anno MCCCCVI.

PETRUS MAUROCENUS
Anno MCCCCXXIV.

FRANCISCUS LANDUS
Anno MCCCCXXVII.

PETRUS BARBUS
Anno MCCCCXL.

FRANCISC. CONDULMERIUS
Anno MCCCCLIII.

MARCUS BARBUS
Anno MCCCCLXVII.

BAPTISTA ZENUS
Anno MCCCCLXVIII.

JOANNES MICHAELIUS
Anno MCCCCLXVIII.

PETRUS FUSCARUS
Anno MCCCCLXXV.

GERARDUS MAFFÆUS
Anno MCCCCLXXIX.

HERMOLAUS BARBARUS
Anno MCCCCLXXXXI.

DOMINICUS GRIMANUS
Anno MCCCCLXXXXIII.

MARCUS CORNELIUS
Anno MD.

PETRUS CIERA
Anno MDI.

FRANCISCUS ARGENTINUS
Anno MDV.

FRANCISCUS PISANUS
Anno MDXIII.

PETRUS QUIRINUS

MARINUS GRIMANUS
Anno MDXXVII.

FRANCISCUS CORNELIUS
Anno MDXXVII.

GASPAR CONTARENUS
Anno MDXXXIV.

PETRUS BEMBUS
Anno MDXXXIX.

ANDREAS CORNELIUS
Anno MDXLIV.

ALOY-

Digitized by Google

ALOYSIUS CORNELIUS
Anno MDLI.

MARCUS ANTONIUS AMULIUS
Anno MDLXI.

BERNARDUS NAVAGERIUS
Anno MDLXI.

ALOYSIUS PISANUS
Anno MDLXV.

JO: FRANC. COMMENDONUS
Anno MDLXV.

AUGUSTINUS VALERIUS
Anno MDLXXXIII.

FEDERICUS CORNELIUS Senior
Anno MDLXXXV.

JO: FRANCISC. MAUROCENUS
Anno MDLXXXVIII.

LAURENTIUS PRIULIUS
Anno MDLXXXXVI.

JOANNES DELPHINUS Senior
Anno MDCIV.

FRANCISCUS VENDRAMENUS
Anno MDCXVI.

MATTHÆUS PRIULIUS
Anno MDCXVI.

PETRUS VALERIUS
Anno MDCXXI.

FEDERICUS CORNELIUS Junior
Anno MDCXXVI.

MARCUS ANT. BRAGADENUS
Anno MDCXXXXI.

CHRISTOPHORUS VIDMANUS
Anno MDCXXXXVII.

PETRUS OTTHOBONUS
Anno MDCLII.

GREGORIUS BARBADICUS.
Anno MDCLX.

JOANNES DELPHINUS Junior
Anno MDCLXVII.

PETRUS BASADONNA
Anno MDCLXXIII.

MARCUS ANT. FR. BARBADICUS
Anno MDCLXXXVI.

PETRUS OTTHOBONUS
Anno MDCLXXXIX.

JO: BAPTISTA RUBINUS
Anno MDCLXXXX.

GEORGIUS CORNELIUS
Anno MDCLXXXXVII.

VINCENTIUS GRIMANUS
Anno MDCLXXXXVII.

DANIEL MARCUS DELPHINUS
Anno MDCIC.

JOANNES BADUARIUS
Anno MDCCVI.

PETRUS PRIULIUS
Anno MDCCVI.

ALOYSIUS PRIULIUS
Anno MDCCXII.

JO. FRANCISCUS BARBADICUS
Anno MDCCXX.

ANGELUS MARIA QUIRINUS
Anno MDCCXXVII.

CAROLUS REZZONICUS
Anno MDCCXXXVII.

DANIEL DELPHINUS
Anno MDCCXLVII.


CAROLUS REZZONICUS
Anno MDCCLVIII.

ANTON. MARINUS PRIULIUS
Anno MDCCLVIII.

SANCTES VERONENSIUS
Anno MDCCLIX.

GRE-

Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google

Pag 1.


T II



PATRIARC HE
Phil. de Prata A. 1378
Iacobinus A. 1408
Pancerio A. 1411.
Aleander A. 1519
Turrian A. 1581
Mantica A. 1506
Colored. A. 1686
Porzia A. 1728
Aloysius Sagredo A. 1678
Ioannes Baduarius A. 1676
Petrus Barbadicus A. 1706
Marcus Gradonicus A. 1725
Petr de Bona A. 1161
Cataneus A. 1484
Henr Noris A. 1695



Digitized by Google

Digitized by Google


Pag. 1
Petrus Barbus
ANG. M. TIT S MARC. CARD QUIRINUS
MARC CARD QVIRINVS.
Odo
A. 1510
De S. Scala
A 1621.
Iul. Longus
A. 1294



GREGORIUS XII.

Pernicioſo ſchiſmate in Dei Eccleſia invaleſcente, Innocentio VII. ea lege jurejurando firmata XIII. Cardinalium ſuffragiis, Romæ in Palatio Vaticano pridie Kalendas Decembris, anno 1406. ſuffectus eſt GREGORIUS Duodecimus, ut primo quoque tempore Pontificatu ſe abdicaret, ſi idem, Benedictus XIII. quemadmodum ſe facturum juraverat, præſtitiſſet; ita ut magis procurator ad deponendum Pontificatum, quam Pontifex factus exiſtimaretur. Natus is erat Venetiis ex gente patritia Coraria, ANGELUS CORARIUS ante Pontificatum vocatus. Qui ab ineunte adoleſcentia pietatis ſtudiis deditus eximius ſacræ Theologiæ Magiſter evaſerat: eum

Digitized by Google

Bonifacius IX. ex Epiſcopo Caſtellano, Patriarcham Conſtantinopolitanum titulo tenus, cum Chalcidenſis Sacerdotii in Græcia commendatione creavit. Ab Innocentio VII. cujus ante Pontificatum familiariſſimus fuit, Referendarius aſsiſtens, Piceni Præfectus, & abſens Presbyter Cardinalis Titulo S. Marci, eadem Picena Legatione prorogata, deſignatur. Romam veniens, ita vitæ integritate, doctrina, & morum majeſtate emicuit, ut Innocentio mortuo, octuagenario major, is potiſsimum delectus ex omni Cardinalium Collegio ſit, qui teterrimo ſchiſmate ſublato, pacem Eccleſiæ reſtitueret, Pontificatus, quem ad id ſuſceperat, abdicatione.

Sanctus Antoninus part. tertia Hiſtor. GREGORIUM nominat *Virum a pueritia magnæ ſanctimoniæ, & ſapientiæ quaſi agnum innocentem, & ſine felle columbam, Virum ſanctum, qui Eccleſiæ unionem, & reformationem ſemper optaverat*. De ejus autem abdicatione hæc habet: *GREGORIUS Vir ſanctus, utpote qui Eccleſiæ & unionem & reformationem ſemper optaverat, per Carolum Malateſtam procuratorem ad hoc ſuum omni juri ſuo, quod in Papatu haberet, renunciavit ſolemniter: qua abdicatione recepta cum magna jucunditate, Patres nihilominus venerandum illum, & omni laude digniſſimum antiquum dierum, ex GREGORIO Angelum, ad ſuum primum nomen reverſum, Legatum inſtituerunt in Picentibus conſiſtentem*.

Peracta fuit ea abdicatio anno Domini 1415. in Synodo Generali Conſtantienſi, hæcque decrevit fore eum ſemper Epiſcopum Cardinalem ſub titulo per

per eandem Synodum, vel futurum Romanum Pontificem declarando, quem fuiſſe Portuenſem Niemus, Tuſculanum Onuphrius ait, itaut Secundus poſt Romanum Pontificem dignitate & ordine haberetur. Inſuper perpetuum creavit Legatum Piceni, ſive Marchiæ Anconitanæ, & alias largita eſt gratias, & conceſſiones, quas videre eſt in Conſtitutione ea de re edita.

Mortuus eſt octogenarius, ſeu nonagenarius, (nam ex S. Antonino ſeptuagenarius Pontificatum accepit) poſt biennium, paulo ante Martini III. alias V. creationem, anno ſcilicet 1417. & ſepultus in Eccleſia principe Urbis Recineti. Marmoreo tumulo elogium hoc appoſitum fuit.

Maximus Eccleſiæ Princeps, ſummuſque Monarcha
Ordine GREGORIUS bis ſenus clauditur arca.
Hic pro pace datus, celeſti munere ſemper
Fervuit æthereos ſuperis munire decenter.
Archiſchiſma malum, facta hæc dementia Piſis
Ipſe prius relevat, facta eſt Conſtantia teſtis,
Cardine bis ſacro paſtoris conſcia Sede
Marchia ſuſcepit Recanati Flavius æde.


Hujus Pontificis Sepulchrum anno noſtræ Salutis 1623. ob conſtructionem pulpiti muſici ab Eminentiſſimo Cardinali Roma illius Urbis Epiſcopo cum deſtrueretur, cadaver habitu Pontificio adhuc ſarto ornatum, maxima omnium admiratione integrum fuiſſe, ex illis, qui propriis oculis illud aſpexerunt, habemus. Tanta hujus Viri pietas fuit, ut S. Antoninus, dum eorum vitas proſequitur, qui Sanctitatis

opinionem reliquerunt, ipſum haud dubie, propter ſummam in adverſis conſtantiam D. Stephano Martyri comparet.

Anno 1408. GREGORIUS Lucæ exiſtens, nonis Aprilis confirmavit Religioſum Ordinem, ſeu Congregationem Canonicorum Regularium S. Salvatoris Silvæ lacus prope Senas paulo ante, a Stephano Senenſi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini inſtitutum, qui mutato habitu auctoritate Pontificis Canonicus Regularis effectus eſt. Sic autem dicta eſt hæc Congregatio ab Eccleſia S. Salvatori dicata in Silva Ilicum ad Lacum Civitati Senenſi vicina: quæ poſtea a vulgo Scopetinorum dicta eſt ab unione Eccleſiæ S. Donati de Scopeto Florentiæ ſitæ, quam Martinus V. prædictæ S. Salvatoris univit.

Idem Pontifex Lucæ quoque Idibus Maji Conſtitutionem edidit de Reformatione Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti, & Abbatem Monaſterii S. Juſtinæ Patavienſis Ludovicum Barbum Patricium Venetum, tunc Præfecturam agentem Congregationis Canonicorum S. Georgii in Alga conſtituit; qui collapſum pene Ordinem S. Benedicti in Italia ad antiquum Religionis decus reduxit. Unde exorta eſt celebris Congregatio S. Juſtinæ, alias Caſinenſis dicta a Monte Caſino, ubi maxime viget. Hoc idem Patavinum S. Juſtinæ Cœnobium Gregorius Monaſticæ vitæ formam excitaturus tradiderat jam Olivetanis, edito Diplomate reſcripto in hiſtoria Olivetana a Secundo Lancellotto. Confirmavit etiam Inſtitutionem Canonicorum ſecularium S. Georgii in Alga Venetiarum.

EU-



EUGENIUS IV.

ANno Domini MCDXXXI. VII. Kalendas Martii, die obitus Papæ Martini V. Novemdialia celebrari ſunt cæpta; & Kalendis Martii, Miſſa Spiritus Sancti ab Epiſcopo Albano cantata, Cardinales XIV., qui tunc in Urbe erant, Conclave ingreſſi ſunt, paratum in Sacrario S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum: fuit ſepta platea ſuper Minervam uſque ad Plateam Rotundæ: Sabbato igitur 5. Nonas Martii, tertio Conclavis ingreſſus die: omnium Cardinalium ſuffragiis habito ſcrutinio, electus eſt in Romanum Pontificem D. GABRIEL CONDOLMERIUS Venetus, Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis, Senenſis vulgo vocatus, qui EUGENIUS PAPA IV.

ap-

Digitized by Google

appellatus eſt. Hic Venetiis honeſta familia populari, ſed antiqua anno 1383. ortus eſt, quæ poſtea, ipſo Pontifice renunciato, patritiatum obtinuit. Patrem Angelum habuit; adoleſcens, parentibus mortuis, Evangelii non ſurdus auditor patrimonium, quod ab illis non tenue acceperat, inter Chriſti pauperes diſtribuit, & ſocio Antonio Corario, ejuſdem fervoris adoleſcente, Ordinem Religioſorum hominum, Canonicorum ſecularium, in Monaſterio S. Georgii in Alga Venetiarum, cui ipſimet initium dederant, profeſſus; in eo ſumma cum laude, multis annis moratus eſt, & tamdiu una ſanctiſſime vixerunt, donec Angelus Corarius, Gregorius XII. vocatus, Petri ſedem obtinuit. Et cum alter ab altero ſeparari non poſſet, ambos ad ſe Pontifex vocans; illum quidem, Antonium ſcilicet, Bononienſi, GABRIELEM vero Senenſi Eccleſiis præfecit. Recuſarunt aliquandiu Senenſes GABRIELEM ſuſcipere Epiſcopum, quod dicerent, hominem alibi natum, nequaquam in tanto Magiſtratu civibus Senenſibus præficiendum; eam curam deberi alicui civi, qui mores hominum, & ritus civitatis noſſet. Sed vicit Pontificis auctoritas, qui haud longe poſt, geminatis honoribus, Antonium Camerarium ſuum, & GABRIELEM Cameræ Clericum, Theſaurariumque dixit. Nec diu moratus invito Collegio, utrique Purpuræ honore collato, in Patrum numerum legit, Antonium tituli S. Chryſogoni, GABRIELEM S. Clementis Presbyterum creans; in quo Ordine ambo diu claruerunt. Verum GABRIEL Pontifex Maximus poſtea renunciatus magis enituit. Ejus opera in magnis rebus Martinus V. uſus

uſus eſt, maxime vero in Legatione Piceni, qua & Picentes in fide Eccleſiæ confirmavit, ſumpto de quibuſdam ſeditioſis, & conjuratis ſupplicio; & templum S. Agnetis Anconæ dirutum, portumque ejuſdem Civitatis magna impenſa reſtituit, fluctibus quaſſatum, & vetuſtate conſumptum. At vero cum Martinus intellexiſſet, Bononienſes rebus novis ſtudere, eo e Piceno GABRIELEM Legatum miſit, qui ſuo adventu ſeditionem omnem ſuſtulit. Qui Romam inde veniens, mortuo haud multo poſt Martino V. e XIV. Cardinalibus, qui tunc in Conclavi apud Minervam aderant, Pontifex creatur in Sacrario, aut ſacro Veſtiario.

Anno 1433. ultima die Maji Sigiſmundus Rex Romanorum ab EUGENIO Papa Imperator corona aurea redimitus fuit. At poſt annum conclamata a populo Romano libertate, pulſiſque Pontificis Magiſtratibus, noviſque creatis, ac demum Capitolio occupato, EUGENIUS in tanta rerum perturbatione, incertus quid potiſſimum faceret, de fuga cogitare cæpit. Anno igitur 1434. die 3. Julii e Palatio ſuo, Tranſtyberino lintre vectus, mutato habitu, ſumptoque Monaſtico cucullo, una cum Arſenio Monacho S. Pauli navigans ad oſtia Tiberina pervenit. Per quatuor tantum menſes poteſtatem illam Romani retinuerunt, nam quinto in EUGENII poteſtatem veniunt, creatique ſunt Magiſtratus Eccleſiæ nomine.

EUGENIUS ad tollendum Concilium Baſileenſe converſus, illud ex Baſilea Bononiam tranſtulit, Cardinalium omnium, qui ſecum aderant, conſenſu; ſed Imperator, aliique Principes & Prælati, qui tunc Ba-

Baſileæ erant, non modo Pontifici non obtemperarunt, verum etiam eum bis terque monuerunt, ut Baſileam, idoneum a Martino celebrandi Concilii locum delectum, una cum Cardinalibus proficiſceretur, aliter ſe in eum acturos, ut in prævaricatorem & contumacem. Motus iſtis verbis EUGENIUS Baſileenſe Concilium literis etiam Apoſtolicis confirmavit, facta unicuique eundi ad Concilium poteſtate. Adeo enim bellis undique vexabatur, ut vix ei reſpirandi facultas daretur.

EUGENIUS bello feliciter confecto adverſus Columnenſes & Sabellos per Joannem Vitelleſcum Cornetanum, Patriarcham Alexandrinum, & Epiſcopum Recanatenſem, Florentiæ abſens, conſecrata prius, vel dedicata Florentinorum Cathedrali Eccleſia, Bononiam eſt profectus, & arcem ædificat ad eam Portam, qua Ferrariam itur, & ædes in ſitu poſitas, ubi Legatus nunc reſidet, muro prælato & lato a tergo potiſſimum & turribus firmat. Anno vero ſequenti publico Conſiſtorio Baſileenſe Concilium, quod ante approbaverat, Ferrariam transfert, quod diceret Græcos cum Eccleſia Romana in fide conventuros eundem locum ſibi delegiſſe. Inſtabant tunc Concilii Baſileenſis præſides, & precibus & pollicitationibus Græcos adhortabantur, ut omiſſo EUGENIO ad ſe proficiſcerentur. Neque hoc contenti, abrogaturos ſe EUGENIUM, prædicabant, niſi ipſe quoque eo proficiſceretur. Suſtitit aliquandiu EUGENIUS animi dubius, quid potiſſimum decerneret, miſſo tamen eo Legato Jo. Franciſco Capiteliſta, jureconſulto, Patavinoque equite, qui ejus cauſſam tueretur.

An-

Anno Domini 1435. die 12. Auguſti pax inter Papam, Ducem Mediolani, Venetos, Florentinos, & Genuenſes, quæ die 17. Auguſti publicata eſt Romæ. Eodem anno 27. Martii capti & torti fuere cives quidam Romani potentes, qui ſecreto conjurarant adverſus EUGENIUM Pontificem de eo deturbando e dominio Urbis, & multis civibus opulentis deprædandis, & aliis occidendis, ſed conjuratione detecta, & illorum confeſſione tormentis patefacta, duo illorum, Blaſius a Colico regionis Treji, & Cola Martinus patibulo fuere ſuſpenſi, die Martis 29. Martii, & filius Pauli Muti ad ſcalas Capitolinas capite truncatus particeps ejuſdem Conjurationis repertus, eodem die, quo captus fuit, Sabbatho Sancto 16. Aprilis ejuſdem anni 1435.

EUGENIUS autem duas Eccleſias jampridem diſſidentes, in unum redigere cupiens, Ferrariæ Concilium celebrare cœpit una cum Imperatore Graecorum, & Patriarcha Conſtantinopolitano. Sedente Imperatore condigna ſede, aliiſque Græcis e regione Pontificis: primo quæſitum eſt, vellent ne tam Latini, quam Græci, ex duabus Eccleſiis jampridem diſſidentibus unam fieri? Ad quam vocem omnes ſucclamarunt, placere & velle, modo rationibus illa prius confutarentur, quæ tantæ diſcordiæ cauſſa fuerant. Diſputabatur quotidie ea de re ab his, qui tum a Græcis, tum a Latinis delecti ad tantam rem fuerant. Verum cum peſtis Ferrariæ inoleviſſet, eodemque in loco non ſine magna incommoditate permaneretur, Florentiam transferre Concilium placuit.

Verum eo dementiæ Concilium Baſileenſe devenit, ut, abrogato EUGENIO, Amadeum tum Sabaudiæ Ducem, qui eremiticam vitam ad Ripaliam cum quibuſdam Nobilibus ducebat, Pontificem crearent, Felicemque appellarent. Hinc magnæ ſeditiones in Eccleſia Dei exortæ ſunt, quum Chriſtiana Reſpublica trifariam diviſa, aut Felicem, aut EUGENIUM ſequeretur, eſſentque qui neutrales vocarentur, quod neutris obtemperarent. EUGENIUS tamen haud animo concidit, nam habito ſæpius conventu, diſcuſſa Græcorum & Latinorum contentione, tandem eo ventum eſt, ut Græci rationibus victi, faterentur, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, non a Patre tantum, ut ipſi credebant, provenire, utque in azimo pane Corpus Chriſti conſecraretur, ac Purgatorii locum eſſe crederent; poſtremo vero, ut faterentur Romanum Pontificem, verum Chriſti Vicarium, Petrique legitimum ſucceſſorem, primum in Orbe locum tenere, cui & Orientalis, & Occidentalis Eccleſia merito pareret. Abeuntibus autem Græcis, re hoc modo compoſita, Armenii etiam cum Fide noſtra convenere ſublatis crebris erroribus, promulgatiſque EUGENII literis ſuper ea re, quæ rationem concordiæ oſtenderent. Præterea vero ut partes ſuas augendo, Baſileenſe Concilium infirmaret, eodem tempore, Conſiſtorio publico decem & octo Cardinales creavit. Quorum de numero duo Græci, Ruthenus, & Nicænus, ut eorum auctoritate Græcorum Natio in Fide contineretur. Exitus tamen iſtius Concordiæ biennii mora conciliatæ, tandem vitiatus eſt; & iterum Græci ad

vo-

vomitum reverſi, recuſante Marco Epheſio Metropolita concordatis ſubſcribere, & denuo concertationes Conſtantinopoli renovatæ. At EUGENIUS pridie nonas Julii anno 1439. ad omnes Chriſtianos literas miſit de Latinorum, Græcorumque concordia, & conſenſione, dignas profecto, quæ legantur a piis, & Orthodoxis hominibus.

EUGENIUS quamvis Florentinis quoquo modo eum retinere annixis, Romam veniens die 21. Septembris, Sabbatho hora 12. anno 1443. ad Portam Flaminiam, effuſa obviam Urbana multitudine, nullo non genere honoris adhibito noctu divertit. Sequenti vero ad S. Petrum iturus, paratis de more ſupplicationibus Pontificio habitu per Urbem incedens, tumultuantem populum intelligit, ob duplicatum tributum, vectigalque novum vino impoſitum. Hanc ob rem facto ſilentio audientibus omnibus, exactionem illam, ut minus liberalem, ſuſtulit: quo facto, ſtatim inclamatum ab omnibus eſt VIVAT EUGENIUS cum antea clamaſſent, *moriantur nova vectigalia, eorumque inventores*: viæ velis uſque ad Baſilicam S. Petri coopertæ: ad Altare maximum oravit, & ad corpora Apoſtolorum, & in regreſſu oſtenſus fuit illi vultus ſanctus. Abſens ab Urbe fuerat annos 9. menſes 3. dies 23.

Anno Salutis 1447. Pontificatus 16. vitæ vero 64. EUGENIUS IV. Papa, Romæ in Palatio Apoſtolico Vaticano, VII. Kal. Martii die Jovis hora 8. noctis præcedentis rebus humanis exceſſit, ingenio & rebus geſtis inſignis, & in Pontificatu varius. Principio enim licet illum non ita caute & prudenter ad-

miniſtraſſe videatur, poſtea tamen omnia prudenter & conſtantiſſime egit. Vir aſpectu inſignis, & veneratione dignus, gravis in dicendo potius quam eloquens, modicæ literaturæ, multæ cognitionis, hiſtoriæ præſertim, liberalis in omnes, tum vel maxime in literatos, quorum familiaritate delectatus eſt. Nam Leonardum Aretinum, Carolum, Poggium, Auriſpam, Trapezuntium, & Blondum, viros doctiſſimos ſecretis ſuis admiſit. Ad iram non facile movebatur, ob injurias illatas, & maledicentiam hominum, aut mimos & dicteria ſcribentium. Gymnaſia ante omnia quam diligentiſſime fovit, maxime vero Romanum, ad quod genus omne literaturæ adhibuit. Religioſos mirum in modum dilexit, eoſque opibus & immunitatibus auxit; bella autem ita amavit (quod mirum in Pontifices) ut præter ab eo in Italia geſta, & Delphinum Caroli Regis Franciæ filium, compoſita prius inter Regem & Ducem Burgundiæ pace, cum magno equitatu in Baſileenſes concitaverit, cujus impetu, diſſipatus pene ille Conventus eſt. Conſtans præterea in pactis ſervandis eſt habitus, niſi ſiquid pollicitus fuiſſet, quod revocare, quam perficere ſatius eſſet: Splendidus in victu familiæ, parcus in ſuo, & a vino ita alienus, ut abſtemius merito vocaretur: Familiares habuit admodum paucos, ſed viros doctos, & quorum opera in gravibus rebus uti poſſet, quoſque tanquam ſuæ modeſtiæ teſtes in cubiculum cœnaturus admittebat, ac ſciſcitabatur, quid in Urbe fieret, quid de Pontificatu ſuo ſentirent homines, ut errata ſua vel ſuorum, ſiquid perperam factum eſſet, emendaret. Exornare autem Ec-

Eccleſias ædificiis, & ſacellis eſt annixus, ut ex Capella Pontificia, & æneis S. Petri valvis apparet, & Baſilicis S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranenſis, Spiritus Sancti, S. Mariæ Majoris, S. Mariæ Rotundæ, S. Sebaſtiani, & S. Suſannæ: quas reparavit, Palatium Apoſtolicum refecit ruinoſum; multas eleemoſynas pauperibus elargitus, liberalis in maritandis puellis, & virginibus collocandis. Ingratitudinis tamen notatus erga Urſinos, & Cardinalem Urſinum, quod ejus opera, & ſtudio in Pontificatum provectus, & Urſinorum opera ditionem ſuam amiſſam recuperavit, nullum vero rependit beneficium, 33. Cardinalibus ex infima ferme conditione creatis, at nemine ex familia Urſina, cum tamen multi ea tempeſtate Viri inſignes eſſent, & qui eum gradum promererentur, fuit habitus ſententiæ propriæ tenax, & capito: Mortuus autem ſepelitur in Baſilica S. Petri Vaticana, ſepulchro marmoreo his verſibus exornato.

EUGENIUS jacet hic Quartus, cor nobile cujus
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ,
Iſtius ante Sacros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu Cæſar uterque pedes.
Alter ut accipiat fidei documenta Latinæ,
Alter ut aurato cingat honore caput,
Quo duce, & Armeni Græcorum exempla ſequuti
Romanam agnorunt, Æthiopeſque fidem.
Inde Syri, ac Arabes, mundique e finibus Indi.
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.
Nam valida rurſum Turcos jam claſſe petebat;
Dum petit, aſt illum ſuſtulit atra dies.

Qui

Qui ſemper vanos mundi contempſit honores,
Atque hac impreſſa condite, dixit, humo.
Sed non quem rubro decoraverat ille Galero
Non hoc Franciſcus ſtirps ſua clara tulit.
Suſcepitque memor meriti tam nobile, quod nunc
Cernis, tam præſtans ſurgere juſſit opus.

Poſt obitum EUGENII corpus in Vaticana Baſilica in arca marmorea conditum inter Altare Beatæ Virginis a ſe erectum, & Altare S. Marci prope ſepulchrum Eugenii III. in poſtrema navi ad ſiniſtram introeuntibus, ubi quondam perilluſtre ſupra reſcriptum Epitaphium tanto Pontifice dignum legentibus ultro exhibebatur, quod apud Vegium etiam legitur cum ſequenti ab ipſomet, ut ait, ibidem appoſito.

Dum ſtudet Eccleſiam placida componere pace,
Actaque pars voti, pars quoque agenda fui,
EUGENIUS Quartus moriens hic oſſa reliquit,
Sic nece præruptum, quod bene cœpit, opus.
Debuerant duræ tantis perferre ſorores,
Tardius & vitæ ſolvere penſa brevis.
Tunc ubi pax terris, quam miro ardebat amore,
Reddita, tunc Cælo reſtituendus erat,
Sed Deus, ac tutum Sedes ornare beatas,
Conſultumque ſuis maluit ire bonis.

E Baſilica Vaticana proceſſu temporis ad Eccleſiam S. Salvatoris in Lauro EUGENII oſſa deducta jacent apud Canonicos illos ſeculares.

Scripſit Epiſtolam, & libellum adverſus Concilium Baſileenſe, qui extat apud Binium in tomo ſeptimo Conciliorum, Decretum de Unione Græcorum

rum

rum cum Latinis, ſupra quod ſcripſit Apparatum Joannes de Turrecremata Cardinalis, Librum contra Boemos, & Huſſitas hæreticos. Conſtitutiones Eccleſiaſticas, Epiſtolas varias, quæ leguntur in tomo octavo Conciliorum cum Notis Binianis. Sunt aliæ apud Ferdinandum Ughellum in Italia Sacra, illæ ſcilicet ad Franciſcum Foſcarum Venetiarum Ducem, ut jura Patriarchalia Aquilejenſi Patriarchæ redderet, ne divinas in ſe iras concitaret; & apud Fr. Lucam Wadingum in tomo quinto Annalium Minor. inveniuntur ducentæ nonaginta quinque exaratæ. Concilium Florentinum Oecumenicum extat tomo octavo Conciliorum.

Cardinales quatuor a Martino V. Romano Pontifice creatos EUGENIUS anno primo Pontificatus publicavit, videlicet, Dominicum Ram Hiſpanum Presbyterum Cardinalem Sanctorum Joannis & Pauli titulo S. Pammachii, Joannem Caſanova Hiſpanum Ord. Prædicator. Presbyterum Cardinalem S. Sixti, Gulielmum Divanum de Monteforti Gallum Preſbyterum Cardinalem S. Anaſtaſiæ, Dominicum Capranica Romanum Cardinalem S. Mariæ in Via lata. Aliqui tamen horum aliquos a Martino V. publicatos ſcribunt.

PAU-



PAULUS II.

CElebratis exequiis Pii II. ſopitiſque, quæ exortæ fuerant de loco habendi Conclavis inter Cardinales diſſenſionibus, recluſerunt ſe omnes Cardinales quotquot Romæ præſentes erant, VI. Kalendas Septembris ann. 1464. in novas Pontificias Vaticani aulas, & in Summum Pontificem elegerunt pridie Kalendas Septembris PETRUM BARBUM Venetum Presbyterum Cardinalem Tit. Sancti Marci. Hic Nicolao Barbo, matre Polyxena Eugenii IV. ſorore natus Venetiis 5. Kalendas Martii ann. 1418. adoleſcens nullis diſciplinis imbutus, in mercaturam ire decreverat, quæ apud Venetos in pretio eſt, & a Solone non improbatur: & jam ſcrinium & arma

in

in Triremes intulerat, cum ei nunciatum eſt, Gabrielem Condulmerium, avunculum ſuum Pontificem creatum eſſe. Avunculo Pontifice jam creato, ſubſtitit, adhortantibus amicis, & fratre Paulo Barbo majore natu, ac litteris, licet jam adultus eſſet, operam dedit, præceptore uſus Jacobo Ricionio, qui diligentiam hominis ea in re laudare conſueverat. Habuit & alios præceptores, nec tamen ob ætatem admodum profecit; quos omnes præter Ricionium, dum Pontifex eſſet, dignitate, & facultatibus honeſtiores reddidit, oſtendens per eos non ſtetiſſe, quominus doctior evaderet. Paulus autem Barbo magnitudine animi & prudentia vir, cognita fratris natura, qui potius quietem, quam negocia appetebat, Eugenium rogat (nam Florentiam, videndi hominis cauſſa, venerat) ut PETRUM ad ſe vocet, initiatumque Sacris, in aliquo dignitatis gradu collocet. Vocatus itaque PETRUS Archidiaconatum Bononienſem, ac Epiſcopatum Cerviæ non multo poſt adeptus, Protonotarius ab Avunculo creatur, ex his potiſſimum, qui emolumentorum participes ſunt. His autem facultatibus, aliquot annis, vitam ducens, Diaconus Cardinalis S. Mariæ Novæ, & demum Presbyter Cardinalis S. Marci creatus eſt una cum Ludovico Patavino Medico, quem poſtea Patriarcham & Camerarium appellarunt. Fuit PETRUS BARBO homo natura blandus, mitis & humanus, amicorum ſtudioſus, & eorum præſertim, quos in clientelam ſuſceperat. Nicolao & Calliſto gratiſſimus, Pio non admodum probatus, cujus acta Pontifex creatus, odio habuerit, quod eum in permutatione Epiſcopatus

Vicentini cum Patavino, inſtando acerbe, nimiumque rogando offendiſſet.

PAULUS II. rem gratam Populo Romano facturus, ad ædes ſeu Palatium S. Marci, quod ipſe magnis ſumptibus ædificaverat, habitatum venit, & bacchanalia in Carnisprivio fieri ſolita ampliavit, ita ut feria ſecunda ante Carnisprivium, juvenes, pallium ut aſſequerentur, currerent, feria ſecunda Judæi, feria quarta ſenes, feria quinta ibatur in Agonem, feria ſexta domi manebant, Sabbatho ad Venationem. Dominica pallia conſueta, feria 2. bubali, feria 3. aſini, hiſque ludis valde delectabatur.

Statuas veteres tota urbe undique conquiſitas in ſuas illas ædes, quas magnificentiſſimas ſub Capitolio ad S. Marcum extruebat, congerere ſtuduit; advecto etiam ex S. Agnete B. Conſtantiæ ſepulcro, fruſtra reclamantibus monachis loci, qui poſtea mortuo Paulo ſepulchrum illud porphyreticum a Sixto IV. Pontifice repetiere & obtinuerunt.

Anno 1468. venit Romam Imperator Fridericus vigilia Natalis Domini tertia hora noctis, ut peregrinus, & die Circumciſionis initio anni 1469. ſolemniter, & maxima pompa, Papa & Imperator ad Baſilicam Lateranenſem proceſſerunt, & eadem pompa regreſſi ſub pallio, negotia ſecreto tractarunt, & ita regreſſus eſt in Germaniam Imperator.

Anno 1470. die 8. Julii ſupplicationem PAULUS II. ad Lateranum, quod Turca Chalcidem, ſeu Negropontem oppugnaret, indixit. Turcas ferociſſimos hoſtes Chriſtianæ Religionis capta jam fere tota Epiro cum in Illyricum irruere Pontifex accepiſſet, hu-

jus

jus rei vicinos Principes procul a ſe disjunctos, certiores facit: rogavitque, ut pro communi ſalute ſoliciti adverſus eos arma ſumerent. Cui quidem ſupplicationi ipſe Pontifex cum Cardinalibus nudis pedibus interfuit. Reliquiæ inſigniores urbis circumlatæ, Salvator, inquam, Sancti Joannis Lateranenſis, Imago Dei Genitricis a Populo, Caput Sancti Joannis Baptiſtæ; Per id tempus Fridericus adoleſcens, Ferdinandi Regis filius, Neapoli Mediolanum ad ducendam Franciſci Sfortiæ filiam iturus Romam veniens, prodeunte obviam honeſtiſſimo quoque, & Roderico Borgia, Vicecancellario, perbenigne a PAULO ſuſcipitur, ac Roſa donatur, quam Pontifices donare quotannis alicui ex Principibus Chriſtianis conſueverunt.

Anno 1471. die prima Aprilis, Romam venit 700. fere equitibus comitatus Marchio Ferrarienſis, quo titulum Ducis a PAULO II. obtineret; ſupellex viatoria pretioſa a 150. mulis delata, tanto apparatu progreſſus eſt, qualis nunquam eo ſeculo viſus 138. mulis pecunia onuſtis, veſtibus ſericeis, & aureis, ipſe ornatus ſerico villoſo cæleſtini coloris, reliqui panno cum ſuis inſignibus, multis nobilibus comitatus; cui Cardinales multi, Senatus Populuſque Romanus obviarunt, quique a Papa honorificentiſſime exceptus.

Georgium Podebrachium Boemiæ Regem hæreſi inquinatum Huſſitarum regno privavit, quod Pius II. facturus erat, ſi diutius vixiſſet.

Pontificiam triplicis coronamenti Tiaram, Regnum Mundi, PAULO II. imperante, appel-

latam primo, pretioſiſſimis gemmis opplevit. Cardinalibus ſericeas Damaſceni operis Mitras indulſit, qui ſacro veſtiti ornatu ab inferiorum Ordinum Prælatis loco ſolo agnoſcebantur: ademit autem Nicolao Beneventano Archiepiſcopo triregalem Tiaram, qua is ex more quodam priſco, uti conſueverat diebus celebrioribus, & aliquando ſacratiſſimam Euchariſtiam ante ſe deferri, curabat, utrumque eum facere, PAULUS vetuit.

PAULUS II. tegumenta ruſſata Cardinalibus dedit, & ejuſdem doloris capitia, quibus antea ſoli Pontifices Romani utebantur; præterea iiſdem ſubſellia altiora conſtituit, tum ad Senatus, tum ad rerum ſacrarum procurationis conſeſſus. Voluit præterea in decretum referre, ut Galeri Cardinalium ſerico coccineo fierent, ſed id quominus decerneretur, vetuere illi, qui bene ſentientes, diminuendam eſſe Eccleſiæ pompam, non augendam cum detrimento Chriſtianæ Religionis prædicabant.

Juſtus eſt habitus & clemens, uno tamen poſtremo laudari poteſt, quod domi monſtra non aluerit, quodque domeſticos ſuos, & familiares in officio continuerit, ne ob faſtum & inſolentiam, Populo Romano, & Aulicis ſtomachum facerent: merito laudandus, ob perenne ſtudium pacis componendæ, bellique deteſtandi, boni enim Pontifices ſunt judicandi, qui nullum inter Principes bellum ſerunt. In Baſilica Vaticana Sacello S. Andreæ, ſequenti Mauſoleo marmoreo a Marco Barbo Cardinale S. Marci conſtructo, cui hoc epitaphium inſcriptum fuit, tumulatus eſt.

PAU-

PAULUS II. VENETUS PONT. MAX.
E VETVSTA BARBORVM FAMILIA. PRÆCLARIS. NATVRÆ. DOTIBVS. AVVNCVLO EVG. IV. NON INFERIOR. IVSTITIÆ. PIETATIS. DIVINARUMQVE CÆREMONIARVM. CVLTOR RELIGIOSISSIMVS ECCLES. LIBERTATIS. MAIESTATISQVE DEIENSOR CONSTANTISS. PRÆCIPVO. PACIS. SERVANDÆ. STVDIO. ET. SINGVLARI. OMNIS. GENERIS MVNERVM. ABSTINENTIA. FORMIDANDA. ETIAM LEGE MAGISTRATIBVS INDICTA CLARISSIMVS IN PRINCIPES. MUNIFICENTIA. IN PAVPERES MISERICORDIA. INSIGNIS. PATRIOQVE MORE ANNONÆ COPIAM VRBI DEDIT. PATRIMONIVM B. PETRI ERRATIS POPVLORVM INDVLGENTISSIMI PARENTIS AFFECTV. EMENDATIS ET CONSERVAVIT ET AVXIT. FVRENTES. ARMIS. HÆRETICOS REPRESSIT. ET QVOD PER. DIFFICILEM RERUM TEMPORVM CONDITIONEM EFFICI CVM DIGNITATE NON POTERAT. MATVRA. CVNTATIONE FELICITER. SALVBERRIME. DISPOSVIT.
VIXIT ANN. LIII. MENSES X. DIES XXVI.

PRI-

PRIMA DECAS CARDINALIUM

Ab anno 1379. *ad annum* 1468.

I. FRater Ludovicus Patritius Venetus, quem Ciaconius & Panvinius Ludovicum Donatum vocant, Ordinem Minorum a puero ingreſſus Procuratoris Generalis totius Ordinis, deinde Inquiſitoris hæreticæ pravitatis Venetiis, & Provinciæ S. Antonii Miniſtri munere functus eſt. Excitato paulo poſt in Eccleſia ſchiſmate, Urbani partes ſecutus eſt contra Leonardum de Chiſono Miniſtrum generalem Ordinis, qui quia Clementi VII. Pſeudopontifici adhæſerat, ab Urbano exauctoratus fuit. Ludovicus Vicarius primo, mox Miniſter Generalis electus eſt in Comitiis habitis in Civitate Strigonienſi in Hungaria. Hunc Virum doctrina inſignem Presbyteris Cardinalibus titulo S. Marci in prima ex Ciaconio & Panvinio, ex Luca vero Wadingo in Annalibus Minorum, in tertia Cardinalium enunciatione adſcripſit Urbanus nonniſi anno 1379.; refert enim laudatus Wadingus, nonniſi anno 1379. Ludovicum electum eſſe Miniſtrum Generalem in Comitiis habitis Strigonii, & vix tertio exacto menſe ab electione, purpureo decoratum fuiſſe galero. Cum S. Cyriaci & Reatino Cardinalibus Legatus ad Carolum III. Neapolitanum Regem, in ſiniſtram apud Urbanum ſuſpicionem incidit, eundem cum Reatino & Carolo Rege contra ſe conſpiraſſe exiſtimantem. Quare die 11. Januarii anni 1385. tanquam læſæ Majeſtatis reus Luceriæ Chriſtianorum, juſſu Urbani cum aliis Cardinalibus carceri mancipatus, graviter tortus, poſtremo omnibus honoribus mulctatus, Genuæ menſe Decembri ejuſdem anni interfectus eſt. Variis affectus cruciatibus nil aliud pronunciaſſe dicitur, niſi illud Petri Apoſtoli: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus.*

An-

Digitized by Google

II. ANtonius Corarius, ſeu Corrarius, Patritius Venetus, Philippi, Gregorii XII. fratris filius Canonicus Congregationis Sancti Georgii in Alga, cujus fuerat auctorum unus, Epiſcopus primo Bononienſis, mox Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſeu Hieroſolymitanus, & Eccleſiæ Romanæ Camerarius ab ipſo Gregorio declaratur; verum Civitatem Bononienſem a Gregorii obedientia averſam non iniit, mox inter Presbyteros Cardinales cooptatur, Titulo non Sancti Chryſogoni, neque S. Gregorii, ut referunt Panvinius, Ciaconius & alii; ſed ex Diariis, & Diplomatibus ipſius Gregorii, S. Petri ad Vincula, alias Eudoxiæ, & Cardinalem Bononiæ ſe nominavit. Epiſcopus deinde Portuenſis, demum Oſtienſis ab Eugenio IV. renunciatus Eccleſiam Bononienſem, annua reddituum parte ſibi reſervata dimiſit. Conſtantienſi Concilio interfuit, in quo inter Purpuratos annumeratus Martini V. partes ſincere deinceps ſecutus eſt. Legationis munere pro Gregorio Patruo in Gallia, & in Germania, & ſub Martino V. apud Senenſes, & Peruſinos functus eſt. Eccleſiam Civitatis novæ, ſeu Æmonenſem anno 1420. uſque ad annum 1421. Commendatarius rexit; deinde anno 1435. Eccleſiam Cervienſem regendam ſuſcepit, cui paulo poſt nuncium remiſit. Abbas etiam Commendatarius fuit Abbatiæ S. Zenonis Veronenſis Diœceſis.

Scripſit, ut Garimbertus narrat, ſui temporis hiſtoriam, quæ ms. olim Venetiis aſſervabatur: vitam cum morte commutavit Patavii in Cœnobio Sancti Joannis ſui Ordinis, Sacri Collegii Decanus, die 19. Januari 1445. & Venetiis, ut mandaverat, ſepultus eſt apud S. Georgium in Alga cum hoc Epitaphio.

SEPULCHRUM PIISSIMI PATRIS
DOMINI ANTONII CORARII
BEATÆ MEMORIÆ EPISCOPI OSTIENSIS
CARDINALIS BONONIENSIS
FUNDATORIS HUJUS CONGREGATIONIS
QUI OBIIT ANNO A NATIVITATE DOMINI
MCCCCXLV. DIE XIX. JANUARII
ORATE PRO EO.

Om-

Omnium opinione ſanctiſſime vixit, itaut arbitrentur plerique illum fuiſſe illibatæ virginitatis: ut ſenectutem ſuam tranquille duceret ad Cœnobium Patavinum S. Joanni Baptiſtæ ſacrum ſe contulit, in quo, Cellula ſelecta, communi illorum Religioſorum victu contentus antiquum inſtitutum profeſſus eſt. Bibliothecam ſuam rarioribus libris eleganter conſcriptis refertam eidem Cœnobio Patavino dono dedit.

Antonius Philippus Tomaſinus Æmoniæ Epiſcopus hæc de Antonio Corario Cardinali in ſuis Annalibus habet: *Mira ejus in omnes liberalitas maxime in pauperes, & egenos colonos iis temporibus nuperis bellis exhauſtos: nec diſpar ejus in Religioſos ſtudium; binas enim Abbatias non infimæ ſortis Veronæ, & Patavii Benedictinis reddidit, aliaque loca, quæ Summi Pontificis benignitate accepta ferebat, primis poſſeſſoribus reſtituit.*

Cum autem non longe abeſſe corporis ſui diſſolutionem cognoviſſet, quæ ſupererant facultates diverſorum Religioſorum locis, & pauperibus reliquit: convocatis autem quorundam Cænobiorum procuratoribus partem ſuæ ſuppellectilis, reſervato ſibi calice his verbis diſtribuit. *En portionem fructuum ex veſtris locis accipite, quam diligenti cura vobis ſervavi; gratias Deo agite, & pro me orate.* Sacra omnia ſua veſtimenta Eccleſiæ S. Georgii in Alga una cum viginti ſupra centum manuſcriptis Codicibus tempore, & magnis impenſis comparatis tradidit.

Laudatur a Blondo, & Sigonio Antonius hic Cardinalis, quem virum timoratum, mundique contemptorem vocat S. Antoninus, & Morigia, qui libro primo Originum Religionum, Antonium hunc Ordinis Geſuatarum fuiſſe, ſed male, contendit. Nam Antonius Corarius ex Sacerdote, & Decano Eccleſiæ Coronenſis Canonicorum Secularium Sodalitii anno 1395. fundamenta jecit, & in eo vixit uſque ad annum 1408. quo Presbyteris Cardinalibus adſcriptus a Gregorio eſt.

An-

III. ANgelus Barbadicus illuſtri ac nobili genere Venetiis natus Chimenſem primo, deinde Veronenſem rexit Eccleſiam; cujus ſolemnem ingreſſum in Urbem Veronenſem deſcripſit Bartholomæus de Oliveto in Diariis his verbis. *Anno 1407. die Jovis ſexta Epiphaniæ, Reverendus in Chriſto Pater D.* Angelus Barbadico *de Venetiis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Veronenſis creatus, aurea veſte velatus, niveo ſonipede conſedendo, purpureoque tegmine, quod a præſtantiſſimis hujus Urbis juvenibus ferebatur, coopertus, cultui Religionis vacaturus, exoptatum Civium oculis ſui conſpectum obtulit, in cujus honorem Clerus & Populus Veronenſis vexillis artium erectis, & extra Urbem obviam occurrerunt, ipſumque Paſtorem venientem Pontificali infula, & baculo decoratum, multiſque nobilibus Venetis comitatum, & non modicis noſtris præſtantibus civibus circumdatum, mœnia hujus civitatis inter effuſam ad officium ſpectaculum ejus turbam intrantem cum jubilo mentis aſpexerunt, & ad aram ſacratiſſimi magni templi Veronenſis ipſius triumphalem reverentiam, & paternitatem venerati ducendo, ubi ſuam benedictionem, & Indulgentiæ largitionem condonavit, hilariter aſſociaverunt tanquam* Angelum *ſalutantem, ſibi divinæ proviſionis munere deſtinatum.*

Fuit Angelus vir ſingulari religione præditus, juſtitiæ ſtudioſiſſimus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cultor eximius. Annis fere duobus Eccleſiam Veronenſem moderatus fuerat, quando Gregorius XII. Romanus Pontifex, cujus erat ex ſorore nepos, eum ad Purpuram titulo SS. Petri & Marcellini vocavit: poſt Purpuram Veronenſi Epiſcopatu ſe exſolvit. Interfuit Conſtantienſi Concilio, quo confecto, cum in Italiam una cum Martino III. alias V. Romano Pontifice reverteretur, Genuæ gravi morbo oppreſſus, die 16. Auguſti, ſeu prima Septembris anno 1418. animam Deo reddidit, ac ſepultus eſt in Eccleſia principe ejuſdem Urbis. Hoc Præſule Veronæ Canonicis Regularibus Congregationis Frigidianæ datum fuit ad habitandum Cænobium S. Leonardi Gregorio XII. concedente. Ciaconius ſcribit An-

GELUM hunc Preſbyterum Cardinalem in Conſtantienſi Concilio obtinuiſſe, relicto Titulo SS. Petri & Marcellini alium S. Praxedis; ex Diariis tamen mſs. Bibliothecæ Vaticanæ ſcimus obiiſſe Preſbyterum SS. Petri, & Marcellini.

IV. PETRUS MAUROCENUS Patritius Venetus, clarus ſui ævi artium Doctor, Protonotarius Apoſtolicus renunciatus eſt, a Gregorio XII. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin. Ciaconius illum Sanctæ Mariæ in Dominica Diaconum dicit ex inſcriptione ſepulchrali, ſed in Gregorii ejuſdem Diplomatibus, & in tabulis antiquis S. Mariæ in Coſmedin Diaconus nominatur: Idem Ciaconius inter Cardinales electores Martini III. alias V. Petrum hunc recenſet, & Diaconum S. Mariæ in Via Lata a Joanne XXII. creatum facit, cum revera neque Joannis, neque S. Mariæ in Via Lata Diaconus unquam ille fuerit. Martini V. juſſu Legationis munere functus eſt in Regno Neapolitano. Explicavit Patavii Sextum Decretalium; & ſcripſit, referente Trithemio, ſuper Sextum Decretalium Commentaria, quæ in Bibliotheca Vaticana ſervantur. Determinationes item varias, & alia Legum interpretamenta edidit, quæ non mediocri Pontificii juris jactura in variis Bibliothecis pulvere obducta mſs. deliteſcunt, ut auctor eſt Marcus Mantua Patavinus.

Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis PETRUM hunc in divinis literis, & jure Canonico doctiſſimum, ſecularium literarum non ignarum, ingenio præſtantem, vita & converſatione inſignem appellat. Interfuit Concilio Conſtantienſi, a quo inter S. R. E. Cardinales receptus eſt: obiit deinde Romæ, ſeu apud Gallicanum oppidum Diœceſis Præneſtinæ, dum rediret a Legatione Neapolitana die 11. Auguſti, non anno 1425. ut ſcripſit Jacobus Gaddius in ſecundo Tomo de Scriptoribus non Eccleſiaſticis, ſed ex tumulo anno 1424. Corpus Romam delatum jacet in Eccleſia S. Mariæ Novæ cum hoc Epitaphio.

HIC.

HIC. JACET. PRAECLARAE. MEMORIAE. REVERENDISSIMUS. IN CHRISTO. PATER. DOMINUS. DOMINUS. PETRUS. S. MARIAE. IN. DOMINICA. DIACONUS. CARDINALIS. VENETIARUM. JUNIOR. NUNCUPATUS. QUI. OBIIT. ANNO. DOM. MCCCCXXIV. DIE. XI. MENSIS. AUGUSTI. CUJUS. ANIMA. IN. PACE. REQUIESCAT.

V. FRANCISCUS LANDUS Patritius Venetus, ex Landorum familia, priſca nobilitate, & præſtantium Senatorum fœcunditate illuſtri, natus, Juris utriuſque Doctor, Patriarchatu Gradenſi auctus, anno 1408. interfuit Conciliis Piſano & Conſtantienſi, & ab Alexandro V. translatus eſt ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam anno 1409. Hunc Joannes XXIII. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Crucis in Hieruſalem, & Martinus V. Epiſcopis Sabinenſibus adſcripſit. Sacellum in honorem Aſſumptionis B. Virginis, & S. Franciſci in Baſilica S. Mariæ de Præſepe Romæ extruxit FRANCISCUS hic, & duas in eo perpetuas, ut ajunt, Cappellanias cum redditibus annuis ad alendos Sacerdotes attribuit, ac Sepulturam in eadem Baſilica ſibi elegit his verbis. *Sepulturam mei corporis in Eccleſia S. Mariæ Majoris de Urbe eligo: Sepulchrum unum, in quo corpus meum poſtquam ab hac luce deceſſerit, reponi jubeo, atque volo fabricari & ædificari. Et inſuper poteſtate Apoſtolica deſiderans, ut in ipſa Eccleſia divinus cultus augeatur, ad laudem & gloriam Individuæ Trinitatis, glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, ac Franciſci Confeſſoris, totiuſque cæleſtis Curiæ fieri feci unam Cappellam cum Altari juxta Altare majus dictæ Eccleſiæ verſus latum ſiniſtrum, quo Evangelium cantatur, ipſumque ſub nomine B. M. Virginis, & S. Franciſci Confeſſoris decrevi intitulandum.*

Ex hac vita deceſſit die 26. Decembris anno 1427. in Ciaconio legitur anno 1417. Impreſſoris fortaſſe errore: Corpus exanime in eadem Baſilica, uti juſſerat, ſepulturæ traditum, ut ex tabulis antiquis ejuſdem Baſilicæ conſtat, in quibus hæc ſunt verba. FRANCISCUS LANDUS *Epiſcopus Sabi-*

binenſis Cardinalis a Joanne XXIII. creatus in marmoreo ſepulchro jacet prope Tribunam majorem. Tumulo vero hæc appoſita inſcriptio.

Laudibus æternum ſenior celebrandus in ævum
Hic FRANCISCUS *habet cineres, quem clara creavit*
Landa domus, Venetæ proles ſanctiſſima gentis
Ætherea virtute nitens, jus nactus utrumque
Doctor erat, Cleri lumen, gravis auctor honeſti,
Juſtitiæ ſublimis apex, expertus honores
Eccleſiæ meritos, Gradi ſibi credita ſedes,
Hinc Conſtantini Patriarcha appoſitus Urbi,
Hieruſalem ſacri titulum poſt Cardinis auctum
Crux dedit; hic ſumma Piſani laude peregit
Concilii fœdus, Gradi tunc ſceptra tenebat.
Fervida Conſtanci lenivit corda furentis
Hic populi, monuitque acies, mortique paratus
Inde Sabinenſem titulum, dum Præſul agebat
Spiritus æternum clarus migravit in Orbem.

Hujus beneficiis, ut ſe gratos Canonici Baſilicæ Liberianæ redderent, hoc publico elogio, quod in Sacrario cernitur, eum decorandum curarunt.

FRANCISCUS LANDUS ARCHIPRESBYTER CARDINALIS HAC IN BASILICA SACELLUM EXTRUXIT ADJECTA PRO PLURIBUS SACERDOTIBUS DOTE. DELECTOQUE IBIDEM SEPULCHRO. UBI MORTUUS CONDERETUR.

In aula, Magni Conſilii dicta, Venetiis FRANCISCI CARDINALIS LANDI coloribus expreſſa effigies inter Claros Reipublicæ Venetæ Viros viſebatur olim, ut referunt multi.

VI. FRANCISCUS CONDULMERIUS, ſeu CONDOLMERIUS Patritius Venetus, EUGENII Fratris filius, præter Protonotariatum Apoſtolicum, & Vicecamerarii, ac Vicecancellarii munus Archiepiſcopatum Biſuntinum, & Patriarchatum Conſtantinopolitanum a Patruo Romano Pontifice obtinuit, a quo etiam Presbyteris Cardinalibus titulo non Sanctæ Cæciliæ, ut ſcripſit Ciaconius; hunc enim titulum ex

ex libro Participationum in Vaticano ſervato nunquam habuit; ſed Sancti Clementis primo, mox Epiſcopis Portuenſis, ac S. Rufinæ, adſcriptus eſt; imo poſt Purpuram tot dignitatum congeſtis titulis etiam Veronenſem Epiſcopatum adjecit.

Anno enim noſtræ ſalutis 1438. 12. Kal. Novembris literas dederat Eugenius Civibus Veronenſibus, in quibus ſemetipſum Canonicum Veronenſem commemorat, ac Franciscum Cardinalem nepotem in pueritia ſecum in Veronenſi Eccleſia educatum, Eccleſiæ ipſi præficiendum in Epiſcopum ſummopere curaverat. Verum Condulmerii Cardinalis deſignatio univerſam Civitatem Veronenſem commovit, quæ proprium regimini Eccleſiæ ſuæ optabat Epiſcopum, ut tum ipſi deſignato Epiſcopo, tum Eugenio Pontifici, ac Senatui Veneto Oratores, ac ſupplices libellos miſerit, ut nobiliſſimæ Eccleſiæ conſulerent. Permanſit tamen Eugenius in ſua ſententia; quare die 15. Septembris anni 1442. Franciscus Cardinalis ſolemni pompa Epiſcopatus illius poſſeſſionem iniit; ſed paulo poſt Romam vocatus, eandem Eccleſiam abſens adminiſtravit annis quindecim.

Ut in Veronenſi Eccleſia divinus cultus ſummopere effloreſceret, fundavit Eugenius ad Francisci Cardinalis Epiſcopi preces Veronæ Acolythorum Collegium: Diploma conſcripſit, quo Sacerdotia quamplurima, ſimplicia dicta ſuppreſſit, ac eorumdem Acolythorum menſæ attribuit. Quam quidem digniſſimam inſtitutionem juxta Theobaldi, ac Petri Scaligeri Veronenſium Epiſcoporum olim ſancita decreta magis proficuam fore exiſtimabat, quam ſi Clericis ea Sacerdotia diſtribuerentur. Urbis tamen Senatus ad novitatem commotus per Oratores, Pontificem ac Epiſcopum Cardinalem exoravit, ut omnino Diploma illud deleret, ſed fruſtra; nam viget adhuc Collegium idem magno cum decore & Cathedralis Eccleſiæ bono. Minoribus Fratribus de Obſervantia facultatem fecit Cænobium condendi Veronæ, quod ex civium eleemoſynis conſtructum eſt Divo Bernardino ſacrum; cujus primum lapidem ſolemni ritu poſuit idem Franciscus Cardinalis Epiſcopus.

Le-

Digitized by Google

Legationes multas Eugenii juſſu ſubiit; ad Ducem ſcilicet Venetiarum contra Turcas; nam prælio amiſſo Juliano Cardinale Cæſarino, FRANCISCUS cum Triremibus contra Turcas claſſis Præfectus Legatus eſt. Panvinius tamen in Chronico refert, non poſt, ſed ante Juliani Cardinalis obitum FRANCISCUM Legationis munere functum fuiſſe contra Turcas: illius verba reſcribo. *Legationibus maximis ſub Eugenio IV. functus, Veneta & claſſica contra Turcas; cum terreſtribus copiis præeſſet Julianus Cæſarinus Cardinalis, magni animi & ſpiritus vir;* FRANCISCUS *vero inertiſſime ſe gerens, ut Papa Pius ait, neque fretum cuſtodivit, neque tranſvectos hoſtes Turcas ex Aſia in Europam Hungaris, Chriſtianiſque aliis Ducibus, ut par erat, renunciaſſet, maximæ cladis Chriſtianorum cauſa fuit. Inter quos Julianus ipſe Cæſarinus Legatus, Ladiſlaus Hungariæ ac Poloniæ Rex, Epiſcopi & Prælati, Hungari quamplures ceciderunt.* Additque lingua incontinentem fuiſſe, & fugiente ex urbe Eugenio, a Populo Romano captum, & in Capitolio, honeſto carcere, donec inter partes compoſitæ diſcordiæ, reſervatum fuiſſe.

Interfuit Comitiis, in quibus renunciatus Romanus Pontifex Nicolaus V. ſub quo e vita exceſſit Romæ non die 5. Septembris, ut refert Ciaconius, ſed 30. Octobris, ut ſcribit Contelorius ex monumentis Vaticanis, anno 1453. & ſepultus apud S. Petrum in Vaticano. Romæ in acie Campi Floræ ſuper parietinas Theatri Pompejani Ædes conſtruxit nobiliſſimas, quas Urſinorum familia, uſque ad noſtra tempora retinuit. Dictus eſt Cardinalis Venetiarum, ut ex actis Concilii Ferrarienſis a Joanne Leone Romano Ordinis Prædicatorum conſcriptis habemus. Hæc enim Andreas Victorellus mſs. non ſemel ſe legiſſe Romæ apud Cardinalem Biſciam teſtatur, in quibus nonnulla inter FRANCISCUM Cardinalem Venetiarum Domini Papæ Camerarium, & D. Nicolaum Marchionem Eſtenſem firmata enarrantur.

Galliæ ſcriptores referunt, FRANCISCUM Cardinalem Venetiarum aliquando Eccleſiæ Veſuntonienſi præfuiſſe; Veſuntio, quæ & Veſunticum & Bizuntium, Italice *Beſan-*

zo-

zone Urbs eſt in Umbilico Burgundiæ Comitatus ad Dubim fluvium. Hujuſce FRANCISCI Cardinalis ævo Nicolaus V. Pont. Max. S. Rufinæ Eccleſiam a Portuenſi disjunxit, eamque contulit Joanni Kemp Anglo Archiepiſcopo Cantuarienſi, Presbytero Cardinali S. Balbinæ, ea conditione, ut illorum Epiſcoporum altero defuncto, duo illi Epiſcopatus in ſupervitem iterum coirent: Cardinalis Kemp CONDULMERIO quidem ſuperſtes fuit, ſed nunquam declaratus Epiſcopus Portuenſis.

VII. MARCUS BARBUS, patritius Venetus, Pauli II. Patruelis, ex Epiſcopo Vicentino, Presbyter primo Cardinalis titulo S. Marci, poſtea Patriarcha Aquilejenſis, demum anno 1478. Epiſcopus Prænestinus renunciatus eſt. Hujus conſilio, & opera in multis uſus eſt ipſe Paulus: Legationem geſſit ſub Sixto IV. ad Cæſarem, ad Hungaros, & ad Polonos: de hujus vigeſimo ſecundo Februarii Roma diſceſſu ſunt Epiſtolæ Papienſis. Mandata a Pontifice accepit ad Federicum Imperatorem, ut advocatum ſe Eccleſiæ Romanæ, atque defenſorem Reipublicæ Chriſtianæ meminiſſet, ac propterea arma contra Turcas aſſumeret inhiantes Hungariæ atque Germaniæ. Ad Reges Poloniæ, & Hungariæ de Regno Bohemiæ contendentes, ut eos ad concordiam quantum cum Romanæ Eccleſiæ, & Imperialis dignitatis Majeſtatis dignitate poſſet, revocare contenderet, ac Bohemorum hæreticorum audaciam reprimeret. Ad Matthiam Hungariæ Regem, ne timeret deſertum ſe iri a Sede Apoſtolica, & Imperatore, a quibus ad bellum contra Boemos excitatus fuerat, neque enim Sedem Apoſtolicam electionem Boemorum de Polono approbare voluiſſe. Et quoniam procliviores viderentur Boemi ad Polonum, ſanciendam eſſe cum illo aliquam pacem, quam arbitrio Pontificis & Imperatoris permittere deberet: curaturum utrumque, ut inteſtini quoque Hungariæ contra eum motus conquieſcerent. Ad Caſimirum Poloniæ Regem, haud probe factum, ut qui a Sede Apoſtolica ad capeſſendum Regnum Boemiæ olim invi-

vitatus, recuſaſſet illud accipere, poſtea Hæreticis poſtulantibus filium ſuum Regem dederit, & arma pro Boemis contra Matthiam Hungariæ, & Poloniæ Regem ſumpſerit. Satius fore pacem, & affinitatem inter eos contrahi data Matthiæ una ex filiabus ſuis, ad cujus liberos regnum Boemiæ devolveretur, vel ſi liberi nulli ſuſciperentur, defuncto Matthia, ad Polonos Regnum ſpectaret: Quod ſi hanc æquam Pontificis poſtulationem Polonus negligeret, tum Marcus Legatus diploma Confirmationis Regni Boemiæ in gratiam Matthiæ promulgaret cum minis cenſurarum in Polonos. Hæc enim ita in mandatis ei data eſſe a Sixto Pontifice conſtant ex codice expeditionum ejus, qui extat in Archivio Vaticano, & ex Bzovio. Profectus Marcus in Poloniam, valde quidem honorifice a Rege exceptus eſt, ſed parum, vel nihil pro pace initio profecit, difficiliorem ſe ad eam Matthia præbente, ob pactam cum Imperatore pacem: cum Matthia autem Legatus nonnili per internuncios initio egit, tandem Reges illos diffidentes ad concordiam redegit. Triginta menſium ſpatio Legatus ab Urbe abfuit, reverſus res in ea Legatione geſtas duabus horis in Senatu recenſuit. His & aliis in Senatu narratis, veniam flexis poplitibus petiit, quod nec publicis neceſſitatibus, nec imperio Pontificis, nec Patrum expectationi ſe ſatisfeciſſe agnoſcebat: adjecit tamen, nihil a ſe omiſſum, qood vel poteſtatis, vel diligentiæ, vel conſilii fuiſſet ſui. Pontifex hominem laudavit, & cum Patribus gratias egit de Legatione bene functa. Hæc & alia recenſentur a Cardinale Papienſi in Epiſtola ad Cardinalem Sancti Theodori.

Fuit vir pius, prudens, integer, miti ingenio præditus, morum gravitate, & rerum uſu præſtans: ſi viri mali donabantur purpura, cruciabatur; interrogatus, cur mœrore vexaretur, *quia*, reſpondebat, *malorum felicitas, bonorum calamitas eſſe ſolet*. Virum doctum fuiſſe Marcum Cardinalem non modo Philelphi & Ficini Epiſtolæ, ſed monumenta, quæ ad poſteros reliquit, palam omnibus faciunt, ſcripſit enim Græce, Latineque doctiſſimos de Cæli-

libatu libros duos, ut notat Eiſergrenius, Epiſtolas item plures, quibus Onuphrius Panvinius in Hiſtoria Eccleſiaſtica conſcribenda uſus eſt, Orationem etiam in Conſiſtorio habitam, cum ex Hungarica Legatione remearet. Præterea Latine reddidit e Greco Eloquium Patriarchæ Conſtantinopolitani, ac reſponſum de fide Catholica ad quæſtiones Mahometis Turcarum Imperatoris, & S. Dionyſii Areopagitæ opuſculum.

Abbas Commendatarius Cænobii Saxovivi Monachos illos, qui centum & triginta abhinc annis in antiqua, eaque percelebri Abbatia morabantur, ſæpius incuſavit, ſæpius admonuit, ut ad aliquam legum, quas profitebantur, Benedictinarum obſervantiam ſeſe conferrent, cum tamen oratio, monita, omniſque Cardinalis comminatio irrita eſſet, illis rejectis, Olivetanos ſeverioris Benedictinæ diſciplinæ cuſtodes beneplacito Apoſtolico ſubrogavit, nonnullis ad victum redditibus conſtitutis ſejunctim ab iis, quos Abbas Commendatarius perciperet.

E vita migravit Romæ die 11. Martii anno 1490. ibique jacet in æde ſacra S. Marci cum hoc Epitaphio.

MARCUS BARBUS CARDINALIS SANCTI MARCI
PATRIARCHA AQUILEJENSIS
ITA SIBI VIVENS FIERI VOLUIT
ORATE PRO EO DOMINUM
OBIIT ANNO SALUTIS MCDXC. DIE XI. MARTII
OLIVERIUS ET FRANCISCUS CARDINALES EXECUTORES
B. M. POSUERUNT.

Cardinalis Papienſis literæ plures ad hunc Cardinalem datæ extant: laudatur a Blondo in Italia illuſtrata, a Garimberto, a Trithemio, & a Cardinali Ægidio. Sed nil magis laudandum videtur, quam quod fere omnes ſuas divitias pauperibus erogaverit, quos hæredes inſtituit adjecto dilemmate: *Ad locum unde exeunt flumina, reverti oportere, ut iterum fluant. Eccleſiæ quippe bona, pauperum Chriſti patrimonium eſſe plerique Sanctorum Patrum diſerte do-*

cuerunt. Sub Marco Patriarcha Aquilejenſi habitum fuiſſe Provinciale Concilium Epiſcoporum affirmat Ferdinandus Ughellius, in quo multa ad diſciplinam Eccleſiaſticorum, & ad tranquillitatem Eccleſiarum tuendam ſancita ſunt. Statuit etiam ſuo diplomate, quæ per Officiales Canonicos Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ deinceps in exigendis Eccleſiæ redditibus perpetuo obſervanda forent. Inſuper quod nullus Canonicus minor decem & octo annorum vocem haberet in Capitulo in certis actibus, ac definitionibus, & quod nullus Canonicus non actu reſidens etiam in certis actibus ſuffragium daret: quæ quidem ſtatuta Innocentius VIII. Romanus Pontifex ſuo diplomate confirmavit.

Altare in Eccleſia S. Marci de Urbe conſecravit, ut conſtat monumento hoc antiquo die 28. Maji anno reparatæ Salutis 1657. invento ſub marmoreo lapide in eadem Eccleſia S. Marci.

MARCUS BARBUS *Venetus, Miſeratione divina tituli Sancti Marci S. R. E. Presbyter Cardinalis, Patriarcha Aquilejenſis, 23. die menſis Junii, quæ fuit Vigilia Feſtivitatis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Sixti Divina Providentia Papæ IV. anno ſexto, conſecravit Altare ſitum in prædicta Eccleſia S. Marci de Urbe, & in Capella Corporis Chriſti, in honorem Sanctorum Cypriani Martyris, & Epiſcopi Carthaginenſis, ac Catharinæ Virginis & Martyris, & in eo condidit de Reliquiis Sanctorum Martyrum Abdon, & Senen, & B. Marci Papæ, & Confeſſoris, & contulit Indulgentiam centum dierum in forma in ſimilibus conſueta.*

VIII. BAPTISTA ZENO, Patritius Venetus, Pauli II. ex ſorore nepos, Vir plane inſignis, qui decoro & rariſſimo nexu nobilitatem generis cum morum ſanctimonia junxerat, ex Epiſcopo Vicentino, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu primo, mox Presbyter S. Anaſtaſiæ, demum Epiſcopus Tuſculanus dictus eſt. Archipresbyteri munus in Baſilica Vaticana geſſit, Legatione functus eſt Peruſii in Umbria,

bria, & apud Venetos. S. Zenonis nobilem Veronenſem Abbatiam commendatam habuit, quam reſtauravit, atque exornavit. S. Franciſco Venetiis Templum erexit. Et legitur in reparandis, & inſtaurandis Eccleſiis, ac piis locis tum Veronæ, tum in aliis Civitatibus, dum vixit, ad quinquaginta millia ſcutorum expendiſſe: adeo in ſumma fortuna ſummas opes ex animi generoſitate in Dei honorem fundere ſolitus fuit. Romæ apud Vaticanum domum conſtruxit, quæ adhuc noſtris hiſce temporibus extat cum ſequenti inſcriptione.

BAPTISTA ZENO VENETUS
EPISCOPUS TUSCULANUS
CARDINALIS SANCTÆ MARIÆ IN PORTICU
ET EPISCOPUS VICENTINUS
A FUNDAMENTIS EREXIT
ANNO CHRISTI MCCCCLXXXIII.

Deceſſit Patavii die 8. Maji anno 1501. Ejus corpus relatum Venetias in nobiliſſimo marmoreo ſepulcro magnæ Aræ ſimilitudinem gerente tumulatum fuit in Sacello prope porticum Eccleſiæ S. Marci, quod ſex æneæ ſtatuæ ſex virtutes Fidem ſcilicet, Spem, Charitatem, Prudentiam, Pietatem, & Munificentiam repræſentantes exornant, argumentum futuris, Baptistam Zenum, dum viveret, virtutes illas eniximme coluiſſe. Superiori vero parti ſepulcri, ſtatua item ænea Cardinalis ſpectatur impoſita ex decreto publico Veneti Senatus, cui magnam ſignatæ pecuniæ ſummam dicitur legaſſe defunctus: cui ſepulcro impar tamen tantis virtutibus hujuſmodi Epitaphium appoſuit.

BAPTISTÆ ZENO
PAULI II. EX SORORE NEPOTI
S. R. E. CARDINALI MERITISSIMO
SENATUS VENETUS
CUM PROPTER EXIMIAM EJUS SAPIENTIAM
ET SINGULAREM PIETATEM

ET MUNIFICENTIAM IN PATRIAM
QUAM AMPLISSIMO LEGATO MORIENS
PROSECUTUS EST M. PP. C.
ÆTATIS ANNO LXII. OBIIT MDI. DIE VIII.
MAJI HORA XII.

Cadaver Venetias translatum, diebus multis inſepultum atque inſigni pompa humatum fuiſſe, ſcripſit Petrus Delphinus. Singulis annis Dux Venetus, ac Purpurati Senatores cum Principum Oratoribus in S. Marci templo anniverſariis BAPTISTÆ exequiis interſunt, & de ejus laudibus, iis audientibus, habetur Oratio. Triginta tres annos vixit hic in Purpura; piis locis quinquaginta aureorum millia legavit: dum vixit, cum Tito Veſpaſiani filio dicere conſueverat, a ſe diem illum amiſſum, quo beneficium in aliquem non contuliſſet.

Petrus Bembus hæc de BAPTISTA Cardinali ad poſterorum memoriam ſcriptum reliquit, illius verba refero, quæ libenter lector percurret: *Per eos dies Patavii* BAPTISTA ZENUS *e Cardinalium Collegio moritur, grandi pecunia, argentique fabrefacti magno pondere teſtamenti tabulis ſuæ genti, & propinquis, & Sacerdotum Collegiis, & Reipublicæ relicto. Abſconderat hic Roma veniens aliquot ante annos auri libras* CCLX. *Anconæ in ædis ſacræ pariete; de eo Alexander a Senatu certior factus, aurum abſtulit.* ZENO *ad Urbem delato funus ampliſſimum publice curatum. Laudavit Angelus Gabriel; poſtea ei ex Teſtamento in Ædis Marcianæ porticu ſepulcrum ex ære ponendum locavit.* Ad hunc Cardinalis Papienſis extant Epiſtolæ quamplures; illarum una ZENUM adhuc juvenem hortatur, ne ſtudia literarum deſerat, nam *plus* ſcribit, *illæ ad te honeſtandum afferent ornamenta, quam Zenonia omnis nobilitas.*

Jo-

IX. JOANNES MICHAELIUS Patritius Venetus, Pauli II. ex altera ſorore nepos, ex Protonotario Apoſtolico Cardinalatus pileo ornatus, Diaconus præfuit S. Luciæ in Septemſoliis, ſeu Septiſolio; tum S. Angeli. A Sixto IV. Pauli Succeſſore Presbyter tit. S. Marcelli, & ab Innocentio VIII. Albanenſis primo, deinde Prænestinus, deinde Portuenſis Epiſcopus, ac Patriarcha Conſtantinopolitanus renunciatus eſt. Eccleſias Veronenſem ac Patavinam rexit, hanc ſcilicet ab anno 1485. uſque ad 1488. primam ab anno 1471. uſque ad obitum. Epiſcopatum Veronenſem repugnantibus per ſeptennium Civibus obtinuit. Illi enim aſſerebant, ſe olim a Venetorum Senatu decretum obtinuiſſe, quo cavebatur, ne Pontificis dignitas cuiquam deinceps daretur, qui apud ipſos in civitate non eſſet permanſurus. Verum poſt diutinam concertationem tandem ille voti compos factus, ut ad placandam populi invidiam, magnificentiæ ſuæ inſigne aliquod ſpecimen daret, Palatii Epiſcopalis januam in auguſtiorem formam erexit; ac ſtatuis marmoreis, & columnis exornavit, ubi hæc legitur inſcriptio.

JOANNIS MICHAELIS VENETI CARD.
S. ANGELI ET VERONEN.
EPISCOPI MUNIFICENTIA
ANNO SALUTIS MDII.

Hujus Epiſcopi opera Archidiaconatum, ſecundam & vetuſtiſſimam dignitatem in Veronenſi Eccleſia, ut Pontificum ac Cæſarum monumenta teſtantur, Sixtus IV. diplomate edito VIII. Idus Aprilis anno 1475. reſtituit. Hoc Præſule Fridericus Romanorum Imperator, cum in Germaniam tenderet, Veronam ingreſſus, in Epiſcopium a Clero, totoque Senatu deductus eſt.

Sub Innocentio VIII. contra Ferdinandum Regem Neapolitanum Legationis munus geſſit, ſuaque dexteritate plane mirabili toti Italiæ pacem jamdiu concupitam ſancivit. Sed tantæ Cardinalis MICHAELII felicitati, & ingentibus tum

tum ex ampliſſimo patrimonio, tum ex Eccleſiaſtico cenſu opibus interceſſit invidia; quare inſidiis, ac ſuaſu Cæſaris Valentini Borgiæ in Hadrianam molem conjectus veneno paulo poſt miſere periit die 10. menſis Aprilis anno 1503. In morte quatuordecim aureorum millia in ædificationem Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis, & omnem fere precioſiſſimam ſuppellectilem tum Patavinæ, tum Veronenſi Eccleſiis legavit. Corpus defuncti Cardinalis nobile ſepulcrum obtinuit in Eccleſia Sancti Marcelli cum hac inſcriptione.

JOANNI MICHAELIO PATRITIO VENETO EPISC.
PORTUENSI S. ANGELI CARD.
AC PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOL. PAULI II.
PONT. MAX. NEPOTI, QUI IN REBUS ARDUIS,
SENATORIIS MAXIME, ELOQUENTIA
INTEGRITATE, EMINENTIQUE INGENIO PRÆSTANS
AB INNOCENTIO VIII. IN CASTRIS
CONTRA FERDINANDUM NEAPOLITANUM REGEM
LEGATUS PACEM IN MAGNAM
ITALIÆ QUIETEM COMPOSUIT. OBIIT ANNO MDIII.
DIE X. APRILIS ÆTATIS VERO SUÆ LVII.

Hunc, & Baptiſtam Zenum amicos diligebat Papienſis Cardinalis; utriſque eadem Epiſtola ſcripſit: *Studio virtutis & doctrinæ nil vel ad Sacerdotium bene gerendum, vel ad juvandam Eccleſiam, in qua novellæ plantæ Domino creſcitis, vel ad aſſequendos honores, utilius eſt. Ad retinendam quoque manſuetudinis & bonæ mentis æſtimationem; nil veſtra concordia, & mutuæ charitatis officio magis neceſſarium*. Michaelio autem ipſe idem Papienſis ſcribens hæc habet. *Video nil tibi deeſſe, quod ad bene operandum literæ ſacræ admoneant: lætatus ſum plurimum ingenio tuo, & mihi congratulor, quod amer ab eo, eumque amem, qui pleno gradu ſemita laudis ingreditur. Sic facito ſemper Joannes, & quæ intelligis, ſerva, & quæ didiciſti, operibus comproba*. Baptiſtæ vero Zenonio Cardinali. *Bonam fa-*

famam tu, & Joannes frater ſic cuſtodite, ut qui vos amant, de vobis loqui intrepide poſſint.

Fuit Michaelius vir magni ingenii, doctrinæ & pietatis cultor; doctorum hominum fautor, & pauperum pater ab ejus ævi hominibus appellatus eſt.

X. Petrus Foscarus Patritius Venetus ex Primicerio Sancti Marci Venetiarum Protonotarius Apoſtolicus primo, mox non Diaconus Cardinalis, ut ſcribit Ferd. Ughellus in ſerie Epiſcoporum Patavinorum, ſed ex Monumentis Vaticanis, atque ex Diario Sixti Presbyter Cardinalis tit. S. Nicolai inter Imagines, deinde ex Ciaconio S. Sixti, a Sixto Romano Pontifice renunciatus eſt. Hic jam antea fuerat a Paulo II. in ſacrum Cœtum Cardinalium aſſumptus, ſed quia ab illo publicatus minime fuerat, Cardinalium inſignia non geſſerat, quæ tamen jubente Sixto, qui revera Cardinalibus illum adſcripſerat, geſſit anno 1477. Præfuit Eccleſiæ Patavinæ anno 1481. uſque ad obitum, quem ex Monumentis Vaticanis ſubiit die 15. Auguſti an. 1495. ad Balnea Viterbii; Romæ vero ejus obitus enunciatur die 20. ejuſdem menſis Auguſti. Cadaver Romam delatum ſepulchrum habuit in Eccleſia S. Mariæ de Populo. Ciaconius hujuſce Cardinalis obitum refert ad menſem Julii, & affirmat, quia fortaſſe in Urbe cadaver conditum, in Urbe deceſſiſſe.

FINIS DECADIS PRIMÆ

VENETORUM CARDINALIUM.

Ad

Ad Primam Venetorum Cardinalium Decadem

ADNOTAT.

PRimæ huic Elogiorum noſtrorum Parti perinſigne utique decus obtingit, quippe quæ licet ad annos fere centum ſeſe exporrigat, nimirum a milleſimo tercenteſimo ſeptuageſimo nono, quo Cardinalium Senatui adnumeratus fuit Ludovicus Donatus, uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum, quo eandem dignitatem accepit Petrus Foscarus, attamen intra dimidium dumtaxat ejuſdem ſpatii tres eximios Pontifices exhibet, GREGORIUM XII. EUGENIUM IV, PAULUM II., & præterea binos Cardinales, doctrina & ſanctimonia ita conſpicuos, ut eoſdem jure optimo dicere valeamus, Decadis ea prima Parte comprehenſæ fulgentiſſima ſydera, nimirum Antonium Corrarium, & Marcum Barbum. Illorum itaque Pontificum triadem, parque iſtud Cardinalium hoc loco illuſtrare ſuſcipiam allatis pro inſtituto meo in medium documentis, quæ in Ciaconiano Opere, unde deſumpta ſunt Elogia a me recitata, haudquaquam comparent.

Chriſtianæ pietati, qua enituerunt GREGORIUS XII. hujuſque nepos Antonius Corrarius mirifice illuſtrandæ vel unus ſatis eſſe poſſet Gregorii Corrarii, Protonotarii, libellus, quem ipſe *Soliloquium ad Deum de Vita, & Obitu beatæ mem. Antonii Epiſcopi Oſtienſis* inſcripſit. Libellum illum mihi ante aliquot annos commodaverant Cœnobitæ Ravennates Claſſenſis Cœnobii, manu exaratum Petri Abbatis Canneti, ejus Ordinis olim Præpoſiti generalis, & vindicandæ antiquitatis ſtudioſi, indeque plura depromendi occaſio mihi patuit in Epiſtola, quam ad Cl. Abbatem Jo. Chryſoſtomum Trombellium XI. Kal. Mart. MDCCXLIII. publice dedi. At nactus nuperrime ejuſdem libelli vetus exemplar in Vaticana Bibliotheca, ut ex eo uberiora modo proferam, ſuſcepti a me in hoc Opere argumenti ratio poſtulat. Late primum, & valde teneris ſenſibus mœrorem ſuum explicat Corrarius ex morte Antonii Cardinalis, patrui ſui, deinde ei deplorandæ initium facit magnam enarrans lætitiam, qua affectus antea fuerat, quod idem Patruus ſuus Romæ ex morbo alio lethali convaluiſſet. *Siqui præter ſpem*, (ita Deum alloquitur) *ex graviſſimis morbis evaſerunt, cariores quodammodo poſtea ſunt, ipſius periculi recordatione. Quod olim in famulo tuo Patruo meo, quem nunc lugeo, expertus ſum. Ægrotavit enim Romæ ante annos* XIV. *vehementiſſime, ſicut voluiſti exercere ſervum tuum; cumque ſuſcepti Sacramenti Eccleſiæ tuæ afflictum corpuſculum cum*

cum morte ipſa luctaretur, & nos triſtes, ipſe lætus obitum ſuum operiremur, biduoque ſine cibo, & ſomno pæne exanimatus jaceret, niſi quod interdum junctis manibus, ut poterat, orare videbatur; reſtituiſti eum mirabiliter per orationes, & lacrymas ſervorum tuorum, quæ pro eo plurimæ coram te jugiter fundebantur. Quod nullus medicorum, nemo noſtrum, non a te factum, nec ipſe quidem arbitratus eſt, ſæpe illud, ut potuit, repetens, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, cupiebat enim diſſolvi, & eſſe cum Chriſto ſuo. Sed non omittam confiteri tibi miſerationes tuas de ſervo tuo. Fluctuanti inter vitam, & mortem acceſſit quidam unus ex fratribus; nos aliud dicturum rati audimus clara voce ad aurem dicere, medicos de vita ſua nihil jam ſperare, ſe quod ab eis didiciſſet, etſi aliis diſpliceret, fideliter nuntiare, ut ſciret ſibi ex hac vita otius migrandum eſſe. Quæ verba læto, atque hilari, atque ridenti vultu accipiens, magno gaudio perfuſus, ut poſtea faſſus eſt, & ſpirare, & moveri, & paulo poſt loqui cœpit. Ita cibo refectus paulatim convaluit.

Poſtquam narraſſet glorioſum hoc Corrarii patrui ſui cum morte certamen, tranſitum facit Gregorius, antequam ejuſdem obitum, qui poſt quatuordecim annos evenit, deſcribat, ad explicandam vitæ rationem ab eo ſanctiſſime actæ a pueritia uſque ad poſtremam ætatem, præſertim vero toto Cardinalatus ſui tempore, atque ita loquitur: *Bone Deus quid in eo non ſanctum vidi? quid non mirandum? in quo tu ipſe mirabilis apparebas. Talis quippe erat dono tuo. Opus, & figmentum manuum tuarum, vas purum in honore ſanctificatum, Templum tuum, & habitaculum Spiritus Sancti tui, lucerna ardens oleo miſericordiæ, digne ſupra candelabrum Eccleſiæ tuæ poſita, & lucens in domo tua. A pueritia ſua dux ei fuiſti, Domine, portio ſua, pars hæreditatis ſuæ & calicis ſui. Magno tui amore, quem tu illi inſpiraveras, portavit jugum tuum ſuave, & onus tuum leve. Cuſtodivit ſe immaculatum ab hoc ſeculo, quia tu cuſtos illi fuiſti; nam niſi tu cuſtodieris civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Mox Venetiis Monaſterio ſe abdidit cum paucis Clericis, non quidem profeſſione, ſed humilitate, & ſeculi contemptu Monachus. Ibi jejuniis & orationibus vacans, ardens tua & proximi caritate, quotquot ei donabas, hortationibus (& quod magis movebat) exemplo ſuo ad frugem melioris vitæ trahebat. Nec diu fruſtratus es vota ſua. Multi enim ſequuti ſunt clari poſtea in tuo ſervitio viri. Crevit brevi familia tua, quæ ut vitis fructifera late propagavit pal-*

palmites in vinea tua. Tibi laus, tibi gloria, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum; nam neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed tu, Domine, qui incrementum das. Exinde vocavit eum ad ſublimem dignitatem Eccleſiaſticam Patruus ſuus GREGORIVS *Papa duodecimus, qui eum a puero educaverat.* Inferit hoc loco Gregorius laudes GREGORII XII. lineis quidem paucis comprehenſas, at abunde teſtantibus ejus Pontificis ſingularem ſanctitatem, atque doctrinam, namque hoc illi texit elogium, *Homo quidem tuo munere ſanctus, & apprime in tuis litteris eruditus, ſed in Pontificatu illo per varios caſus exercitus, & commotus, qui ut ſciſſam Eccleſiam inveterato ſchiſmate reſarciret, Summo Pontificatu ſponte ſe abdicavit, nec tamen illi ſucceſſor ante electus eſt, variis jactatis ſententiis in Concilio Conſtantienſi ſuper rebus Eccleſiaſticis, quam vita ceſſit.*

Poſtea de Antonio Cardinali ita proſequitur, *Ita ad dignitatem Cardinalatus Eccleſiæ Romanæ conſcendit nulla ſua cura, nulla poſtea per tot annos delectatione. Sed qui poterat contra illius voluntatem niti, cui a pueritia parere conſueverat? Verum nihil ſibi mollius indulſit, nihil a cœpto curſu detorſit. Eadem orationum inſtantia, eadem jejuniorum & vigiliarum tolerantia, iidem mores, idem tenor vitæ, qui prius, in omnibus, imo quandoque ardentior. Itaque ad Curiam veniens non theſauros ſecum portavit, ubi fures effodiunt, & furantur, & ubi erucæ, & tinea demolitur, ſed bona ſua, dona tua, & quia tua, ideo bona, abſtinentiam, caritatem, cordis puritatem, & illam ſuam peculiarem humilitatem, comites raro viſas in Romana Curia. Vſus eſt ſemper moderata familia, & ſupellectili, ne quid in hac, aut in illa ſeculare appareret. In delinquentibus ita indulgens, ut vitia ſanari vellet. Quod ſi in aliquo fruſtra tentaſſet, ſegregabat eum a cœtu familiæ ſuæ, ne aliis noceret maculatæ vitæ contagione. Domus ſua hoſpitalis, præſertim ſervis tuis, quos totis viſceribus caritatis complectebatur. Hos fratres ſuos, hos dominos appellabat. Confluebant ad eum plurimi ex diverſis orbis partibus cultus tui cauſa ad Sedem Apoſtolicam venientes pauperes ſervi tui: nam erat nomen ejus apud illos celebre. Hos favoribus proſequebatur, & juvabat opibus, ſubſtantiolam ſuam (nam nunquam facultatibus temporalibus abundavit) non inter fratres, aut nepotes, ſed inter ipſos dividens: ab eis autem orationes fœnerabatur, & eos merendo ſui memores faciebat, nec ſatiari poterat eorum colloquiis. Quoties intendenti in eos, qui Eccleſiaſtica, aut ſeculari dignita-*

tate præeſſent, & non in pauperem in ſordido habitu, ſua illa humilitas diſplicebat! quaſi ulla major dignitas eſſe poſſit, quam tibi ſervire, præſertim in Sacerdotio.

Haud mediocriter autem contulerunt ad illuſtrandas Antonii Cardinalis chriſtianas virtutes, adhibita ad iſtarum quoquo modo moderandam auſteritatem molimina ab ejus amantiſſimo Nepote, & quænam ea fuerint explicat ipſemet hiſce verbis, *Quoties monebam in eleemoſynis habendam eſſe rationem facultatum ſuarum Spectaret Italiam ardentem bello, Curiam labantem, ſe ſenem valetudinarium. At ille ſubridens, cum ſenem dicebam, Tanto minus viatici opus eſſe reſpondebat; meque infidelem dicebat, qui de Te* (de Deo) *minus confiderem.* Moxque ſubdit, *Præterea eum virgineum illud corpuſculum, ut ſeptennis pueri immaculatum, vigiliis & jejuniis, poſtremo & ſenio confectum cerne. rem, aderam aſſiduus flagitator, hæc impediens quantum poteram. Cauſatus inſuper ſenectutem, & ſociam ſenectutis invaletudinem, vici demum, ut quempiam ex familia in cubiculo ſuo pernoctare pateretur, ut ſaltem illius cauſa (nam ſemper ſuis parum, aliorum commodis multum indulſit) diutius decumberet, ne ſenile corpus longis vigiliis contereret, & per nocturnas orationes frigore læderetur. Noctis quippe ſilentio & tenebris, te æternum ſolem, & veram lucem quærebat, dicere ſolitus optimum orationi nocturnum tempus; Quotiens ego interdiu ſanctum ſenem genubus innixum, & prolixius orantem, cum nemo alius auderet, ſtrepitu aliquo revocabam, & in ſuis lacrimis procumbentem coram te liquefacto corde, inter manus tollebam! Auſus etiam pius idem nepos, ab altari tuo, maxime per hiemem revocare: ut ſancta ſumpta eucbariſtia tua contentus, a miſſarum celebratione deſiſteret, metuens vitæ ſuæ temporali, totus caro & ſanguis. Commovebantur quippe viſcera mea, quotiens morbo aliquo tenebatur. Et tu Domine crebris infirmitatibus carnis, provehebas ſervum tuum, quas mira atque incredibili patientia, tibi gratias agens, ferebat. Vidi illum & febribus æſtuare, & viſcerum dolore vehementer torqueri: cum interim nullus gemitus, nulla ejulatio, nullum vel leve ſuſpirium ſentiretur. Sed idem eſſet habitus oris: eadem vocis conſtantia: ut ſiquis conſuetudinis ſuæ ignarus, veniſſet, leviter ægrotare de ipſius tolerantia judicaſſet: tantum labores noſtri, & vigiliæ, quas ægre patiebatur, pium ſtringebant animum, & curam corpuſculi ſui, nimias delicias nominabat. Cum vero totient adverſa valitudine tentatus eſſet, coegit eum ſemel vis doloris, quem colicon vocant, cum triduo fere nullæ medicorum artes valerent, tacite implorare auxilium clementiſſimæ Virginis matris Filii tui. Quod non fru-*

fruſtra fecit: Nam continuo non paulatim, ut ſemper alias, ſed repente nobis mirantibus, penitus abſceſſit dolor. Quod poſtea faſſus eſt, ſe multum incuſans, qui non potuerit ferre medicinam tuam peccatis, ut dicebat, ſuis clementer adhibitam.

Dilabitur poſtea Gregorius ad alias Patrui sui virtutes enarrandas in hunc modum, *Rebus temporalibus, ut caducis & momentaneis utebatur. In eis injuriam & fraudem pati, quam lites proſequi malebat. Damna vel cum gaudio ſuſcipiebat. Nunquam illum per tot annos iratum, nunquam lætitia aut mœrore, laude humana aut detractione commotum vidi. Quinque fratrum funera æquanimiter tulit. Nonnullorum ingratitudinem ita patienter ſubſtinuit, ut pro eis ſemper oraverit, nemini malum pro malo reddens. Mendacium nec dicere, nec pati poterat. Omnis ſibi ſimulatio, nec minus duæ incantarum mentium peſtes adulatio & calumnia, ut doli & fraudes diſplicebant. Non illum gratia, non timor a vero revocabat. Itaque ſæpe illum nonnullis hominibus veri dicendi & conſulendi libertas ingratum reddidit. Qui in adminiſtranda juſticia, præterquam cauſa, moverentur, piratis & latronibus comparabat. Peruſinæ civitati, & late circum provintiæ Legatus, cum ſumma integritate quantum valuit, præfuit; nihil inde reportans niſi amorem civium, & benefactorum conſcientiam. Paci enim & concordiæ ſtuduerat in factioſa civitate, & minime quieta provincia. Temporis jacturam, quia irreparabilis eſſet, damnoſiſſimam eſſe dicebat. Itaque ocio nec in verbis quidem abutebatur. Miti & liberali ingenio, longanimis, patiens, pius, integer, incorruptus, miſericors erga omnes: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, aliorum infirmitatibus compati. Facilis ad eum aditus, facilior in rebus, juſtis impetratio. Nullus a colloquio ſuo non invitus recedebat. Frons, oculi, vultus, inceſſus, humilitatem & innocentiam præferebant. Pater pauperum, præſertim ſervorum tuorum, quos omnes fovebat, quemadmodum gallina pullos ſuos ſub alis; tantum offenſionibus tuis movebatur in peccatis hominum, & ſervorum tuorum perſequutionibus. Nam tu Deus omnipotens placari potes, offendi non potes. Seipſos offendunt qui te offendunt. Nec læduntur ſervi tui in perſequutionibus, ſed in caput delinquentis iniquitas ejus deſcendit. Ceterum manſuetiſſima ejus natura zelo domus tuæ adverſus hæreticos, & totam bebelzebub ſcholam exardeſcebat: nec pati poterat hypocriſim & ſuperbiam diaboli in membris ſuis, & fraudem ſimplicium animarum. Voluit quoque ſe eccleſiaſtica dignitate abdicare, & redire ad fratres ſuos, ſervos tuos: cum ſenectutem ſuam, & alia pleraque cauſaretur, diceretque ſe inutilem rebus Eccleſiæ tuæ. Quod multis*

tis contra rationibus oppugnare ac refellere ſtudui. Nam mecum curas ſuas partiri ſolebat, exceptis donis & revelationibus tuis. Credebat enim multum mihi humilis ille ſervus tuus: & cum eſſet acris ingenii, & longe omnibus in rebus ſapientiſſimus, præ nimia humilitate, alios prudentiores arbitrabatur, nec ſolum prudentiores, ſed & meliores & juſtiores. Nam ſe peccatorem dicebat, & oculis tuis placens, ſibi contemptibilis videbatur.

Sacra etiam doctrina Antonium abundaſſe, demonſtrant quæ ſtatim ſubjungit Gregorius, *Extant etiam in litteris labores ſui multum utiles, liber ſanctus annorum filii tui, a temporali ejus nativitate: in quo multa errata diligenti ſupputatione correxit. Sed eadem humilitate nomen ſuum præſcribere noluit. Habetur autem in bibliotheca, quam inſtituit apud fratres ſuos; Cum his ergo moribus (quia voluiſti corpora noſtra ſicut veſtimentum veteraſcere) ſenuit valde, & effæto corpore, cum ætati ſuæ nemo non emeritam vacationem concederet, de Curia Romana Paduam venit, ut eſſet proximus fratribus ſuis, quam ſimul attigit, libros, quos multo ſtudio collegerat, & omnem ſacram ſupellectilem, inter ſervos tuos diviſit, quaſi jam præſagiens reſolutionem ſui corporis imminere. Quamquam quid præſagiſſe dico, ſi tu illi, Domine, revelaveras?*

Qua autem ratione cenſendus fuerit Dominus ſervo ſuo obitus tempus revelaſſe, hoc pacto Gregorius declarat, *Nam cum Paduæ aliquot jam menſes egiſſem, ſolique quadam die eſſemus, inter ambulandum, & dulciſſima ſua colloquia, Hoc anno, inquit, expediam me ab hac vita. Quæ verba cor meum tamquam terebra penetrarunt. Noveram enim ab eo nihil temere dici ſolere. Et quod ſibi terminum vitæ ſtatueret, hoc tuæ curæ relinquendum dicens, poſtremo quomodo ſciret interrogavi. Ille me intuens, & ex vultu meo perturbationem animi mei, ſubridens aliquantum ſubſtulit ex verbis ſuis aſſertionem, & ita ſe ſperare reſpondit. Curavit quoque ut duo religioſæ converſationis, ſervi tui, quos dulci caritate diligebat, eo anno ſibi preſto eſſent, & ut alter qui aberat, Paduam veniret, alter cum adeſſet, ne alio mitteretur, volens, ut clam me dixit, quod poſt ejus obitum didici, ambos ſicut poſtea contigit, morti ſuæ intereſſe. Aderam autem, cum ad eum veniſſent nonnulli Monachi ſervi tui, quibus traditurus erat monaſterium quoddam Veronæ, quod extremo vitæ ſuæ tempore aſſequuti ſunt: Maturate, inquit, nam cito moriar. Poſſum hic, Domine, ſi licet, de famulo tuo tecum queri, quod talem rem, ſi modo ei revelaveras, filium & alumnum ſuum ambage quadam celaverit. At quid ſcire pertinuit? Mul-*

Multum, Domine, ſi de animo meo veram conjecturam facere poſſum. Nihil omiſiſſem temporis, nuſquam ab illius latere, non dies, non noctes receſſiſſem: Ejus ſancta colloquia, brevi tanto bono cariturus, avidius hauſiſſem, me ſuis orationibus diligentius commendaſſem. Denique didiciſſem in dies dolendo, levius poſtea hunc dolorem ferre. Nulla non dies præviſo vulnere, me paratiorem reddidiſſet.

Sanctum obitum illum jam jam deſcripturus Gregorius, narrationem hujuſmodi præmittit, *Viſus eſt mihi in ſomnis beatæ memoriæ Bernardinus Senenſis, magnus verbi tui prædicator, qui non multo ante diem ſuum obierat, famulo tuo multum in tua caritate dilectus, & mihi per eum notiſſimus, apud cujus corpus multis miraculis glorificabatur nomen tuum. Viſus autem venire ad noſtram domum cum quibuſdam fratribus ſuis mihi incognitis, læta admodum, & ridenti facie. Ego illi occurrere, & in mutuo complexu liquefacto corde in lacrimas, Ut inquam, Pater, te libenter conſpicio! Sed fare, age, an mortuus ſis, & quid venias? Mortuus, inquit, fui, nunc vivo: venio autem viſere noſtrum Cardinalem. Præcurri trepidus ad famulum tuum, &, Venit inquam te viſere Fr. Bernardinus, & ſe mortuum fuiſſe dicit, nunc vivere. Ille gaudio perfuſus aſſurrexit: ego ſomno ſolutus. Mox, ut aliquando movent ea ipſa quæ ſpernimus, nonnullis narravi quid in ſomnis vidiſſem, adjiciens, Si Cardinalis ægrotaret, hoc mihi ſomnium mortem ejus prænuntiare forſitan videretur, ſed hoc anno non ita valuit, & nihil vanius quam ſomnia. Paucos vero poſt dies ægrotare cœpit. Ecce coram te Domine, dum refugit mens venire ad tempus illud extremum, quaſi mortem cariſſimi patris tantiſper differam, dum de vita ejus temporali loquor, multiloquio ad narrationem quoque ſomniorum lapſus ſum. Contemnant qui volunt ſomnia mea, non accuſent pietatem. Et qui legerint in his litteris lacrimas meas fratres mei, orent pro me compatientes infirmitati meæ, & fortiores me gratias tibi agant.*

Tandem obitus illius hiſtoriam brevibus verbis, quum illum ſibi dolendum magis, quam deſcribendum eſſe affirmaſſet, perſtringit, *Venerat ergo tempus quo famulo tuo pro tot ſuis laboribus & benefactis, teipſum mercedem daturus eras, qua nulla major optari, nec a te eum ſis omnipotens dari poteſt. Et immiſiſti febriculam in carnem ſuam. Agnovit continuo dona tua, & ſe vocari intellexit: petiit itaque ſacramenta Eccleſiæ tuæ, & multum illis diebus orationi vacavit. Demum quinto & trigeſimo die, poſtquam ægrotare cœperat, morte in conſpectu tuo pre-*

pretioſa , inter manus ſervorum tuorum carne ſolutus eſt , annos natus ſex & ſeptuaginta , dies quinque , a temporali nativitate Filii tui anno MCCCCXLV. XIIII. *Kal. Februarii ; Corpus ejus elatum a ſervis tuis ſine ulla pompa funeris, & ut voluit humo conditum, Venetiis, in æde ſacra beati martyris tui Georgii, apud ſervos tuos fratres ſuos, quos præcipua (ut par erat) caritate dilexit. Familiam ſuam, quod infidelitatis ſignum eſſe diceret, nigra veſte amiciri vetuit ; Hic curſus, hic finis temporalis vitæ famuli tui* Antonii Corrarii *Veneti Epiſcopi Oſtienſis, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Bononienſis nominati, quia Bononienſi Eccleſiæ aliquando præfuit.*

Hactenus Gregorius Corrarius, qui tamen Soliloquium illud concludens profitetur in animo ſibi fuiſſe, Vitam Antonii, Patrui ſui, ab ineunte ætate, & quæ poſt ejus obitum de ipſius gloria Dominus ſervis ſuis revelaverat, proprio volumini reſervare. An volumen iſtud revera conſcripſerit Gregorius, me latet; id ſcio non extare illud in Bibliotheca Vaticana, in qua præter Soliloquium, de quo dictum eſt, non aliud expiſcari mihi licuit Gregorii Opus, niſi prolixam adhortationem ad Cæciliam Virginem de fugiendo Sæculo, & Epiſtolas præterea quaſdam ad celebrem Joannem Aretinum, Apoſtolicum Subdiaconum. Quoniam vero haud exigua ſunt, quæ Gregorio debemus, non aliunde nobis comperta de ſancta Antonii Cardinalis Vita, æquum eſt, ut ex eodem Soliloquio hic etiam afferam, quæ faciunt ad dignoſcenda ipſius Gregorii ſtudia, pioſque ejus animi ſenſus, eoque magis, quod inde pariter Antonii ſanctitas clarius eniteſcet: *Sine Domine* (Deum ſic affari proſequitur, ut antea) *recolam præteritos annos converſationis meæ de tuo munere cum ſervo tuo. Veni Romam ipſum viſere adoleſcens, & pene puer, me tota caritate complexus eſt ſenex de te beatus. Nihil tunc de clericali vita cogitabam, ſed uxorem, liberos, & fumum, & ſtrepitum rerum ſæcularium, tanto inanior, quanto magis inflatus ſtudiis ſæcularibus, & artibus nugatoriis, quas didiceram, poetica maxime. Et male utebar dono tuo, ingenio meo, cum talia ſectabar a veritate auditum avertens, converſus ad fabulas, & argutias neſcio quas prurientes auribus, non ſuſtinens ſanam doctrinam, Scripturas tuas. Scripſeram quippe Tragædiam, & Terei neſcio cujus ingentem miſeriam, oblitus miſeriarum mearum, & pleraque ſtylo ſatyrico vitia carpens; cum vel in hoc maxime ridendus eſſem, vel potius miſerandus, quod plenus ipſe ulceribus, aliorum puſtulis cauterium adhibere præſumerem. Gaudebam nimis, cum verba iratæ Prognes lectorem meum vehementer commoverent. Et hic erat fructus vanitatis meæ, dum for-*

fornicarer a caſtis eloquiis tuis . Ille autem tacitus contemplabatur, non quidem hæc, quæ ſibi diſplicebant, continuo improbans, ſed caute tentans abolere veritatis amore, & Scripturarum tuarum deliciis, quas, faſtidiente ſtomacho, ferre non poteram. Verſiculos nonnunquam meos laudabat, cum ſemper in iis pudor mihi placuiſſet. Et quid ſi hæc, dicebat, converteres ad laudes Dei, & Sanctorum ſuorum celebrandas? Et ſimul aliorum opuſcula, qui de te verſu ſcripſerant, oſtendebat. Tota interim domus, ut erat ille talium rerum ſtudioſiſſimus, in Scripturis tuis verſabatur. Lectionibus aſſiduis, ut volebat, aderam, & crebris coram eo diſputationibus, quas tumidus adoleſcens contemnebam. Sed non minus poetica illa mea ſeductrix a magiſtris illis contemnebatur. Igitur pudore primum Scripturas tuas legere cepi, deinde & amore. Orabat jugiter ſanctus ille ſenex, & pro alumno ſuo, quem tibi iterum parturiebat, pias coram te lacrymas fundebat. Qui poſtquam comperit me litterarum illarum olim repudiatarum amore teneri, tibi gratias agens cepit de miſericordia tua majora ſperare; ut quem a ſecularibus litteris nonnihil revocaveras, ad clericalem vitam converteres. Itaque quotidie in ſacris ſtudiis hortabatur, utque ea ſectarer vitæ quoque profeſſione, ſuadebat. Ego vero tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Nihil tunc magis ab animo meo horrebat, quam vita clericalis. Sed angebat animum, quod in vita ſeculari ſtudia litterarum, quæ multum amabam, deſerenda eſſent; ſic enim ratio rerum tunc mearum poſcebat, & ſperabam in vita clericali poſſe aliquando in portum aliquem quietius confugere: quæ ſpes interdum vehementer urgebat. Hæc inter biennio fere fluctuavi. Vicit tandem amor litterarum. Lætatus eſt Pater meus, qui anguſtias animi mei, & pectoris mei latebras non videbat. At tu, Domine, ſcrutator cordium, cogitationes meas noveras, quales noſti cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Ignoſce, Domine, delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine. Ignoſce, Domine, quod me ab initio amor litterarum, quas melius ignoraſſem, non tua dilectio, clericum fecit. Te tamen pluſquam litteras diligebam. Et, heu! non erant illæ litteræ totæ tuæ, Domine, ſed Plautus, & Maro, & Flaccus, & Cicero, & hujuſmodi ſecularium litterarum illecebræ partem ſibi maximam vindicabant.

Atque hæc ipſa tantum Opuſcula, quæ ſuperius dixi in Codice Vaticano contineri, memorat Gregorius in iis literis, quas pariter extare dixi in eadem Bibliotheca, ſcriptas nimirum ad Joannem Aretinum, quem præceptorem ſuum vocat. Quæ notam

tam chronicam præferunt *Veronæ* 27. *Januarii* 1450. de libellis ſuis, quos ab ipſo Romam ſibi mitti petierat Aretinus, eoſdem Pontifici Pio II. legendos traditurus, hæc habet Gregorius, *Sed ut ad Opuſcula mea redeam, hæc habet Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Firmanus protector meus firmiſſimus, Epiſtolam meam, ſive librum ad Cæciliam Virginem de fugiendo Sæculo, & item Soliloquium ad Deum de Vita, & Obitu b. mem. Domini mei, Opuſcula, ut mea, ſatis elaborata, quorum alterum, videlicet Soliloquium, alias tradidi legendum Sanctiſſimo Domino Noſtro. Tu qui talia explorare potes, ſcire poteris, ſi Sanctitas Sua legerit. Si vero ea volueris, volui te non latere, unde petere poſſis.* Suos etiam quoſdam verſus mittere conſueviſſe Aretino Gregorium, ipſos tamen nuncupando Opuſcula puerilia, imo inſaniam, nomenque iſtud a Pontifice improbatum fuiſſe, verſus autem laudatos, fidem faciunt aliæ ejuſdem literæ ſcriptæ xv. Januarii 1452. in quibus hæc leguntur, *Scribis tradidiſſe legendam Epiſtolam meam Pontifici, riſiſſe ipſum, dum legere cœpiſſet, deinde progreſſum, cum legiſſet, me agriculturæ operam dare, pronoſticatum me ditiſſimum futurum, quod ſoleant homines eo ſtudio facillime ditari. Iſtud ne in contrarium obveniat, metuo. Sed cum me agricultura delectari ſcripſi, addidi protinus, ea dumtaxat, quæ eſt in cultu arborum, quæ minime queſtuoſa eſt, quaſi me fruticarium dicerem, modo hoc nomen Latinum videatur Laurentio noſtro Vallæ. Subjungis, cum de Poetica ſcriberem, improbaſſe illum, quia optaverim ſemper ſcelus illud averti ab animo meo. Relege Epiſtolam meam, ſi tamen ſervari digna viſa eſt, invenies ſcriptum, non ſcelus, ſed inſaniam.* Hærebant ſiquidem Gregorii menti Cardinalis Antonii ea monita, quibus ipſum hortatus fuerat, ut ſacra tantum ſtudia excoleret, hiſque ita ille ſe dedidit in ſeceſſu ſuo Veronenſi, dum degeret ſcilicet in Monaſterio S. Zenonis, ut ab eodem Aretino invitatus ad Romanam Curiam reviſendam, in hunc modum in literis jam jam allegatis reſponderit, *Si protrahatur bellum, deficiente crumena implorabo auxilium clementiæ Sanctiſſimi D. N. qui ſi non me audiet, quod futurum non ſpero, occulam me cum uno tantum Sacerdote in loco S. Georgii in Alga, ubi ſitæ ſunt reliquiæ cariſſimi Domini mei, ibique cum fratribus illis meis vivam, expectans verum finem.* Et in aliis literis ſuum illud propoſitum confirmans, profert Virgilianos hoſce verſus,

Me ne ſalis placidi vultum, fluctuſque quietos
Ignorare jubes?
Et cæli totiens deceptus fraude ſereni,
Nuſquam tuta fides.

Vix hæc ſcripſerat Gregorius, quum, etſi ſuo illo otio contentus, tranquillam vitam in Zenoniano Cœnobio, cujus erat Abbas Commendatarius, duceret, Pius II. ad Vicentini Epiſcopatus infulas eundem vocavit. Has poſt quinquennium cum Patriarchalibus Venetæ civitatis commutare adactus fuiſſet ex Patriæ ſuæ poſtulatione, niſi vix electus fato ceſſit in eo ipſo Cœnobio. In Italia Sacra nuperæ Editionis collaudatur admirabilis ingenii vis, ac propemodum divina ejuſdem Gregorii, recenſenturque, ubi de Venetiarum Patriarchis, ipſius lucubrationes cum ſoluta, tum adſtricta oratione, nec ullam in eo cenſu mentionem fieri legimus de prolixiori illa Antonii patrui ſui Vitæ deſcriptione, quam pollicitum ipſum fuiſſe vidimus. At præſtat earundem lucubrationum indicem recitare ipſiſmet verbis, quibus uſus eſt Gregorius earum author ad calcem Epiſtolæ ad Cæciliam Virginem. Sunt autem iſta, *Scripſi Prognes Tragœdiam anno ætatis meæ decimoctavo, quam poſtquam edidi, nihil non ſperavit de me Victorinus* (laudaverat paulo ante Victorinum Feltrenſem, præceptorem ſuum) *cadebant legenti ubertim lacrymæ. Scripſi etiam, dum adbuc Mantuæ eſſem, ſtylo ſatis ſatyrico de educandis & erudiendis pueris, deinde diverſis in locis diſtractus Satyras ſex, & Carmen Lyricum ad b. memoriæ Martinum Papam Quintum, quo ſuadente Eccleſiaſticam vitam agere inſtitui. Poſtea vero ad Eccleſiaſtica converſus, multa legi, pauca ſcribere potui. Ita demum a Romanæ Curiæ fluctibus quartumdecimum poſt annum rediens, collectis ingenii viribus, tanquam naufragis mercibus pergam lucrum exequi cum fœnore, & damna retroacti temporis reparare.* Reparavit utique, præſertim ſcripta Epiſtola ipſa ad Gonzagam Virginem, Soliloquio quoque ad Deum, & demum Parœneſi ad Novitium Carthuſianum, quam memorat initio ejuſdem Epiſtolæ, doletque nihil illam profeciſſe, quia Novitius relicto Cœnobio ad ſæculum rediit.

Tot, & tanta decora, quibus Corraria progenies brevi temporis ſpatio Venetam Hierarchiam exornavit, magnum præterea incrementum cepiſſe ex Cardinalibus eidem familiæ ſanguine conjunctis, quos Gregorius XII. renunciavit, docent elogia ex Ciaconiano Opere recitata nimirum Angeli Barbadici, & Petri Mauroceni, multoque magis Gabrielis Condulmerii, qui ad ſupremum Pontificatum aſcendit, nomenque ſibi in eo ſumpſit EUGENII Pontificis. Merita EUGENII præclara, præſertim in juvanda re literaria, occaſionem extollendi mihi præbuit ante aliquot annos Dominicus Georgius, Romanæ Curiæ Præſul doctiſſimus, quod iſtum comperiſſem in libro, quem recens ediderat, de Nicolai V. Pontificis Vita, & in Diſquiſitione ad ejus calcem

ad-

Digitized by Google

adjecta, de patrocinio, quod idem Pontifex literis, & literatis benigniſſime impendit, ejuſcemodi elogio eundem Nicolaum ex eo patrocinio donaſſe, ut gloriam, quam ex pari cauſa EUGENIUS proximus ipſius Deceſſor ſibi vindicaverat, quodammodo obſcuraſſe ſit viſus. Inde itaque argumentum cepi Epiſtolæ ad Apoſtolum Zenum, Virum Clariſſimum, cuique Annales literarii adeo comperti, ut magis nemini, conſcribendæ, cujus ſcopus foret demonſtrare Nicolao V. in patrocinio literatis hominibus impertiendo EUGENIUM IV. ducatum præbuiſſe. Hujuſmodi autem provincia ſat bene me functum putavi, primum recitato catalogo Virorum pariter Græcis, Latiniſque literis eruditiſſimorum, quos conſtat EUGENIUM ſibi valde familiares habuiſſe; & præcipuos ex Platina hoc ordine recenſere habui, Leonardum, & Carolum Aretinos, Poggium Florentinum, Auriſpam Siculum, Georgium Trapezuntinm, Blondum Forolivienſem. Deinde hiſce addidi Antonium Luſcum Vicentinum, Bartholomæum a Monte Politiano, Cintium, vel Cencium Romanum, & præterea Maphæum Vegium Laudenſem, quem idem Pontifex in Datarii munere, quo a Martino V. inſignitus fuerat, perſiſtere fecit, necnon Leonardum Datum, quem Franciſco Cardinali Condulmerio, ſuo ex fratre nepoti, Secretarium aſſignavit: Magna hujuſcemodi lumina (ita ſubdidi in ea epiſtola poſt allatum eum cenſum) retuliſſe ſatis eſt, ut quiſquis illico percipiat, eos ipſos Viros doctos, qui laboribus ſuis Nicolai V. tempora decorarunt, celebre jam nomen, decuſque geſſiſſe EUGENIO Pontifice, huncque propterea diligentiſſime curaſſe, ut iidem doctrinæ ſuæ radiis Romanæ præſertim Curiæ ſplendorem afferrent. Allegavi inſuper ad meum illud argumentum magis, magiſque comprobandum quæcumque digeſſeram in libro, cui titulum feci, *Monumenta literaturæ Epiſcoporum Venetæ ditionis, qui Franciſci Barbari ætate floruerunt*; oſtendique, uberem eorum Antiſtitum proventum non ætatis tantum illius felicitati deberi, ſed EUGENII etiam Pontificis munificentiæ. Iſti quoque magna ex parte adſcripſi proventum Patritiorum Venetorum, qui videlicet Toga licet induti magnam cepiſſe curam & ipſi ſunt viſi, ut in literarum bono ſectando, atque curando, EUGENII Civis ſui præclariſſima exempla æmularentur. Addidi, conſpiraſſe pariter per ea ipſa tempora Italiæ Principes omnes ad ea ipſa ſtudia fovenda, etſi acerbiſſimæ tunc diſcordiæ univerſam turbarent Italiam, adeout nullus foret hujus angulus, in quo tubæ, & claſſica non perſonarent, ſingularemque EUGENII laudem fuiſſe, ipſum exemplis ſuis eoſdem Principes excitaſſe, ut ſeſe doctis Viris Mæ-

Digitized by Google

cenates exhiberent. Tandem addidi, vix aut ne vix quidem ſatis laudari poſſe curam egregiam, quam EUGENIUS ſumpſit in deferenda Sacra Purpura Viris ex omni mundi plaga conquiſitis, præſtantiſſimis, atque optimis. Ad eam rem declarandam protuli verba Cyriaci Anconitani in Epiſtola edita ad calcem Itinerarii ſui, quæ hujuſmodi ſunt, *Ex omnium fidelium Regionibus, & Regnis optimos quoſcumque noverat prædignos, & ſapientiſſimos Viros delegit*. Affert poſtea Virorum illorum catalogum, atque ipſum ita claudit, *Et e Græca demum externa, egregiaque natione laudatiſſimos quoque duos & peregregie dignos delegiſſe percepimus, unum ſcilicet ex Europæ Sarmatia, quæ nunc Ruſſia dicitur, egregium Metropoliten, alterum vero Beſſarionem doctiſſimum illum Cappadocem, necnon digniſſimum Nicænæ Metropolitanæ Eccleſiæ Pontificem*. Hæc habet Cyriacus in ea Epiſtola, quæ data eſt ad Ludovicum Mediarotam, Patavinum, Patriarcham Aquilejenſem, poſtquam paulo ante ingenue ſcripſiſſet EUGENIUM in Creatione Cardinalium an. 1439. publicata, *Omnia ex Optimi, Maximique Pontificis providentia peracta*, quod ipſum Ludovicum, *& alios pleroſque ſuos, chariores quidem, & prædignos, caute ad decentiorem aliam poſthabuiſſet diem*.

Tanta EUGENII virtus, tam propenſa in optimos, præſtantiſſimoſque Viros propenſio, tam arcta cum Literatis conſuetudo, omnino poſtulant, ut, quod alibi feci, hic quoque redarguam impudentiſſimi Poggii Florentini maledicentiam; quippe qui in libello, quem *de Hypocritis* inſcripſit, iiſdem abundaſſe calumniatur EUGENII Pontificis palatium, ac proinde ſanctiſſimorum hominum famæ, qui illud adire conſueverant, minime parcit, non Ludovici Barbi Abbatis S. Juſtinæ, non Joannis Dominici Cardinalis ex Ordine Prædicatorum, non Lucæ ex domo omnium Sanctorum Florentiæ, Familiæ ſcilicet Obſervantium, Cardinalis, non Ariminenſis Epiſcopi EUGENIO admodum accepti, non Ambroſii denique Camaldulenſis, quos omnes Hypocriſin redoluiſſe contendit. Redolet imo nota iſta cenſoria putidiſſimam Poggii calumniam, quandoquidem adeo viri illi ab eo vitio abfuerunt, quod ipſis Poggius impingit, ut eoſdem nominaſſe virtutem ipſam laudaſſe ſit. Eo autem magis laudanda in adſciſcenda ſibi probatiſſimorum hominum conſuetudine EUGENII virtus, quod incidit ejus Pontificatus in tempora, quorum aſperitas triſtiſſimam reddidit Romanæ Curiæ faciem, adeo ut B. Ambroſius, Camaldulenſium Eremitarum Præfectus generalis, etſi magni fieret ejus doctrina & pietas a Primatibus ejus Curiæ, dum in ea degeret, acerbiſſimas tamen in Epiſtolis ſuis queri-

rimonias ingeminare comperiatur, quod ex Curiæ illius negotiis evadere, & *ad felices, vetereſque Scripturarum delitias* redire flagrantiſſime concupiſceret. *Verſor* (ajebat ille in Epiſt. XLVIII. ad Hieronymum fratrem lib. X.) *in ſtercore infimarum curarum, & cogitationum .... Non quidem deeſt benevolentia omnium in me; ſed quid iſta ad propoſitum meum? Odi jampridem iſtiuſmodi nugas, atque ut bis adducam, aut applicem animum, induci nunquam potero*. Tanta temporum calamitate opus fuiſſe pæne dixerim, ut magis emergeret EUGENII IV. provida ſolertia, Summo utique Pontifice digniſſima, in parando ſibi eorum hominum conſortio, qui cultior, atque ſapientior ejuſdem Curiæ portio haberentur, & forent, alienique non ab hypocriſi tantum, ſed ab aſſentationis etiam vitio, cui plerumque obnoxios eſſe chariores Principum familiares quotidiano experimento edocemur. EUGENIUS enim id præſertim a familiaribus ſuis, quibus nempe uteterur in gravibus rebus tractandis, depoſcebat, ut vel inter cœnandum ſibi patefacerent, *Quid in Urbe fieret* (Platinæ verba ſunt iſta) *quid de Pontificatu ſuo ſentirent homines, ut errata ſua vel ſuorum, ſiquid perperam factum eſſet, emendaret*. Quænam, amabo, major animi excelſitas, atque magnitudo?

EUGENIO IV. par ac GREGORIO XII. obtigit felicitas, nimirum, ut quem ambo ſuum ex ſorore nepotem ad ſacram Purpuram vocaſſent, ita bene, ac ſapienter educarent, iis dotibus inſtruerent, ut digni & ipſi fuerint judicati, quibus Supremus Pontificatus, quem Patrui adminiſtraverant, deferretur. Berlola enim GREGORII XII. ſoror Gabrielem Condulmerium, qui poſtea EUGENIUS IV. progenuit, Petrus autem Barbo, poſtea PAULUS II., Polixenam EUGENII ſororem matrem habuit. PAULI II. (nam de eo modo dicendum) Geſtis illuſtrandis, & vindicandis incubui ante decem annos, quo ipſo tempore Pontificia Comitia poſt obitum Clementis XII. haberentur. Ex eo igitur Opere, meo quippe fundo, libere deſumam pleraque omnia quotquot ad præſens argumentum facient. Vitæ PAULI ibidem allatæ ex manuſcripto Codice Angelicæ Auguſtinenſium Bibliothecæ, ſex Capita præmiſi, in quibus annixus ſum eum Pontificem adverſus Platinam, alioſque obtrectatores ita defendere, ut inpoſterum eorum livor obmuteſcere adigatur. PAULUM illi ſunt inſectati præſertim quod ab eo male habitos fuiſſe contendant Viros literatos; indeque & ipſe Vindiciarum mearum initium poſui, oſtendique infenſum non literis eum Pontificem ſe præbuiſſe, ſed ſceleſtæ quorundam Romanorum Academicorum opinioni, ſeu dogmati de volu-

luptatibus ſectandis, quibuſque cuique fas fore prædicabant pro arbitratu ſuo uti. Eam licentiam Fauſti Sabæi verſus iſti declarant;

En afferte ſales, dicteria, ſcommata, riſus,
Danda voluptati eſt craſtina tota dies.
Et quia præ foribus ſtat mors inopina, bibendum eſt,
Occupet impotes ne via longa necis.

Tantæ nequitiæ addiderunt Academici illi crimen conſpirationis in ipſius Pontificis vitam. Damianus Tuſcus, quem Callimachum appellabant, atrocitatis illius præcipuus architectus eſt habitus; Pomponium autem Lætum Secta illa Principem ſuum agnoſcebat. Iſte adeo deperiſſe comperitur ethnicos ritus, ut in more haberet natalem urbis Romæ diem celebrare, quin Romulo aram conſtruere, perinde ac ſi huic poſt exceſſum ſuum Proculo, ut ſcribit Cicero de Legibus, ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari dicenti, fidem præſtaret. Studia literarum tantopere PAULUS adamavit, Hiſtorias præſertim, quarum ipſe percurioſus erat, ut poſt cœnam, poſtque recenſita domeſtica negotia, ad non modicas noctis horas iiſdem lectitandis vacaret. Argumenta autem PAULI erga literas, & erga Literatos, quos pietas, probique mores adornarent, munificentiæ, adeo non defuerunt, ut Philelphus pro oblata ei Pontifici Pædiæ Cyri verſione quadringentorum aureorum munere ab eodem affectus, Leonardo Gripho Epiſtolarum ſuarum lib. xxx. ita ſcripſerit, *Vix dici queat, quantam iſta res voluptatem mihi attulerit, cum animadvertam, Viris eruditis magnam ſpem eſſe repoſitam in tanti Pontificis graviſſimo judicio, ac munificentia. Jam omnis bonarum artium, & eloquentiæ dignitas, poſt unius Nicolai V. Pontificis Maximi obitum tanquam obſoleta interierat, quæ nunc felicioribus auſpiciis reviviſcens germinat, ac floret, & in uberrimam, optimamque frugem coaleſcit.* Inſignia æque fuerunt beneficia, quæ contulit PAULUS in Georgium Trapezuntium, Flavium Blondum, Theodorum Gazam, Andream Epiſcopum Alerienſem, Bartholomæum Siccum, & Jo. Antonium Campanum. Poſtremus iſte, cujus nemo ignorat quanta fuerint ea ætate erga Rempublicam literariam merita, in Epiſtola, quæ initium facit Epiſtolarum ejuſdem Tomo V. teſtatur ſibi PAULO gratias agenti ob Sacerdotium, quo donatus fuerat, S. Euſtachii, ita ab eo Pontifice reſponſum fuiſſe, *Ecquid, Campane, Cardinalis fieri non optares? Innitere diſciplinis, & virtuti, quod facis, incumbe, nam tui memores docebimus aliquando nos eſſe; dedimus hoc Senenſi, mox cernes nos aliquid tibi contuliſſe.* Poſt hæc omnia latius deducta in primo Vindiciarum Capite, illud hiſce verbis concluſi, Pietas,

tas, probique mores ſi Platinam, & alios, quos ipſe a PAULO vexatos fuiſſe conqueritur, pariter commendaſſent, nulla eſt ambigendi ratio, eoſdem æque beneficum Pontificis erga ſe animum experturos fuiſſe.

Graviſſimam aliam adverſus PAULUM accuſationem inſtituit Jacobus Cardinalis Papienſis ob abrogatas ab illo leges, quas una cum cæteris Cardinalibus in Conclavi conſtituerat, atque juraverat, eidemque repellendæ Caput ſecundum Vindiciarum deſtinavi. Ad eam abrogationem PAULUM proceſſiſſe *aliena magis inſtigatione, quam ſuo propoſito* fatetur idem Cardinalis, inſtigatione videlicet duorum Præſulum, quorum ita meminit, *Erant inter miniſtros ejus domeſticos Stephanus Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtes, & Theodorus Tarviſinæ Epiſcopus, qui videntes deſideria ſua his legibus impediri, quod numerus Cardinalium juſto major nonniſi longa expectatione rediturus ad legitimum videretur, ſimulato in Pontificem affectu agere cum eo de iis abrogandis cœperunt; indignum ajentes Vicariam Chriſti poteſtatem humanis conditionibus ſubdi, ipſumque non tam ſui arbitrii, quam alienæ moderationis miniſtrum videri, quærendam libertatem eſſe, idque agendum, ut auctoritatem Eccleſiæ apud ſe, non Cardinales eſſe, omnes agnoſcerent*. At dum in Præſules illos conſilii a PAULO capti culpam refundit Papienſis, hoc ipſo probat, & PAULI factum illud omni propemodum culpa vacaſſe, quandoquidem amborum integritas, & doctrina ſingularem vel ab ipſo Papienſi laudem promeruerunt. Hic ſiquidem in Epiſtolis ſuis Stephanum Nardinum, Archiepiſcopum Mediolanenſem, *integerrimum, atque eruditiſſimum appellat*; idemque totus eſt in evehendis ad Cœlum virtutibus Theodori Epiſcopi Tarviſini, dum ejus obitum, ad Cardinalem Beſſarionem ſcribens, deplorat hiſce inter cetera verbis uſus, *Grandem jacturam ſors noſtra hujus obitu fecit, nec eſt redemptura quod perdidit. Invenire eſt, qui doctrina tantum excellant, & qui eloquentia, & qui uſu rerum, & qui ſola integritate vitæ; at vero qui omnibus clareat hiſce, & operoſum, & rarum. Accedebat in Tarviſino ſumma religio, ſumma charitas, ſummus zelus*. Et paulo poſt, *Si ergo Romanus Pontifex qui experimentis quotidianis hominem totum verſavit, tanta illius virtutibus tribuit, quid a nobis convenit tribui, qui ſola extrinſeca intuentes, uno omnium judicio illuſtria putabamus?* Poſtea immenſo deſiderio ſe flagraſſe ſubdit, ut aliquando Theodorus *nobiſcum* (inquit) *ſederet ad Romanæ Sedis conſilium; debitus enim hic gradus, honorque ei fuerat futurus aliquando, ſi mors eum non prævenifſet. Magna autem Senatui noſtro fuiſſet fa-*

cta

Eta acceſſio, ſive actionem quæras, ſive conſilium. Præteritæ, præſenteſque adminiſtrationes ſuæ hoc de illo nobis ſpondebant. Hæc, & alia, quæ in ea Epiſtola leguntur, haud leve argumentum nobis miniſtrant conjiciendi vel ipſum Papienſem tandem agnoviſſe, leges, de quibus agitur, abrogatas a Pontifice fuiſſe non quidem temere, ſed Eccleſiæ utilitate ita omnino poſtulante. Juvatur ea ipſa conjectura ex aſſenſu, quem certo liquet Cardinales omnes ei abrogationi præbuiſſe, uno excepto Joanne Carvagial, *Qui* (hæc habet Papienſis) *Portuenſis Eccleſiæ Antiſtes, annoſque jam ſeptuaginta natus, quod juvenem ſe non feciſſe meminerat, ut nulla de cauſa mutaret ſententiam, id jam ætatis non commiſſurum reſpondit*. Inter illos autem Cardinales, non alios acceptiores PAULO fuiſſe demonſtravi in eo ipſo Capite, quam eos, quibus eximia inerat prudentia, integritas, & virtutum omnium copia, laudavique ad hanc rem Gaſparis Veronenſis teſtimonium in libello, quem ipſe ex Vaticana Bibliotheca in lucem eduxi, quo ſcilicet elogium texitur Cardinalium, qui vitam apud PAULUM Pontificem ducebant, Apoſtolicæque Sedis negotiis ab eodem frequentius adhibebantur. Recenſentur autem ibidem Gonzaga Mantuanus, Angelus Capranica, cognomento Reatinus ab Epiſcopatu, quem gerebat, Franciſcus Picolomineus, Pii II. ex ſorore nepos, Jacobus Thebaldus, Cardinalis S. Anaſtaſiæ dictus, Nicolaus Fortiguerra, Theanenſis, ab Epiſcopatu nuncupatus, Guilielmus de Eſtoutevilla, Gallus, de quo poſtquam loquutus fuiſſet Gaſpar Veronenſis, ita ſubdit; *Nam, ut ſupra diximus, PAVLVS II. bonos, liberaleſque, & ſacroſanctiæ Eccleſiæ cultores amavit*. At non aliud in eo Gaſparis libello luculentius elogium, quam Cardinalis Beſſarionis; hunc autem ea complexus eſt PAULUS benevolentia, quam indicant hæc ipſius verba, *Quam largus, munificuſque eſt in eum PAVLVS Secundus*. Hujuſcemodi conſiliariis, atque adminiſtris uſum fuiſſe eum Pontificem in Republica gubernanda, ſat palam evincit, quæ potiſſima habebatur inter leges ab eo, aliiſque in Conclavi juratas, nimirum, ut graviora quæque negotia *ex Fratrum conſilio* a Pontifice peragerentur, hanc, inquam, legem exacte a PAULO obſervatam fuiſſe. Nec eidem dandum eſt vitio, quod legem aliam neglexerit, qua ſcilicet cavebatur, *Neminem quoque aſſumere* (in Cardinalem) *qui non trigeſimum annum excederet, quique non profeſſus eſſet vel Pontificium jus, vel Civile, vel Literas ſacras, nec niſi unum, eumque hujus generis hominem de cognatione ſua eligeret*. Verum enim eſt tres e cognatione ſua cooptatos fuiſſe a PAULO inter Cardi-

dinales , videlicet Barbum patruelem , ſeu ex fratre nepotem , & Zenum , ac Michaelium nepotes ex ſororibus ; at præter magnas , quibus omnes iſtos cumulavit laudes Cardinalis Papienſis , ut patet ex literis a Ciaconio in eorundem Elogio recitatis , plauſit inſuper ipſe , ut diſcimus ex aliis ejuſdem literis , eorundem cooptationi , quod minime certe feciſſet, ſi tunc in priſtina ſententia perſeveraſſet, leges illas abſque flagitio a PAULO infringi haud potuiſſe. Ita ille ad eundem Barbum , *Ago gratias omnipotenti Deo , Reverendiſſime Pater , quod tandem me eſt conſolatus , & tandem viderunt oculi mei , quod illis hoc quadriennio fuit in voto . Aſſumptus eſt ad Cardinalatum Pater meus , Dominus meus , dilectus meus , quo mihi in toto Clero nihil ſuavius . Gratulor Eccleſiæ , quæ habitura eſt Cardinalem exemplo , & vita præſtantem . Gratulor & mihi , qui Collegam ſummi amoris , & ſummæ pietatis gratia Dei ſum conſecutus . Benedictum ſit nomen ejus in ſæcula . Doleo in publicatione hac honoris tui non affuiſſe . Excepiſſem te oſculo , & complexu , non quali vulgus amicorum communium ſolet , ſed quali Papienſis facit , cum amat ex animo . Quod nunc fieri non potuit , fiet mox me redeunte . Interim præmitto has breves infinitæ meæ lætitiæ indices .* Pari officio cum Zeno , & Michaelio eundem Papienſem defunctum fuiſſe , nullus eſt dubitandi locus , nam ambos æqualiter amabat , ambos æqualiter hortabatur ad ſtudia pietatis , & doctrinæ , amborum erga ſe benevolentia æqualiter gloriabatur , ambos denique ceu Purpuræ deſtinatos , eaque dignos contemplabatur , dum ad eoſdem ita ſcripſit , *Studio virtutis , & doctrinæ nil vel ad juvandam Eccleſiam , in qua novellæ plantæ Domino creſcitis , vel ad aſſequendos honores utilius eſt . Ad retinendam quoque virtutis , & bonæ mentis æſtimationem nil veſtra concordia , & mutuæ charitatis officio magis neceſſarium .*

PAULO ab avaritiæ nota vindicando Caput tertium Vindiciar. aſſignavi , in quo poſtquam adnotaſſem magnificæ beneficentiæ argumentis , de quibus ſuperius dictum eſt , erga literas , & literatos ab eo Pontifice exhibitis , alia multa addi debere , quæ præſtitit cooptatus inter ſacri Senatus Patres , verba Canenſii , authoris Vitæ a me in lucem editæ , exſcripſi de ingenti pecuniæ vi ab eodem impenſa in Eccleſiam S. Marci exornandam , quæ hujuſmodi ſunt , *Vetuſtum , ac deforme Templum Beati Marci politiſſima arte ipſe undique exornavit , feneſtraſque marmoreas vario vitro contextas deſuper erexit . Subtectum ſplendidiſſimo , ac depicto opere contexuit , plumbeiſque tegulis deſuper totum cooperuit . Addidit inſuper Ædes juxta magnifico , ac ſumptuoſiſſimo opere cum horto ſimul adnexo . In quorum auidem opere C. & XVI. millia aureorum , & eo amplius per-*

perſolvit, ut ab iis accepimus, qui ejus operis computa ſervarunt. Recenſui deinde ex eodem Canenſio pias complures ejus Pontificis erga omnium hominum ordines, qui iiſdem indigerent, largitiones, *Fuit inſuper* (ait Canenſius) *erga pauperes benignus, & munificus, crebrioreſque eleemoſynas tantulum elargiri ſummo aſtu conatus eſt, profeſſus aliquando inter ſuos ſecretiores, nulla magis in re certius ſperare, quam in hujuſmodi miſericordiæ opere, quoniam hoc tantum ſuum fore confidebat*. Quis unquam (ita Caput illud tertium concluſi) non miretur, avaritiæ ſuſpicioni potuiſſe Pontificem illum ſubeſſe, cujus extarent tot, & tanta, tamque accepta Deo, hominibuſque liberalitatis argumenta in Deum, in ægrotos, inopes, & humana ope deſtitutos homines, in Reges ipſos, & Principes, in S. R. E. Cardinales, & Prælatos, in re Chriſtiana adverſus Turcas tuenda, in Annona procuranda, in Arcibus conſtruendis, aliiſque peragendis, quibus publica utilitas continetur? Papienſis Cardinalis, qui ex iis eſt, qui in Commentarior. lib.II. PAULUM in congreganda pecunia cupiditatis incuſat, ipſe tamen in Epiſtola, quæ nonageſima eſt inter Epiſtolas ejuſdem, fatetur, eum Pontificem, dum maximopere anniteretur pro obtinenda a Principibus certa pecuniæ ſumma annis ſingulis, quandiu bellum Turcis inferretur, pendenda, præclarum liberalitatis exemplum ediditſe, *Ipſe, ut exemplo aliis eſſet, centena millia aureorum annua repromittens, & plus ſibi quam aliis imponens*. Sponſionem hanc Pontificis confirmant verba, quæ ipſe fecit in Allocutione ad Scanderbechum Principem, legiturque iſta inter Papienſis Epiſtolas, *Fecerunt ante Nos ſancti Paſtores, qui nos præceſſerunt, quod eorum tulit facultas, ſed ſoli ad tantam rem non ſuffecerunt, ſperantes exemplum ſuum cæteros ſecuturos, impenderunt Deo, quod habuerunt. Nos quoque ad Pontificatum hunc noſtrum, quem non ultra quam XXII. menſem tenemus, egeni omnium venientes, quod undique potuimus contrahere, ad hoc ipſum larga manu contulimus. Aureorum annua millia centum anno proximo ad Hungaros miſimus, præſenti quoque multis millibus eos adjuvimus*. Hæc habet PAULUS in ea Allocutione, quæ manifeſto documento ſunt, eundem, ſiquidem poſſidendi amore teneretur, multo majori tamen cupiditate flagraſſe conferendi e pecunia beneficia, unde pecuniam quidem poſſidere, non vero a pecunia poſſideri, omnium judicio exiſtimandus fuerit ea tempeſtate, & noſtra quoque exiſtimari mereatur, *Quas autem Pontifex Maximus eroget pecunias extraordinarias privatæ & occulte, quis explicabit, quæ paucis cognitæ ſunt?* Ita Gaſpar Veronenſis in libello illo ſuo Pontificis PAULI eleemoſynas proſequens.

In-

Invidiam apud malevolos homines incurrit etiam PAULI Pontificis Magnificentia, etſi ſingularem ex ea laudem promeritus certe fuerit, ut Vindiciar. Cap. IV. oſtendi. Indubiis ſiquidem documentis ibi confeci, eandem ſeu in Pontificios ornatus, ac Templorum decora a PAULO relatam fuiſſe, quod præcipue demonſtrat Mitra illa, ſeu Tiara pretioſiſſima centum, & octoginta millibus aureorum æſtimata, qua ornatus *tamquam alter Aaron* (ut maligna Platinæ verba uſurpem) *in publicum forma humana auguſtiore prodibat*; ſeu in exquiſitæ eruditionis cultum, cui profecto magnopere inſerviebat ampla illa numiſmatum, tabularumque, & ſignorum, quæ apud antiquitatis amatores in pretio ſunt, ſupellex, quam idem Pontifex ingentibus ſumptibus ſibi paravit, ea eruditione adeo ipſe præditus, ut in Cæſarum numiſmatibus primo aſpectu eos probe dignoſceret, ipſorumque nomina declararet, Summos præterea Pontifices tenaciſſima memoria complecteretur. Magnificentiam pariter exercuit in publicarum ædium ſplendorem, & in hoſpitalitate erga magnos Principes. Etenim magnifice admodum excepit Fridericum Imperatorem Romam voti ſolvendi cauſa ingreſſum, pariter Borſium Marchionem Ferrarienſem, qui Ducis titulum a Pontifice aſſequuturus advenit, inſuper Petrum Raimundum, Catalanum, Summum Crucesignatorum Rhodienſium Principem, de componendis diſcordiis in ea Religione exortis ſollicitum, ac tandem Fridericum, Regis Siculi filium, Principem Tarentinum, Mediolanum ad jungendas cum Ducis illius filia nuptias proficiſcentem, eaque deſponſata ad proprios lares remeantem. Impenſa in hæc omnia Magnificentia vitio certe verti non debet, ſed laudi, cujus ſi neque expertes eſſe debere dixero ludos, & epulas, aliaſque hilaritates a PAULO ad ſuam erga Populum Romanum benevolentiam oſtendendam, id eo juſtius fecero, quod ex Canenſio, *Fuit autem in ipſis conviviis tantus ordo, & taciturnitas, ut nihil prorſus in eo factum, dictumque incommode ſit*. Eſt vero quod non ſingularem tantum, ſed maximam laudem promereatur, videlicet PAULUM adeo in omnes magnificum ſe exhibentem, ſummopere caviſſe, ne aliorum erga ſe liberalitate ſua illa virtus quoquo modo inficeretur. Quam valde abhorruerit iſte, ne doni loco acciperet vel Vaſcula, Toreumata, Numiſmata, & alia hujuſmodi cimelia, teſtem luculentiſſimum ſe nobis præbet Cardinalis Papienſis, qui de rebus illis in Epiſtola ad Helianum Spinulam loquens, hæc PAULI Pontificis verba ad ſe de eodem Heliano dicta refert, *Emere mos noſter eſt, & fuit ſemper, quæ nobis deſiderio ſunt, ac pro re placita liberaliter pendere. Optamus operam-*

rante te hanc voluptatem nobis animi præſtet , ut pretium capiens det ipſe quod habet . Ac poſtea ſubdit Papienſis, *Exploratum mihi eſt , nihil illum dono accepturum ; pretia cujuſque rei exquiret, & ex his eligens, quæ fuerint placita, pecuniam pendet , perinde gratias agens , ac ſi dono data eſſent omnia* . Præmiſerat huic narrationi Papienſis hæc alia PAULI verba , *Donari nobis non petimus aliquid, neque enim dona accipimus, niſi quæ eſum, potumque habeant* .

Praeclaras PAULI actiones, unde innoteſceret ipſum magnopere commendandum eſſe ex Magnanimitate Principe digna proſequutus ſum Vindiciar. Cap. V. ita illud exorſus, Is, qui ad Magnanimitatis decus, & gloriam eſt pervaſurus, principio oportet ſit ab ipſa natura ad hoc munus genitus, deinde eam ſortiatur inſtitutionem , qua naturales illi ſtimuli acuantur, ac tandem in ea Patria naſcatur , alatur , educeturve , qua magnis muneribus, & laude, ac commendatione dignis obeundis idoneus reddatur. Hæc ex Pontano lib. I. de Magnanimitate. Eadem profecto in PAULO felici nexu conjuncta fuiſſe, ſtatim demonſtravi allatis in medium Canenſii præſertim narrationibus. Plures apud ipſum paginas occupant PAULI, etiam ante initum Pontificatum, erga egregios quoſque homines benefacta , *Cujus quidem rei opinio* (ait ille) *adeo de eo apud Pontificios Curiales invaluit , ut inter eoſdem frequentiſſimum illud extiterit, oportere deferri ad Petrum Cardinalem Venetum, ſi quid quiſpiam optaſſet illico, ac rite curatum obtinere* . Quam autem PAULUS, Pontifex factus, ea in alios liberalitate delectabatur, tam ipſe recuſabat ab iiſdem dona accipere, fierique iiſdem obnoxius, quare de ipſo hæc habet idem Canenſius, *Munera ipſe numquam niſi a familiariſſimis, & ea modica, eſculentaque accepit, cætera vero deſtinata remiſit, &, ne amplius afferrentur , prohibuit*. Vel a Principum, Civitatumque Oratoribus oblationes Pontifici deferri conſuetas rejecit, læta fronte, jucundaque voce aſſeverans, *Se his minime opus non habere, ſed integra fidelitate, atque obedientia erga ſe, Sanctamque Sedem Apoſtolicam ; imo Populis, atque Univerſitatibus publica debita magna ex parte in ſui Pontificatus initio relaxavit*. Ita idem Canenſius, qui totus foret afferendus , ſi egregia quæque Magnanimitatis exempla a PAULO edita , in medium educere animus foret . Platinæ tamen maledicentia vel eam PAULI virtutem deterere conata eſt, Pontificem redarguens, quod Cardinalis Ludovici Scarampi immenſas divitiarum copias, quas iſte maxima ex parte heredibus duobus fratribus , cognomento Scarampis , ex teſtamento reliquerat, ſibi vindicaſſet. At ſinceram ejus facti narra-

rationem exhibui in eo Cap. V. ex Gaſpare Veronenſi, qui palam teſtatur, innumerabilem illam Ludovici Scarampi pecuniam, quam ex bonis Eugenii ſibi iſte paraverat, jubente PAULO diſtributam fuiſſe humane, & liberaliter Eccleſiis, Ludovici nepotibus, ejuſdemque familiæ, inopibus, præſertim virginibus maritandis, & Pannoniis pro bello Turcico. PAULI magnanimitas in rebus bellicis teſtem habet etiam Cardinalem Papienſem, etſi plerumque plus æquo faſtidioſius ejus Pontificis mores, & facta contemplatus fuerit; id forte ex mutatæ ſortis luctu, nam de Pii II. cui totum ſe crediderat, beneficentia & indulgentia ita loquitur, *Fecerat hæc, ut quo plura contulerat, plura cuperet in diem conferre. Diligor nunc & carus ſum præſenti Pontifici; commoditas tamen major in promerendis amicis erat cum Pio. Serviebam enim ſeni ſanctiſſimo, non ut Cardinalis tantum, ſed ut miniſter domeſticus, oſtendens ſpecie quidem dignitatem Cardinalatus, quotidiano autem famulatu officia filii*.

Tandem, quod plures criminationes in PAULI vitam interiorem, ac familiarem contorquere auſus fuerit Platina, eique concinens Cardinalis Papienſis, iiſdem difflandis poſtremum Vindiciarum Caput inſtitui. Reprehendunt ipſi Pontificem, quod naturam inverteret ſomnum capiendo, vigilaret ſcilicet totas noctes uſque in primam lucem, hacque tantum albeſcente cœnaret, die autem dormiret, 2. quod cibo, vinoque largius, quam par foret, uteretur, ſplendidiſque conviviis feſtivus, ac facetus diſcumberet. 3. quod corporis cultum ſtudioſius adamaret. 4. quod in valetudine curanda immoderato ſtudio uteretur, adeout pro dignoſcenda vitæ ſuæ ſorte divinationibus etiam indulgeret. Adverſus omnes haſce criminationes validum umbonem nobis ſuppeditat Canenſius, ſincerus admodum PAULI Vitæ Scriptor. Qua de cauſa noctem ad opus, & diem ad quietem PAULUS partiri ſoleret, his ille verbis explicat, *Somni namque parciſſimus fuit, ut qui perraro ſextam, ſeptimam nunquam horam obdormierit, ſolus ſemper, & a cubiculariis ſequeſtratus. Offendebatur enim matutina vigilia, noctemque ad crepuſculum uſque diei inſomnem ut plurimum protrahebat, atque hic deſtinato, nam dormitione nocturna gravius catarro vexabatur*. Subdit, longioribus præſertim diebus ſui copiam cunctis effeciſſe, *Fuit autem*, inquit, *in audiendo patiens ad multarum ſpatium horarum, ſedulus, atque hilaris, nullius etiam infimæ ſortis perſonam aſpernans, attrectanſque perſæpe, ut mos illi erat, Capitiolum, quod ei ab utroque armo dependebat. Solitus eſt inſuper inter loquendum ſales, ac fa-*

facetias pro tempore, rerumque exigentia intermiſcere. Quemadmodum in ſomno, ita in cibo capiendo PAULI parcitatem commendat Canenſius, & præſertim in bibendo abſtinentiam, *Vini*, inquit, *parciſſimus extitit, maximeque agreſti oblectatus eſt, duabus aquæ partibus ſuperinfuſis*. De ſplendidis PAULI conviviis dictum eſt ſupra. De corporis cultu mordaciora ſunt Platinæ verba, nam poſtquam ita ſcripſiſſet, *Fuit autem* (inquit) *in homine, quantum ad corpus pertinet, majeſtas Pontifice digna. Erat enim magni, ac vaſti corporis, atque ut, dum ad rem divinam proficiſceretur, ſolus emineret. Circa cultum corporis, etſi moroſus non erat, nequaquam tamen negligens habebatur*; poſt hæc, inquam, Platina id addit, *Fuere etiam qui dicerent, dum in publicum prodiret, faciem ſibi fucis concinnare*. At Canenſius PAULI corporis habitum exacte deſcribens, ita decorum, & præſtantem eum fuiſſe prodit, *ut aſſidenti vel ſtanti quædam auctoritas, vel majeſtas ineſſe videretur*, quin fucis ullis opus haberet. In curanda autem valetudine adeo modum PAULUS non exceſſit, ut eandem omnino neglexiſſe vel ipſius Cardinalis Papienſis judicio cenſendus ſit. Monuit iſte Pontificem per literas ad eum, alioſque datas, ut peſtilentiæ cauſa Romam relinqueret, *Crebri caſus* (inquit ad Pontificem ipſum ſcribens) *qui acciderunt domi Beatitudinis Veſtræ, cogunt fideles ſervos ad ſalutem Domini eſſe ſollicitos. Olim deceſſit peſte Inſignis Vir Cognatus ſuus, nuper Medicus, qui & mane, & veſperi veniebat ad menſam, nunc Joannes Condulmario, cujus erat ab officio frequens ad Sanctitatem Veſtram acceſſus. Inferioris famulatus taceo complures, quibus idem exitus fuit. Non timuit Sanctitas Veſtra, nec timet. Timemus nos, quorum vita, & quies alitur beneficio ſuo*. Deinde multa habet ad illum hortandum, ne valde fideret corporis robori, non medicorum peritiæ, non antidotis; & inter cætera, *Pio Beatiſſimo* (inquit) *datum eſt vitio, quod annis pæne ſingulis ſui magis recreandi, quam aliorum cauſa Urbem exierit*. Ad Marcum autem Barbum, Cardinalem Vicentinum hæc habet, *Ex nona Junii habeo ab Urbe literas, & poſt longum tumultum, video, pedem domo non extuliſtis. Mori videlicet vultis, non ſat adhuc territi domeſticis malis. Nova, credo, expectatis, quæ utinam non de vobis alii potius doleant, quam de aliis vos. Abite, oro, & miſeris Cardinalibus pie conſulite. Non ſat eſt poteſtatem diſceſſus illis feciſſe. Circumſtant multi neceſſario Principem. Fortunam quoque ne tentate toties, occurrit aliquando dum quæritur, nec ante eſt erroris noſtri agnitio, quam pœna*. Quid clarius ad demonſtrandum inter generoſos vitæ con-

contemptores PAULUM Pontificem eſſe adnumerandum? Divinationes omnes quam valde contempſerit idem PAULUS, deriſeritque ceu puras ineptias, ſat aperte docent literæ Joannis Petri Arrivabeni ad Cardinalem Papienſem datæ, & in hujus Epiſtolarum Volumine recitatæ; in iis enim legitur, oblata Pontifici ſchedula ſine nomine auctoris, qua ei denunciabatur, ut ſuis rebus provideret, quod ejus vita Septembrem non foret ſuperatura, Pontificem riſu eandem excepiſſe, ac ſubdidiſſe, *Auctorem, quod nomen ſuum non appoſuiſſet, mercedem amiſiſſe*.

Abſolutis in hunc modum PAULI Vindiciis, quas ſatis ſuperque futuras cenſeo ad reprimendam Platinæ, aliorumque obtrectatorum impudentiam, etſi partem illæ tantum modicam exhibeant ejus ſupellectilis, quam protuli in fronte ejus libri, cui elucubrando, ut initio dixi, Comitialis tractationis otium conſecravi; breviter hic addam præter indicatam ſuperius cauſam, cur & Jacobus Cardinalis Papienſis æquo faſtidioſius PAULI mores, & facta contemplatus fuerit, luctum videlicet mutatæ ſortis, qua idem Cardinalis ſub Pio II. fruebatur, alias etiam cauſas interceſſiſſe. Haud leviter Papienſem pupugit exorta PAULI II. temporibus adverſus ejuſdem Pii familiares tempeſtas, de qua in pluribus Epiſtolis amare conqueritur, quin tamen audeat quidquam PAULI ſeu miſericordiæ, ſeu juſtitiæ detrahere. *Studiis meis* (ita ille ſcribit ad Fabianum Montepolitianenſem) *tempora contraria ſunt. Vivo propterea in multa mentis triſtitia, & vivam, donec hic imber vexationis pertranſeat. Specie quadam boni malum grave inductum eſt. Nomen quidem ſyndicatus eſt, res perſecutionis. Non damno Pontificem, qui & juſtiſſimus eſt, & ſupra modum miſericors. Nonnullorum miniſtrorum tota eſt culpa, qui bonam mentem falſis opinionibus implent. Si de ſuo judicio cogitarent, non tam de alieno eſſent ſolliciti. Principem pium, impium faciunt, & perſecutorem dici, qui Pontificum reliquias miſericorditer ſemper protexit*. Novam faſtidii, de quo loquimur, cauſam ſumſit Papienſis ex Sacerdotiorum ſuorum diminutis ſibi proventibus a Duce Mediolanenſi, PAULO Pontifice conſcio, imo taxam ſuper eoſdem, æque ac ſuper ſpectantes ad reliquum Clerum, imperante. Amariſſimis verbis eam taxam deteſtatur pluribus in Epiſtolis ſuis, quas quicumque legerit, mirabitur profecto Cardinalem adeo ex ea cauſa exarſiſſe non in Ducem tantum Mediolanenſem, ſed in ipſum Pontificem. Qua autem ratione nemo in Papienſi probaverit animum ſæpenumero nimis faſtidioſum, & amarum adverſus PAULUM, ita vix fieri poteſt, ut illius inconſtantiam non damnet, dum iſte laudes accumulat cum cen-

cenſorio eo munere omnino pugnantes, ac proinde quæ faciunt, ut videatur una ſimul ædificare, & deſtruere. Vidimus ſupra, eundem dure increpaſſe PAULUM ob leges abrogatas, quas in Conclavi juraverat; laudaſſe tamen tres Cardinales ab eo Pontifice ex cognatione ſua renunciatos, licet unum tantum ex eadem aſſumere per eas leges fas illi fuiſſet. Vidimus, Papienſem ſeveram in Theodorum Antiſtitem Tarviſinum cenſuram exercuiſſe, quod auctor ejuſdem abrogationis haberetur, adeo ut in Commentariis ſuis divinæ ultioni tribuere non dubitaverit languorem, quo ille obiit; commendaſſe tamen eum ipſum Antiſtitem in Epiſtolis tanquam ſanctiſſimum Præſulem, & integerrimum conſiliarium, ac vehementiſſime doluiſſe Eccleſiæ ex ejus obitu jacturam. Vidimus, PAULO vitio datum fuiſſe a Papienſi, quod dies, & horas ita partiretur, ut ſuis commodis unice conſuleret; modum tamen deſideraſſe in eo vitæ contemptu, ex quo idem Pontifex adducebatur ad nihil prorſus pertimeſcendam aeris ſeu inſalubritatem, ſeu peſtilentiam. Hæ laudes, reprehenſioneſque aperte pugnant, ut dixi, adverſus ſe invicem; at nihil magis mirandum, quam Chriſtianam Papienſis ſeveritatem, cujus aculeos tam frequenter etiam levibus de cauſis vel in ipſos Pontifices acriter contorquere ſolebat, conſiſtere poſſe cum iis, quæ de delictis familiarium Pii II. ſcribit in Epiſtola ad Fabianum paulo ante allegata, *Delicta* (inquit) *ſi quæ ſunt, non ad Evangelii normam, ſed ad vitæ communis regulam æſtimes. Multa excuſat conſuetudo, quæ damnare inconſueta ſeveritas poteſt. Quod toleratum eſt in prioribus adminiſtrationibus, cur in præſentibus non toleretur? & quod illi ſine reprehenſione egerunt, cur ſine culpa noſtri non egerint? Ne ſit quæſo præſens examen antiquo ſeverius, nec ſtatuamus legem, quam ſcimus ſervatum non iri. Concludam paucis, Diſcretio, quam Joannes Caſſianus matrem virtutum appellat, in his dijudicandis tibi ante oculos ſit*. Doctores quotquot noſtris hiſce temporibus provinciam ſibi vindicarunt virulento ſtylo inſectandi invectas per alios Doctores Ethicæ Theologiæ laxitates, vix, aut ne vix quidem, ut puto, Papienſis benignitati illi veniam darent, eoque magis, quod iſte adhibitis quoque blanditiis eundem Fabianum pertentat, ut in diſcutiendis Pii familiarium factis unice ſectetur vitæ communis, conſuetudini, & diſcretionis normam, *Non uſque adeo* (ſubdit ille) *fortunæ noſtræ afflictæ ſunt, ut non remunerari gratam voluntatem tuam aliquando poſſimus. Eſt Senenſis, eſt Theaneuſis, eſt Papienſis, ſunt alii nonnulli S. R. Eccleſiæ Cardinales, qui quod boni egeris laudare, & menti man-*

mandare, & retribuere nunc, atque in poſterum velint, ac poſſint. Multo minus Magiſtri illi ſeverioris Ethices Papienſi parcerent ob ea, quæ ipſe narrat in Epiſtola ad Chriſtophorum Pratellam, videlicet ſe in Comitiis, quibus electus fuit PAULI Succeſſor Sixtus IV. nihil commiſiſſe, quo Ducis Mediolanenſis animum ſibi jure infenſum reddere valuerit; quandoquidem Cardinales, Rothomagenſem, Bononienſem, Reatinum, & Spoletinum, Ducis amicos, ſuffragio ſuo juvit, Neapolitanum vero honoris tantum cauſa, nullo vero modo Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, cui ſcilicet vices reddendas putaverat. Hæc Papienſis ſunt verba in Epiſtola illa, *Amici Principis eſſe fatebantur Rothomagenſis, Bononienſis, Reatinus, Mantuanus, Vincula. Tres primos ſuffragio meo juvi, paratus & Mantuanum, ſi voluiſſet ipſe; Vincula perſuaſione aliorum nunquam adduci potuit, ut honorare me ſuffragio ſuo vellet, qua re commotus, vices reddidi, atque ita obfirmavi animum, ut ſi Comitia ea decennium duraſſent, ſuffragaturus ipſi non fuerim, niſi paria retuliſſet. Alioquin neque Rothomagenſis, neque Mantuanus mihi unquam faverunt. Vide quæſo quales erga me fuerint, qui ſe Principis iſtius amicos, & ſtudioſos eſſe prædicabant*. Quiſnam erit, qui iſta valeat conciliare cum his, quæ de munere Cardinalis in eligendo Pontifice prodita reperimus ab ipſo Papienſi in Epiſtola ad Cardinalem Franciſcum Senenſem? Pluribus in ea explicat quomodo conatus tunc omnes, ſenſuſque Cardinalis oporteat converti, *Ut Conclavi abſoluto teſtari Deo, hominibuſque poſſimus, feciſſe nos quod optimum duximus, nec pœnitendum aliquid admiſiſſe. Hoc mentis teſtimonium pro magno ſemper Pontificatu ſit nobis*. Ex cauſa profecto parum honeſta ſuffragium ſuum conferre denegavit Papienſis Cardinali S. Petri ad Vincula, nimirum Franciſco de Ruvere, Savonenſi, etſi is eſſet, cui optime convenirent eæ ipſæ Summi Pontificis dotes, quas idem Papienſis hiſce verbis deſcribit, *A quo denique* (de Pontifice eligendo ita loquitur in ea ad Senenſem Epiſtola) *expectari merito poſſit non ſæculi faſtus, ſed Chriſtiana humilitas, non Purpuratorum mollities, ſed veterani militis durata laboribus patientia, non congregandi, ſed diſpenſandi deſiderium, non otium, ſed negotium, non ſomnus, ſed vigiliæ, non tepiditas ad opera Dei, ſed fervor, non tractatio rerum inanium, ſed pondus ſemper habentium, non poſtremo domus Dei neglectus, ſed perpetuus zelus, non imperium, ſed benedictio, non contentio, ſed pax, non faſtidium, ſed charitas*.

Supereſt igitur ut de PAULI Geſtis judicaturi non quidem fidem præſtent Platinæ, aliorumque obtrectatorum maledicentiæ, nec etiam Cardinalis Papienſis ſeu faſtidio, ſeu ſeveritati, ſed aures potius accommodent Marci Cardinalis Barbi dictis, agnoſcantque proinde in PAULO eximias illas virtutes, quibus idem Barbus teſtimonium perhibuit in Epitaphio, quod illius tumulo appoſuit. Fuit etenim PAULUS, (ita ibidem deſcribitur) præclaris naturæ dotibus avunculo Eugenio IV. non inferior, juſtitiæ, pietatis, divinarumque cæremoniarum cultor religioſiſſimus, Eccleſiaſticæ libertatis, majeſtatiſque defenſor conſtantiſſimus, præcipuo pacis ſervandæ ſtudio, & ſingulari omnis generis munerum abſtinentia clariſſimus, in Principes magnificentia, in pauperes miſericordia inſignis, Patrio more annonæ copiam Urbi dedit, Patrimonium B. Petri conſervavit, & auxit, furentes armis Hæreticos repreſſit, & quod per difficilem rerum, & temporum conditionem effici cum dignitate non poterat, matura cunctatione feliciter, & ſaluberrime diſpoſuit. Hæc omnia in eo Epitaphio Marcus Barbus, Vir profecto integerrimus, iiſque laudibus vere dignus, quas in ipſum contulerunt ſynchroni quique Scriptores, ac præſertim Cardinalis Papienſis, ut clare conſtabit ex iis, quæ ſtatim dicere incipio, quo ſuſceptæ in meis hiſce Adnotationibus ſemitæ inſiſtam.

Annus, quo Aquilejenſem Patriarchatum regendum accepit Marcus Barbus, varie in Ughellii Italia Sacra deſignatur; nam ubi agitur de Aquilejenſibus Patriarchis, hæc de illo leguntur, Marcus Barbus *Venetus, Pauli II. Pont. Max. Conſobrinus, Cardinalis S. Marci, ſucceſſit Ludovico Scarampo anno* 1465. & in ſerie Epiſcoporum Vicentinorum ita de eodem traditur, Marcus *deinde creatus Cardinalis Epiſcopatu Vicentino ſe abdicavit* 1473. *habuitque Aquilejenſem Patriarchatum.* Vir Clariſs. Bernardus Maria de Rubeis Ord. Prædicator. in luculentiſſimo Opere, *Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis* inſcripto, ea notæ illius Chronicæ varietate minime animadverſa, ſatis habuit adnotare, ex Monumento, quod vulgatum legimus apud Ughellium, captæ poſſeſſionis die 27. Aprilis an. 1465. Eccleſiæ Vicentinæ per Angelum Faſolum, Epiſcopum Feltrenſem, qui foret *Locumtenens & Comes & Viceſgerens Reverendi in Chriſto Patris & DD.* Marci Barbi *Epiſcopi Vicentini*, clare colligi, nondum fortaſſe eo menſe illius anni Barbum electum fuiſſe Patriarcham Aquilejenſem, nec etiam Sacram Purpuram induiſſe, etſi Cardinalium Collegio ipſum

an-

Digitized by Google

anno 1464. adſcriptum narret Ciaconius. Ad tollendas eas dubietates, & diſſenſiones, præſto mihi fuerunt Cardinalis Papienſis Epiſtolæ, quas ea de cauſa accuratius evolvi. Tres ex iis, quæ inter datas anno 1467. comparent, Marco Barbo Vicentino inſcribuntur, iſque in prima, nimirum ſignata num. 213. Epiſcopus tantum nominatur, in binis autem reliquis ſignatis num. 224, & num. 251. Cardinalis; qua ex re duo ſunt, quæ certo nobis innoteſcunt, ſcilicet ante annum 1467. eundem Barbum neque purpura, neque Patriarchatu Aquilejenſi decoratum fuiſſe. Epiſtolam, qua iſti gratulatus eſt Papienſis delatum ei Cardinalatum, ſuperius pag. 57. occaſionem habui recitandi, pariterque pag. 62. partem Epiſtolæ, qua vehementer eundem urſit, ut Pontificem ad Romam furente peſtilentia deferendam excitaret. Utraque iſta Cardinali Vicentino data viſitur. Alia vero, quæ eaſdem loco præcedit, Episcopo Vicentino, cui cauſam ſuam commendat hiſce verbis, *Eſt mens ejus* (Pauli Pontificis) *ad libertatem Eccleſiæ nata. Si quid tamen rogando, & monendo illum poſſe intelligis, hoc tua impetratione damnis publicis præſta. Servis privatæ cauſæ, cum curas communem, & ad hoc Deus tibi gratiam dedit in oculis Pauli, ut ſubvenires clamantium vocibus. Ego, ut verbo uno ſortem amici tui agnoſcas, proventum omnem præteriti, præſentiſque anni amiſi.* Queritur hoc etiam loco, quemadmodum alibi ſæpe, ut paulo ante adnotavi, de taxa a Mediolanenſi Duce impoſita, quam adeo ægre ferebat, ut Epiſtolæ illi hoc fecerit initium, *Amodo non tanto metui mihi ſunt Turci, quanto antea erant. Chriſtiani eadem operantur. Diripiunt illi, vexantque Eccleſias &c.* Haud minus quam epocha Cardinalatus Marci Barbi, epocha delati eidem Patriarchatus Aquilejenſis certo figi poteſt ex Papienſis Epiſtolis. Data Fulginii 26. Decembris 1471. Roderico Cardinali Borgiæ Vicecancellario S. R. E. hiſce verbis incipit, *Audio Cardinales duos noviſſime factos eſſe, Legatos vero quinque, qui ad rem Chriſtianam proficiſcantur.* Unum autem ex iiſdem fuiſſe Marcum Barbum fidem facit Epiſtola, quæ illico poſt eandem ſequitur, eaque ita inſcribitur, *Oliverio Neapolitano, & Marco Aquilejenſi Cardinalibus*. Conſtat ergo jam ab anno 1471. potitum eundem Marcum fuiſſe Patriarchatu Aquilejenſi; idque ipſum manifeſtum reddunt Epiſtolæ aliæ poſt annum illum ſeu ad Marcum, ſeu in quibus hujuſce mentio habeatur, a Papienſi exaratæ per eos triginta menſes, quibus ille Roma abfuit Legationis Apoſtolicæ munere fungens. Cum Epiſtolis vero hiſce nullo modo convenire poteſt, quod ſuperius diximus de Marco tradi ab Ughellio, illum nempe Vicentino Epiſcopatu

ſe abdicaſſe anno 1473. habuiſſeque Aquilejenſem Patriarchatum. Eæ ipſæ indubium argumentum præſtitiſſent doctiſſimo Editori Monumentorum Aquilejenſis Eccleſiæ non colligendi tantum, ut factum ab eo vidimus, *Nondum fortaſſe* BARBUM *menſe Aprili anno 1565. deſignatum, electumque Patriarcham Aquilejenſem a Pontifice*, ſed libere affirmandi multo ſerius eodem Patriarchatu BARBUM donatum fuiſſe. Quid vero? quum notæ ipſæ chronicæ, quas ex Archivis deſumptas in medium profert Editor ille laudatiſſimus, ſat clare demonſtrent Patriarchatum Aquilejenſem vacaſſe ab anno 1465. quo obiit Patriarcha Ludovicus Scarampus, uſque ad poſtremum annum Pauli II. Pontificatus. Eæ ſiquidem notæ toto eo tempore adminiſtrationem ejuſdem Patriarchatus adſcribunt Vicariis non MARCI BARBI, ſed Pauli Pontificis auctoritate conſtitutis, imo in una ex iiſdem *Sedes vacare* dicitur. Vacaſſe ergo exiſtimanda eſt Sedes illa per ſexennium, ſcilicet donec Pontificatum Paulus II. geſſit, ac propterea valde probanda Ciaconii diligentia, qui Cardinales recenſens quotquot vivebant, quando Sixtus IV. Pauli II. ſucceſſor creatus fuit Papa, nominanſque inter ipſos MARCUM BARBUM, non eum quidem appellat Patriarcham Aquilejenſem, ſed Epiſcopum Vicentinum, & Cardinalem S. Marci. Addam præterea nutare etiam poſſeſſionem Patriarchatus, in quam immiſſum fuiſſe BARBUM, ſaltem per ſe ipſum, anno 1471. ex Jo. Franciſco Palladio affirmat idem Editor, nam ex Epiſtola, jam jam allegata, Papienſis ad Cardinalem Vicecancellarium, certi reddimus, MARCUM menſe Decembri anno 1471. deſtinatum fuiſſe Legatum, dum Romæ morari pergeret poſt Sixti IV. Electionem; ex alia autem ejuſdem Papienſis ad ipſum MARCUM habemus, hunc primis tantum menſibus anni 1472. Urbem reliquiſſe, nam ejus Epiſtolæ ſcriptæ 16. Martii ejuſdem anni hoc eſt exordium, *Quo die Reverendiſſime Pater, Urbem ego ingreſſus ſum, eodem tu, neſcio qua mea infelicitate, diverſo itinere egreſſus es in provinciam*, ad exercendam ſcilicet Legationem.

Eæ ipſæ Papienſis Epiſtolæ ſcatent teſtimoniis ſummæ integritatis, & prudentiæ MARCI noſtri, præſertim in obeunda Legatione, quam aſperam maximopere redderent *longa itinera* (utor verbis ipſius Papienſis) *tetricæ Alpes, & duræ, barbarorum ſuperba ingenia*. MARCI virtutes omnes quod maximopere adamaret, & admiraretur Papienſis, hinc factum eſt, ut de ſuo, quem ad Romanam Urbem meditabatur, acceſſu ita ſcripſerit in Epiſtola ambobus illis Legatis inſcripta, Neapolitano nimirum, & Aquilejenſi, ea ipſa, quam ſuperius allegavi, *Si Ro-*

Romam rediero, ſi ad peregrinas nationes vos ibitis; quæſo, quibuſcum erit mihi ſermo tam liber, ſolamen tam frequens, & tam familiare, gratumque conſortium? Id unum videlicet, propter quod erat in deſiderio Urbs, vobis abeuntibus tollitur. Pares ille ſenſus geminavit in Epiſtola, qua Marco ſignificat, ut jam jam vidimus, ſe Romam ingreſſum fuiſſe eo ipſo die, quo ille ex eadem egreſſus fuerat cauſa Legationis, *Romam*, inquit, *intravi hoc uno tunc ingratam, quod te diem adhuc non tenuiſſet*. At mox ſubjungit, *Gaudeo quod lætus abeas, & abeſſe diu non reformides. Veri Sacerdotis opus hoc eſt. Noſcetis, quid hoc tempore Deo, & plebi ſuæ a noſtri Ordinis hominibus debeatur. Hanc conſtantiam quo rariorem in cæteris video, hoc in te laudo magis, & mihi ad triſtitiam deputo, quod tantam virtutem præſentem habiturus non ſim.* Quod autem tantæ illius virtutis præſentia diutius carere, nullo modo ferre poſſet Papienſis, hinc ad ſollicitandum Barbi reditum, Epiſtolam ad eundem ſcripſit die 14. Martii anno 1474. & in ea hæc habet, *Satis jamdiu abſuiſti, Pater, ſatis conatus es, quæ ad commune Reipublicæ bonum pertinebant. Boni, ac fidelis Legati munera, ubicumque te eſſe contigit, implevisti. Ita res docent, ita conſtans omnium noſtrum opinio eſt. Nec longa peregrinatio, nec longinquitas nationum, nec magnitudo etiam rerum te fatigavit. Major tua fuit ad perſeverandum voluntas, quam noſtra ad revocandum humanitas. Amodo canendum receptui eſt, & de Italia cogitandum. Non eris hic minus, quam in Germania neceſſarius, ubi jam Legationes noſtræ magis ad probandam Romanæ Sedis poteſtatem, quam ad præſtandam ſalutem celebres ſunt*. Non ita cito, ut Papienſis optabat, contigit reditus ille Marci, cujus rei fidem facit alia ejuſdem Epiſtola, hiſce verbis inchoata, *Hodie Cardinalis Sancti Marci* Marcus *nomine, qui triginta menſibus Legatus Apoſtolicus abſuerat, in Senatu ue rebus in provincia geſtis ex conſuetudine retulit*. Concluditur vero in hunc modum, *Poſtremo procumbens in genua, veniam popoſcit, quod nec publicis neceſſitatibus, nec imperio Pontificis, nec Patrum expectationi ſciret a ſe ſatisfactum; nihil tamen omiſſum affirmavit, quod vel diligentiæ, vel conſilii ſui fuiſſet. Laudatus a Pontifice eſt, ſimulque ab eo & Patribus gratiæ verbis honorificis habitæ.* Data fuit ea Epiſt. Cardinali S. Theodori 15. Novembris 1474.

Poſſeſſionem Aquilejenſis Patriarchatus, in quam immiſſum fuiſſe per ſe ipſum anno 1471. Marcum noſtrum, ægre patiuntur Papienſis literæ, ut ſuperius dixi, veroſimilius eſt captam ab illo fuiſſe, ſeu dum Forojulienſis provinciæ fines attigit ad

Le-

Legationem proficiſcens, ſeu dum iſta abſoluta in Italiam remeavit. At moram aliquam, ſaltem longiuſculam, in ea provincia Marcum unquam traxiſſe vix adducor, ut credam, quod ea mora nullis certis comprobetur documentis, dum contra adſunt plura, quæ comprobent jugem ejuſdem Romanam commorationem, quam ex eorum temporum more legitimam efficiebat Sedis Apoſtolicæ ſervitium, cui Cardinales Romæ præſentes vacare conſueverunt, & prætcrea adminiſtratio unius ex ſex Eccleſiis Suburbicariis, cujuſmodi obtigit Marco paulo poſt reditum a Legatione, videlicet Eccleſiæ Præneſtinæ. Æque deeſſe video certum aliquod documentum, cui innitatur Concilium Aquilejenſe Provinciale, quod fertur a Marco Barbo coactum, celebratumque fuiſſe. Vadem hujuſce facti non alium exhibet quam Ughellium Ciaconius, nec alium P. de Rubeis; hicque profecto factum illud veterum chartarum, quas abunde ei ſuppeditarunt Archiva Forojulienſia, authoritate munire non omiſiſſet, ſi aliqua adfuiſſet inter ipſas, quæ idem Concilium memoraret. Bina autem Edicta de recta Eccleſiaſticorum proventuum adminiſtratione, quæ pariter ex Ughellio indicat idem de Rubeis, edita a Marco fuerunt non in Concilio aliquo, ſed Romæ, uti de primo aperte conſtat, nam datum legitur, *Romæ in ædibus noſtris*, idemque conjicere eſt de ſecundo, quod ratum habuit Innocentius VIII. cujus Diplomati inſeritur. Suos Marcum habuiſſe auxiliares Epiſcopos, qui in Aquilejenſi Provincia munera Pontificalia exercebant, conſtare prodit de Rubeis ex monumentis Aquilejenſibus, binoſque tantum nominat, nempe Angelum Epiſcopum Feltrenſem, & R. D. Epiſcopum Balneoregienſem. At mihi innotuit præter iſtos Petrus Caprulanus Antiſtes ex Codice Vaticano, cui hic ineſt titulus, *Itinerarium editum a Paulo Sanctonino Reverendiſſimi D.* Marci Barbi *Cardinalis S. Marci, Patriarchæ Aquilejenſis Secretario, tempore quo R. Pater Dominus Petrus Pontifex Caprulanus ad partes Germaniæ officia in Pontificalibus, ſubditis Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ impenſurus, profectus eſt.* Quod nulla extet hujus Itinerarii mentio in monumentis Aquilejenſibus hucuſque in lucem eductis, quorum adeo copioſam ſegetem complectitur amplum Volumen jam ſæpe laudatum, (monumentum & ipſum præclariſſimum ſacræ Authoris ſui eruditionis) hinc operæ pretium puto aliqua ex eodem Itinerario exhibere, unde & Scriptoris ingenium, & Caprulani Epiſcopi labores dignoſcantur, ac demum Paſtoralis cura a Marco minime omiſſa, etſi longius ab Eccleſiæ Aquilejenſis ſponſæ ſuæ ſinu diſtare adigeretur.

Par-

Partitus eſt Sanctoninus Itinerarium illud tres in partes, primæque hujuſmodi eſt initium, *Anno MCCCCLXXXV. die xxix. Septembris receſſit idem Reverendus Dominus Epiſcopus cum ſua comitiva de Sancto Daniele hora decima octava, & ad veſperam circa horam vigeſimam tertiam applicuit Venzonum, & ibi ea nocte remanſit in hoſpitio Sebaſtiani Civis dicti loci. Die xxx. dicti menſis receſſit de Venzono ante ſolis ortum, & conceſſit Tumetum, ibique prandium ſumpſit, deinde receſſit, & venit hora meridiei Paluciam, & pauſavit aliquantulum in hoſpitio Mathæi Brun, magni divitis. Poſtmodum circa horam* XXII. *applicuit ad locum Timavi, ubi eſt fons, & nova fodina argenti, in qua tunc primum argentarius ſolles cœperat agitare pro argento ex venæ lapidibus excutiendo. Die Sabbati prima Octobris 1485. receſſit ex hoſpitio Timavi, & aſcendit in montem Crucis, qui mons eſt in aſcenſu mil. 5. & in deſcenſu totidem, difficillimus, acclivis, & petroſus, ac quodammodo hominibus, & equis invius, in quo monte reperitur epitaphium in petra montis exciſum, & vetuſtate exeſum, ita ut legi non poſſit, & in fine deſcenſus eſt Villa pulcherrima Mutæ, Vallis Gillæ, ubi in hoſpitio Leonardi prandium ſumptum eſt, & nota quod per Vallem Gillæ labitur fluvius, qui dedit nomen ipſi Valli, ut accolæ dicunt.*

Die Dominico ſecundo Octobris præfatus Pontifex conſecravit Eccleſiam novam pulcherrimam in Villa Catheſii ultra flumen cum pluribus Altaribus in honorem beatæ Mariæ, quæ eſt filialis Plebis S. Danielis, in qua eſt Vicarius presbyter Urbanus, & ſocius divinorum Presbyter Ricardus; & poſt prandium contulit munus Confirmationis multis, quorum major pars erat grandis natu, & aliqui, qui fuerunt ſupra centum, agebant ſuper quinquageſimum annum. Die tertia Octobris idem Rev. D. Epiſcopus conſecravit in præfata Eccleſia beatæ Mariæ de Catheſio duo alia Altaria, unum a dextris in honorem S. Leonardi, & Urſulæ, aliud a ſiniſtris in honorem S. Sebaſtiani, & Annæ, & in eis recondidit de ſacris Reliquiis Sanctorum Septem Fratrum, & Felicitatis Martyrum Chriſti.

Eodem die factum eſt prandium opulentiſſimum apud ipſam Villam Catheſii, in quo affuit Magnific. Dom. Leonardus Præfectus Sereniſſimi D. Imperatoris in Caſtro Prutisperch Vallis Gillæ, Vir modeſtiſſimus, & ſumma præditus humanitate. Prandium vero refertum fuit altilibus, & inter alia appoſitus fuit Schirattus in moreto. Peracto prandio acceſſit Mimus Illuſtris Domini Leonardi Comitis Goritiæ, qui cithara, & hircino cornu diverſimode canens, & geſtu, & ſermone vario jocatus, convivas omnes facetiis ſuis riſu, & jucunditate reſolvit, & refecit ex toto.

At-

Atque hæc ſpeciminis loco ſatis eſſe poſſunt, ut Lector intelligat, Scriptorem ejus Itinerarii diligenter recenſuiſſe tam ſacra munera ab Epiſcopo obita, quam lauta prandia eidem, & convivis parata a locorum Dominis, Auſtriaciſque præfectis. Utraque vero eidem Lectori argumento eſſe velim, ea tempeſtate tam Cæſari, quam Præfectis, & Dominis illis gratam admodum fuiſſe curam Paſtoralem, quam Venetus Patriarcha Aquilejenſis ſeu per ſe ipſum, ſeu per ſuos Vicarios, & Adminiſtros in ditionibus ad eoſdem ſpectantibus exercebat. Pars prima Itinerarii deſinit die XI. Novembris anni 1485. altera, qua deſcribuntur Carniolæ, & ſuperioris Carinthiæ provinciæ incipit octavo Calend. Sept. an. 1486. & finem habet die prima Octobris ejuſdem anni, tertia tandem enarrat acceſſum *ad partes ultramontanas, & ſpecialiter ad provinciam Sauniæ* a die ſeptima Maji anni 1487. uſque ad octavam Junii.

Tandem ut Marci Barbi elogio finem imponam, edidit ille inſignis probitatis exemplum, dum pactionem de dimittendis Ædibus S. Marci, quas magnis operibus auxerat, ſibi a Cardin. Joanne Arragonio Ferdinandi Siciliæ Regis Filio propoſitam, Papale Triregnum inde recepturus ſancto, & invicto animo repulit. Rem narrat Stephanus Infeſſura editus ab Jo. Geor. Echardo T. II. Corp. Hiſtor. Med. Ævi, atque hæc ſubdit, *Quia domus ſua eſt fortior Caſtro S. Angeli, & ſi hoc feciſſet, fuiſſet forte cauſa diſturbationis Vrbis, & totius Fidei Chriſtianæ, quia poſſet de facili ibi Rex venire, & ſe facere Dominum Vrbis, & diſturbare ſtatum Eccleſiæ*. Obiit Romæ Marcus Barbus, ut legitur in ejus Epitaphio, *anno* MCCCCLXXXXI. *Martii die II.* Notam hanc poſtremam parum fideliter exhibet Ughellius, dum ipſam in aliam iſtam *XI.* convertit, indeque ortum habuit controverſia de die illo emortuali a Patre de Rubeis memorata, quæ facile tollitur inſpectis notis illius Epitaphii, Romanis enim literis eaſdem exaratas fuiſſe, indubium vocari non poteſt. Corrigenda pariter eſt nota anni 1490. a Ciaconio allata ex eo ipſo Epitaphio, ut recte monet P. de Rubeis. Emicat Marci modeſtia in ea Inſcriptione, quam unice tumulo ſuo apponi imperavit, & fides Executorum in parendo ejuſdem mandatis. Cæterum in ea Inſcriptione laudari merebantur: *Prudentia ingens, memoria non parva, acumen ingenii, exercitatio rerum, vigilia crebra, cibi, potuſque ſobrietas*, ex quibus omnibus virtutibus Marcum commendat Gaſpar Veronen. in libello ſæpius citato.

FINIS ADNOTAT. IN I. DEC.

MA-

XI. MAPHÆUS, ſeu MATTHÆUS GERARDUS, Venetus, vir valde doctus, & pius in adoleſcentiæ flore Camaldulenſe inſtitutum Murani in Divi Michaelis Cœnobio ſuſcepit; vigebat enim ibi tunc temporis monaſticus fervor, Pauli Venerii viri integerrimi ſtudio, & cura, qui ſeptem, & quinquaginta annos pietate, ac religione ſingulari Antiſtes Cœnobium illud inſtruxit, ac rexit. Sub hoc duce MAPHÆUS Ordinis inſtituto, ac ritibus inſtructus, adeo profecit, ut poſt Pauli obitum in ejus locum omnium votis ſuffectus monaſticæ diſciplinæ vigorem aluerit, atque auxerit. Petrus Delphinius ſexdecim annos huic Magiſtro paruit, ejuſque in monaſticis legibus, & ritibus ſervandis conſtantiam demiratus eſt; in vigiliis, jejuniis, ſilentio, ſolitudine neminem illo diligentiorem, deliciarum contemptorem parem ei non vidit unquam. Ut plurimum primus, ſeu ſemper inter primos, Templum noctu diuque ad matutinas preces adibat; & nunquam, quod mireris, defuit in ſacrarum litterarum lectione, in precibus, & in rerum cœleſtium contemplatione aſſiduus erat, ſilentii diligens cultor, cellulæ anguſtiis, dum fas erat, ſe continebat; exemplo magis quàm verbis iter ad veram gloriam filiis ſpiritualibus oſtendebat. Liberalitate juvabat egentes, & licet robuſtus, & à morbis alienus in ægrotos tamen, & imbecilles eò erat clementior, quò valentior.

Ex totius Camaldulenſium ordinis moderatore Venetiarum Patriarcha renunciatus, qualem virum Eccleſiaſticum decebat, vitam inſtituit: de illo hæc Delphinius. *Adivi illum ſæpius, neque deprehendi aliquando apud ipſum, quod non ſanctiſſimi Præſulis religionem, modeſtiam, humilitatem, benignitatem præſeferret, neminem de eo referentem audivi, niſi quæcunque vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, niſi, inquam, quæcunque de optimo Antiſtite ſancto, innocente, impolluto, & ſegregato a peccatoribus, relatu digna viderentur.*

Inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Sergii, & Bacchi ex Contelorio, ex Ciaconio verò SS. Nerei, & Achil-

lei ſecreto abſens cooptatus, extincto Innocentio, Cardinalis publice declaratur a Cardinalium Collegio, & ad comitia accerſitur, atque ab iis cum ad Urbem perveniſſet, honorifice exceptus eſt. Incertum tamen eſt an hic ſciret ſe renunciatum Cardinalem ab Innocentio; ſed Sede vacante vocatus ad Conclave acceſſit, in quod ingreſſus eſt die prima Auguſti anno 1492. & inter Cardinales receptus virtute litterarum ejuſdem Innocentii, quæ tunc primum publicatæ fuerunt. In comitiis illis Alexandrum VI. ſuo ſuffragio juvit indignante, ut ſcribit Garimbertus, Veneta Republica. Poſt Alexandri electionem ad gregem paſcendum Venetias petiturus 8. Idus Septembris anno 1492. cum Delphinio ab Urbe diſceſſit; in itinere diſinteria correptus, Interamnæ conſiſtere coactus eſt, ubi graviter decumbens, omni terrenarum rerum cogitatione rejecta, animum, ut ſolebat, in Cœlum erexit; Sacerdoti noxas diligentiſſime, non ſine animi dolore detexit, cœleſte beneficium eo miniſtro conſecutus, ſacro in illius cubiculo mane peracto, Dominici corporis Sacramentum Delphinio miniſtrante, pia mente percepit, mox Sacramentum illud cupide petitum, quo in ſuprema lucta armantur ægroti. Veneti Oratoris Secretarius Interamnam venit paulo ante mortem eum allocutus, miratus eſt, hominem morientem recte ad ea, quæ propoſuerat, reſpondiſſe. Mox ſenſu uſque ad ultimum ſpiritum vigente, die 14. Septembris hora 22. anno noſtræ ſalutis 1492. ætatis 82. mortalis eſſe deſiit; & bene moriendi, ait Delphinius, normam præſcripſit. Corpus autem peractis exequiis Interamna Venetias delatum, in S. Petri æde humatum non, ut ſcripſit Garimbertus, ſine ſepulchrali memoria, ſed ex Sanſovino in Venetæ Urbis deſcriptione, cum hoc Epitaphio.

MAPHÆUS GERARDUS PATRIARCHA VENETIARUM
DALMATIÆQUE PRIMAS SANCTÆ ROMANÆ
ECCLESIÆ CARDINALIS MCDXCII.
LOCUS CARNIS PROPRIUS TERRA EST.

De hoc ægrotante Cardinali hæc Delphinius ſcripſerat die 12. Septembris cuidam Bernardino Priori clauſtrali: *Remotus eſt ab omni terrenarum rerum cogitatione, animo tantum Cœlo intentus, ex ore ejus ne verbum quidem ocioſum prodit, mundi oblectamenta prorſus abhorret.* Die vero 13. ejuſdem Menſis, hoc eſt pridie quam e vita excederet Maphæus, laudatus Delphinius Auguſtino Barbadigo Venetorum Duci hæc ſcripſit. *Heri confeſſus eſt diligentiſſime, hodie ſingulari devotione Euchariſtiam percipit, & ſicut hactenus ſancte, & innocenter vixit, ita ægrotans nihil aliud curaſſe videtur, niſi ut ſumpto ſacratiſſimo Viatico, atque Eccleſiaſticis Sacramentis munitus ex hac lacrymarum valle demigraret.* Et die qua obiit, eidem Bernardino Priori. *Diſceſſit autem non ſecus ac vixit, tanta ſane animi intentione in Deum; ut nihil magis deſideraſſe illum crederes: Moriatur utinam, quandocunque Deo placuerit, anima mea morte hujus juſti, fiantque noviſſima mea ejus ſimilia.* Et in calce ejuſdem Epiſtolæ unicum vitæ regularis exemplum eum nominat.

Ciaconius, ac Garimbertus plura in Maphæum Cardinalem ſcripſerunt, ac talia, ut ſtomachum quoque iis moveant, qui ingenuos præſtantis Cardinalis mores, & ſanctimoniam ex veris monumentis agnoverunt. Placet hic Ciaconii verba referre, ut facilius Victorello duce rejiciantur; hæc igitur ille ſcripſit. *Fr.* Maphæus Gerardus *Venetus Ordinis Camaldulenſis, Patriarcha Venetiarum, Pretbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei titulo Faſciolæ; fuit is Cardinalis homo pluſquam credibile eſt, pingui Minerva, ne dicam ineptus, ac ſtupidus. Cum enim Innocentius de augendo Senatu mentionem feciſſet, ac Veneti patritii nonnulli viri etiam clari id muneris maxime expetere viderentur, inter quos erant Dominicus Grimanus, qui poſtmodum ſub Alexandro VI. voti compos evaſit, & Nicolaus Lipomanus, qui ſub Leone X. Bergomatum Præſul obiit; Senatus vero Venetus more ſuo, & quidem ſummopere laudando, non hunc, vel illum, ſed tantum patritium aliquem Venetum bene merentem Patrum numero adſcribi ab In-*

Innocentio poſtularet; factum eſt opera Cardinalium Venetorum, qui Romæ tunc erant, Marci videlicet Barbi, Joannis Michaelis, & Baptiſtæ Zeni ægre ferentium virum Venetum nominis alicujus eo tempore Patribus adjungi, ut cæteris omnibus poſthabitis ſolus hic MAPHÆUS *ad tantum honoris culmen ab Innocentio aſſumeretur; quippe quem omnino crederent, ætate præſertim ingraveſcente, in Romanam Curiam nunquam conceſſurum, vel ſi in eam is aliquando concederet, numerum tantum, ut ajunt, & umbram facturum. Cardinalis itaque is factus tantum Magiſtratum quanti fecerit, ex hoc maxime conjici poteſt, quod intra paucos dies diploma, muneris nuncium, quod ab Innocentio acceperat, amiſit. Verum eodem Innocentio vita functo, cum Aſcanius Sfortia Cardinalis, ut ſuffragiorum majorem ſecum haberet numerum Federicum Sanſeverinatem, qui ab Innocentio Cardinalis tantum deſignatus fuerat, ad comitia introducere connivente etiam Senatu ſtatuiſſet, illius æmulus Julianus Ruvereus, qui poſtmodum Pontifex maximus fuit Julius videlicet Secundus, ut & ipſe in eadem re non minus ingenioſus videretur, adinvento alio Innocentii diplomate, quod apud Laurentium Cybum illius fratris filium forte erat, hunc hominem miſſis ad Senatum Venetum litteris ad ſe accerſiri quam primum curavit. Senatus Venetus, cum hujus mores ſatis exploratos haberet, & Juliano nihilo tamen ſecius morem gerendum putaret,* MAPHÆUM *Romam ad comitia confeſtim miſit. Verum illi, ut puero pædagogos ex Senatus ſcribarum numero Georgium Nigrum, & Franciſcum Pacium præfecit, quibus* MAPHÆUM *in re omni obtemperare juſſit, credens eo pacto Juliano ſatisfactum iri. Sed longe profecto aliter ac cogitatum fuerat, res ſucceſſit; etenim dum Innocentio funeris ſolita munia a Patribus perſolvuntur, Andreas Cappellus, qui pro Venetis Romæ legatum tunc agebat, vir certe magnanimus, & rerum experientia clarus, qui pro Juliano Ruvereo adamuſſim acturi erant, Georgium, & Franciſcum, quos retulimus, rite quidem imbuit; illi vero ſimul, ac Patres occluſi ſunt, in Roderici Borgiæ, qui paulo poſt Alexan-* der

der VI. Pontifex maximus cognominatus eſt, cuique Aſcanius Sfortia favebat, pattes ſtatim inclinarunt. Unde cum Andreas Cappellus, ut quidam crediderunt, Veneti Senatus nomine mortem homini interminatus eſſet, ille non longo poſt tempore ex animi dolore vita conceſſit. Anno enim ab ortu Chriſti quadringenteſimo nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum Pontificatus ejuſdem Alexandri VI. primo, die 14. *Septembris Narniæ extremum obiit diem non ſine veneni profecto ſuſpicione ab eiſdem, de quibus paulo ante meminimus, pædagogis Georgio Nigro, & Franciſco Pacio, ut rumor fuit, propinati, ne hominis fortaſſe, etſi inſulſiſſimi, verbis Senatus magis irritaretur Venetus. Conſanguinei poſtmodum defuncti corpus Venetias transferri, & in civitatis Baſilica locari curarunt; cui nec ſepulchrum adhuc ullum poſuerunt, ægre ferentes, ut credibile ſit, talis viri memoriam ullam apud mortales extare; de quo ita ſcribit Jacobus Volaterranus in Diariis, Cardinalis Venetus per hos dies Venetias apud ſuos ſe recepturus ab Urbe recedit, & apud Interamnam Umbriæ civitatem ſenio confectus, & profectione, ac tædio itineris agitatus vita excedit* 14. *Septembris, in reddendis ſuper Pontificis electione ſuffragiis non tam ſuo, quam ſecretarii ſui judicio uſus dicitur*: hæc Ciaconius.

At, ut non una in re tantum cum Garimberto in hac narratione Ciaconium deceptum ſcias lector, hæc percurrere ne graveris, & primo quidem diploma Maphæum amiſiſſe ille ſcribit; quomodo diploma amiſit, ſi clam ab Innocentio renunciatus Cardinalis poſt ejus obitum publice declaratus eſt? Diploma enim ſcribitur, cum palam ſit Cardinalis. Deinde ſubdit idem Ciaconius, Julianum Cardinalem S. Petri ad Vincula poſt Innocentii obitum Maphæo litteras dediſſe, ut Romam ſe conferret; cum ex Delphinio certo ſciamus, non Julianum, ſed Cardinalium Collegium Maphæum Romam acciviſſe: aperta ſunt Delphinii verba, quæ ad elucidandam veritatem hic reſcribo. *Defuncto Innocentio VIII. Pontifice maximo accerſitus eſt Romam Reverendiſſimus Patriarcha a ſacro Cardinalium Colle-*

legio. Quod iter Romam verſus Senatus Venetus ſuaſit, non præcepit, ſi credas laudato Delphinio dicenti: *Accerſitus a ſacro Cardinalium Collegio, interfuturus electioni novi Pontificis ſuadente Illuſtriſſimo Domino cum feſtinatione iter arripuit*. Hæc ille, apud quem nullam invenies de pædagogis mentionem, nec etiam de veneno propinato; nam dyſenteria Cardinalem optimum non Narniæ, ſed Interamnæ, ut vidimus, occubuiſſe teſtatur, quam in ſene nonagenario, non itineribus, ſed cubiculo aſſueto, & quieti, itineris moleſtia, ſellæque, qua incommode geſtabatur, agitatio excitare facile potuit. Demum Ciaconius non ex Garimberto, ſed ſe ipſo ſcribit, Maphæi corpus Venetias conſanguineorum ſtudio translatum, in civitatis Baſilica ſepultum ſine ulla ſepulchrali memoria, ne talis viri memoria ulla apud poſteros extaret. At ne hoc quidem verum; nam nos ſupra ex Sanſovino ſepulchralem Maphæi inſcriptionem reſcripſimus; imo viget adhuc Venetiis hujuſce viri memoria in picto illius ſimulacro apud S. Petrum in ædibus Patriarchæ: & Epiſtolæ, in quibus tantus hic vir celebratur, a Petro Delphinio Veneto patritio ſcriptæ Venetiis editæ ſunt.

XII. HERMOLAUS BARBARUS Venetus, & Venetæ Reipublicæ apud Innocentium Orator ab ipſo Innocentio S. R. E. Cardinalis, & Patriarcha Aquilejenſis anno 1491. contra patrias leges, quæ vetant Legatis, ne a Principibus, ad quos miſſi ſunt, dignitates ullas, aut munera accipiant, renunciatur; quare Cardinalis inſignia nunquam geſſit. De illo hæc Andreas Victorellus in ſuis additionibus. Hermolaus Barbarus *Venetæ Reipublicæ apud Innocentium Orator erat, cum, poſt mortem Marci Barbi, Cardinalis Sancti Marci, Aquilejenſis Patriarchæ, infulas ab ipſo Innocentio traditas accepit; florenti ætate, mærore animi confectus, exul exceſſit; violaverat enim eam ſapientiſſimi Senatus legem, a Pio IV. aliquando non improbatam; qua cautum eſt; ne quis ejus Orator, dum publico nomine legatione perfungitur,*

tur, *munera*, *aut beneficia a Principe accipiant*. Hic adhuc juvenis Ariſtotelem interpretatus eſt: apud Politianum extat præfatio, quam Ariſtotelis libros explicaturus habuit. Singulari amicitia junctus eſt cum viris doctis, ſcilicet cum Pico, Ficino, & Politiano, apud quem extant Epiſtolæ ab eo jam Patriarcha Romæ ſcriptæ Antonio Calvo. De ejus laudibus pauca Jo. Mirandulanus in epiſtola ad ipſum data.

Scripſit de Cœlibatu libros duos.
Caſtigationes Plinianas ad Alexandrum VI.
Contra Barbaros Philoſophos.
De re Uxoria metricè.
Convenientiam Aſtronomiæ, & Medicinæ.
Præcepta Hiſtoriæ conſcribendæ ad Sabellicum.
Compendium Philoſophiæ.
Compendium Galeni.
Epiſtolas ad diverſos.
Orationes plures.
Carminum pluſquam duodecim millia.
In Ariſtotelis Rhetoricam, & Dialecticam.
In Dioſcoridem.

E vita migravit Romæ die 21. Maji, anno noſtræ ſalutis 1494. ætatis 39. ſeu 41. & jacet in Æde S. Mariæ de Populo.

Ex plebejo morbo, Romæ extinctum, ſcripſit Bembus; quo teſte, florebat optimarum artium præſtantia, ejuſque nomen magnum apud exteras nationes, maximum apud ſuos: *nam ſingulari doctrinæ opinioni*, *perpetuam innocentiam adjunxerat*. Juſtinianus, eum XVIII. annum agentem egregia monumenta e Greco in Latinum ſermonem convertiſſe, & immortalitate dignum ob ingenii præſtantiam, extitiſſe: Bembus omnium e ſua civitate, qui ante illum nati eſſent, Latinorum, & Græcorum litteris doctiſſimum, teſtati ſunt. Ad Fridericum Imperatorem, & ad Maximilianum Romanorum Regem Reipublicæ Venetæ Legatus orationem pulcherrimam non ſemel editam olim habuerat, Equeſtrique dignitate fuerat donatus: poſt mortem hoc ſepulcrali Elogio in Romana luce dignus eſt habitus.

Par-

Barbariem HERMOLEOS, *Latio qui depulit omnem.*
BARBARUS *hic ſitus eſt, utraque lingua gemit.*
Urbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma,
Non potuit naſci, nobiliuſve mori.
Anno MCCCCXCIV. Maji XXI. Ætat. XLI.

HERMOLAO ſepulchralem hanc inſcriptionem ſcripſit Franciſcus Swertius.

HERMOLEOS *jacet hic, non re, ſed nomine tantum*
BARBARUS, *Aonii ſpeſque decuſque chori.*

Virum hunc doctiſſimum Marſilius Ficinus, Angelus Politianus, & univerſa virorum doctrina excellentium eo tempore claſſis magni fecerunt; nonnulli, inter eos Trithemius, & Pierius Valerianus, Cardinalem exſtimarunt: Cardinalium Nomenclator inter Cardinales Innocentii VIII. tempore claros, recenſet: ego vero id affirmare, non audeo: in Epiſtola, qua Alexandro VI. caſtigationes Plinianas dicat, ſe Cardinalem, ſi ab Innocentio VIII. eam dignitatem accepiſſet, cur non appellaſſet? digniſſimum purpura eum judicabis. Dices, fuit deſignatus, non declaratus: id fieri potuit; nam Pontifices Cardinales, quos reſervant in pectore, alio tempore declarandos, aliquando creant; id factum a Paulo III. & ab Urbano VIII. ſcimus.

XIII. DOMINICUS GRIMANUS, natione Italus, patria Venetus, Antonii Venetiarum Principis filius, qui in lucem venit die 21. Julii anni milleſimi quadragenteſimi ſexageſimi tertii, ex Protonotario Apoſtolico, vix trigeſimum agens annum, Diaconis primo, mox Presbyteris Cardinalibus adſcriptus eſt. Præfuit Diaconus Eccleſiæ S. Nicolai inter Imagines, & Presbyter Eccleſiis S. Marci, & S. Nicolai inter Imagines, quæ illius ævo commiſſa eſt, Contelorio teſte, Presbyteris Cardinalibus. Patriarchatum Aquilejenſem anno 1498. magna Senatus frequentia, magno Civitatis favore, magno hominum, ac Cœlitum ſtudio ſibi delatum, ſumma prudentia rexit. Præfuit Epiſcopus Eccleſiis Albanenſi, ac Portuenſi: Urbinatem, & Cenetenſem Eccleſias adminiſtran-

das

das ſuſcepit anno 1514. die ſecunda menſis Maji ; at poſt ſex annos Cenetenſem renunciavit, & poſt octo Urbinatem. Antonio parenti, D. Marci Procuratori, & maritimæ claſſis Imperatori Venetias, poſt abrogatum illi imperium ob rem contra Turcas in Græcia potius non bene, quam male geſtam, vocato, occurrit DOMINICUS juxta carcerem, cumque lacrymabundus amplectens: *Ego*, dixit, *pro te pater, tuaque ſalute in publica vincula me conjiciam, nec prius inde diſcedam, quam audiero, te publico abſolutum judicio.* Sic mœſtiſſimus filius in ipſa purpura Cardinalis, afflictiſſimi patris compedum pondera, dum ſcalas aſcenderet, ſacratis manibus ſuſtinebat. Divulſus deinde a patre publicorum miniſtrorum opera, precibus contendebat, ut ſe filium parenti in carcere inſervire permitterent. Antonius a majori Conſilio relegatus, Romam ad filium Cardinalem contendit, paulo poſt Patriæ redditus, Procuratoris D. Marci dignitatem iterum, quod nemini antea contigerat, aſſecutus, Lauredano Venetorum Principi vita functo, omnium Patrum conſenſu jam nonagenarius ipſe Dux, ſeu Princeps creatus eſt mira fortunæ varietate. Geſto Principatu viginti fere menſibus, defunctus eſt anno 1523. Pietatem hanc DOMINICI in parentem a prudentibus laudatam Corteſius de Cardinalatu faſſus eſt.

Aulicos virtute & doctrina præſtantes aluit: Bibliothecam inſtructiſſimam octo millium voluminum habuit: Comitiis, in quibus Pius III. Julius II. Leo X. & Hadrianus VI. in Romanos Pontifices delecti fuerunt, interfuit. Ordinis Minorum Protectoris munus geſſit. Romæ in media D. Marci Æde, in qua DOMINICUS familiaribus ſepulchrum paravit, & pavimentum teſſellato opere perfici juſſit, gentilitium GRIMANÆ familiæ ſtemma Cardinalitio galero ornatum, marmore cœlatum extat, atque hæc illud verba ambiunt.

DOMINICUS GRIMANUS CARDIN.
S. MARCI PATRIARCHA AQUILEJEN.

Annum agens ſuæ ætatis ſexageſimum tertium Romæ

e vita migravit die 27. Auguſti anno 1523. Morti jam proximum ſæpius inviſit Hadrianus Romanus Pontifex. Poſt obitum ſepultus in Æde Sanctorum Joannis, & Pauli, aliàs titulo Pammachii cum infraſcripto Epitaphio, Baptiſta Coelio in ejus funere perorante.

DOMINICO GRIMANO EPISCOPO PORTUENSI,
CARDINALI S. MARCI, PATRIARCHÆ AQUILEJENSI;
INCULPATISSIMÆ VITÆ, OMNIUM SCIENTIARUM PERITISSIMO;
TEMPORANEUM DEPOSITUM NEPOTES PIENTISSIMI POSUERUNT
LUCTU TOTIUS URBIS.
VIXIT ANNOS LXII. MENSES VI. DIES VIII.
OBIIT XXVII. AUGUSTI MDXXIII.

De hujus Cardinalis obitu has ad Marcum Antonium Michaëlium literas dedit Hieronimus Niger.

Audiveris CARDINALIS GRIMANI *mortem obitam ſeptima noctis hora diei vigeſima ſeptima Auguſti anni labentis* 1523. *non ſine publico mœrore omnium bonorum, & præcipue Summi Pontificis, qui quotidie illum ſuo nomine officioſe adiri fecit, non quidem cupiditate illius opum, ut ſit in Romana Curia interdum, nam illi poteſtatem fecerat de omnibus teſtandi, ac Sacerdotia, quibuſcunque frueretur, impertiendi, præter Titulum S. Marci, ac Titulo adjunctum palatium. Supremis tabulis ita, ſi bene memini, cavit. Bibliothecam ſuam D. Antonii Venetiarum Eccleſiæ legavit; monumenta antiqua plurima, & quaſdam gemmas Reipublicæ Venetæ; certam pecuniæ vim ſuis famulis dividundam cum diſtributione etiam ſacrorum proventuum ad quadringentos aureos; ex quibus Gentilis Contarinus donatus fuit Archidiaconatu, ut ajunt, Vicentino, & Petrus Aleander Canonicatu Civitatis Bellunenſis, & quibuſdam aliis Sacerdotiis tenuioribus. Corpus ſuum ſepulchro mandari juſſit in Æde SS. Joannis, & Pauli titulo olim Hadriani Papæ in minoribus, quam obtinent viri religioſi Jeſuatæ nuncupati. Ad hæc legavit Nordio famulo ſibi ab Epiſtolis, & maxime intimo argentea vaſa, duo cubicula bene inſtructa, & orna-*

nata, vectigal Eccleſiaſticum trecentorum aureorum, præter Epiſcopatum Urbini, quem illi ceſſerat paulo ante quam in morbum caderet. Summo Pontifici quaſdam Divorum icones argenteas, & gemmas: Fabricæ, ut dicunt, S. Petri certam auri vim, in reliquo ære inſtituit hæredes propinquos ſuos, & curatores teſtamenti deſignavit Pontificem, Theodoritum Pontifici à ſecretis, ac Staphilæum Sacræ Rotæ Duodecim virum. Oratio funebris demandata eſt Caſalio, in gratiam Cardinalis Piſani, qui eam mihi eripuit, quem alii oratorem malebant: ſed hæc ſunt noſtrorum Patritiorum erga me munera; ignoſcas autem hoc mihi, ſi te læſum putes, &c. die prima Septembris, anno 1523.

Noſtris hiſce temporibus hujus Cardinalis tumulus amplius non extat in titulo Pammachii: ſcribunt aliqui poſt nonnullos annos a DOMINICI obitu oſſa Venetias translata, condita fuiſſe in Eccleſia S. Franciſci de Vinea. Ex teſtamento, cujus executorem ſcripſit Romanum Pontificem, bona ſua inter amicos diſtribuit; precioſiorem ſuppellectilem Reipublicæ Venetæ legavit: Bibliothecam ante obitum Cœnobio S. Antonii Venetæ urbis dono dederat. Vir hic doctrina clarus multorum laudibus celebratus eſt; Petrus Bembus in Hiſtoria Veneta, *virum Philoſophiæ ſtudiis clarum*; Petrus Juſtinianus, *doctiſſimum*: Joannes Candidus in Hiſtoria Aquilejenſi, *Philoſophorum, ac Theologorum illius ævi Principem*; Paulus Corteſius de Cardinalatu, Senatorem, *tam Philoſophiæ, quam Theologiæ robore nervoſum* appellarunt. In ſtudiis vero adeo erat aſſiduus, ut idem Corteſius dixerit: *cui hodie non eſt nota commendatio* DOMINICI GRIMANI? qui ita temporis avaritia flagrat, ut nihil prope relinquat naturæ neceſſitati. Leo X. Romanus Pontifex magni ſemper fecit DOMINICUM hunc Cardinalem, ut ex his, quas ad illum dedit, literis conjicere licet.

Lectis tuis literis, quibus me certiorem facis, te propter tabellarii tarditatem Cardinalium creationi intereſſe non potuiſſe, magna moleſtia affectus ſum; qui enim te pro tuis eximiis virtutibus excellentique doctrina magnopere diligo, valde ſane cupiebam ei declarationi te adeſſe. Verum quo-

quoniam tabellarium accuſas, mandavi, ut is ſuæ negligentiæ pœnas daret. Sed is ita ſe purgat, ait enim, quoniam Urbeveteri non offenderit, ſe Spoletum recta tetendiſſe, quod ad oppidum te iter feciſſe intellexerat. Quo cum acceſſiſſet, rediiſſe te Urbemveterem ei nuntiatum fuiſſe, eoque revertiſſe. Itaque ſe tardiorem, quam oportebat, fuiſſe. Sed quoquo modo ſe res habet, animi tui alacritatem, quam præ te fers, libenter accipio. Reliqua, quæ te ſcire volo ea de re, nuntius tuus ad te perferet, quo cum loquutus ſum. Datum 5. Kal. Octobr. Anno primo. Romæ.

Quoniam ad proxime ſacri Lateranenſis Concilii futuros dies aliqua ſunt nobis jam nunc conſtituenda, peto abs te, quod commodo tuo facere poteris, ut ante diem 12. Kal. Novembris Romam te conferas. Dat. 5. Id. Octob. Anno primo. Romæ.

Quædam ingenii ſui monumenta reliquit: tomus quidam extabat olim M. S. in Bibliotheca Cardinalis Sirleti: ſcripſit etiam de Intenſione, & Remiſſione, ut refert Toſſignanus: & Epiſtolas aliquot ad Sabellicum, Eraſmum, & alios. Tractatum S. Joannis Chryſoſtomi de incomprehenſibili natura Dei in noſtram vernaculam linguam convertit. Huic Sabellicus, Niphus, Eraſmus, & Picus Mirandula libros varios inſcripſerunt: eidemque dicatum fuit opus Hadriani VI. in Quartum Sententiarum Venetiis editum. Apud Carolum Antonium a Puteo vidi hujuſce Cardinalis numiſma cum illius effigie, ac nomine, in prima facie, in altera vero Theologia Philoſophiam docens inſculpta eſt.

XIV. MARCUS CORNELIUS, natione Italus, patria Venetus, Georgii Cornelii Senatoris præſtantiſſimi, Catharinæ Cypri Reginæ fratris filius, & Florentiæ, Ægæi maris Ducis, filiæ nepos, altæ indolis adoleſcens, ex Protonotario Apoſtolico, Diaconus primo S. Mariæ in Via lata, mox Preſbyter Cardinalis S. Marci, demum Epiſcopus Cardinalis Albanus, ac Prænestinus, & Baſilicæ Vaticanæ Archipresbyter renunciatus, præfuit Eccleſiis pluribus, Conſtantinopolita-

ta-

tanæ ſcilicet, Veronenſi, Neritonenſi, ac Patavinæ; legatione functus eſt in Patrimonio D. Petri. Ex Diaconorum Cardinalium principe Presbyterorum princeps inſtitutus, pietate in parentem, quem defendit egregie, comitate in omnes, & inſigni omnes juvandi cupiditate enituit. Leo X. probitatem, & prudentiam Viri agnoſcens, rebus arduis, arcaniſque tractandis eum, alioſque octo Cardinales præfecit, & anno 1517. Patavinum nominavit Epiſcopum, & commendavit Epiſtola ad Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem ſcripta, his verbis. *Heri Sixto Cardinali vita functo, cum vellemus Eccleſiæ Patavinæ, cui is præerat, aliquem ex tuis Civibus præficere, nemo ea nobis dignior Marco Cornelio eſt viſus; cum propterea quod is Cardinalis eſt, & Civis tuus, & multis, maximiſque virtutibus præditus; tum etiam, quia is omnibus ejus Reipublicæ* ſcilicet Venetæ, *difficillimis, duriſſimiſque temporibus nullum unquam laborem evitavit, nulli rei pepercit, ut illi, vel commodo, vel ornamento eſſe poſſet.* Scribit præterea Leo, Marcum totos novem annos fructibus, ac penſionibus caruiſſe, a ſe magni fieri, & amari; hortaturque Ducem, ut Patavinæ Eccleſiæ poſſeſſionem illi ſine mora tradat. Initio enim Epiſcopatus in adipiſcenda redditutum poſſeſſione per cives Veronenſes objecta illi difficultas fuerat, quam perbelle ſuſtulit Georgius Cornelius pater, qui forte fortuna tum præfecturam militarem in urbe Veronenſi gerebat. Is enim filio ſuffragari cupiens primos Civitatis Senatores, eoſque maxime, quos obſtinatius illi adverſaturos perſpiciebat, ſeorſim primo ſingulos, tum univerſos etiam comiter, blandeque appellans, ac quibus eſſent filii ad Eccleſiaſtica munera natura propenſi, habileſque in certiſsimam eos conciliandorum illis a Marco filio opimorum Sacerdotiorum ſpem erigens, ſi eum Romam ſequerentur, vincente publici commodi rationem privati lucri ſpe, haud magno negocio cunctos induxit, ut de rejiciendo illo, quod tantopere antea objectarant, Senatus Veneti pro ſe decreto deceſſerint. Cæterum eo tolerabilior pleriſque viſus eſt fuiſſe Georgii aſtus, quod ſumma fide promiſſa omnibus exolvit; ſiqui-

ſiquidem nemo fuit ex Veronenſibus adoleſcentibus, qui Romam Marcum ſunt ſecuti, qui non opimis Sacerdotiis ditaretur.

Porro MARCUS cum Cardinali Grimano dedit operam, ut Julius II. in Rempublicam Venetam benevolentiæ ederet argumenta. Diaconorum primus Hadrianum VI. & Clementem VII. tiara Pontificia cinxit. Eccleſiam Veronenſem unice dilectam, quam multos annos pie rexit, plurimum auxit. Sacrarium enim pulcherrimum in Cathedrali conſtruxit, & pretioſis undequaque collectis indumentis ad ſacra peragenda adornavit, Corneliam menſam, in qua triginta ſex Clericos literis operam dantes inſtituit. Relictam teſtamento a Joanne Michaëlio prædeceſſore pecuniam Eccleſiæ Principi Veronenſi cum exegiſſet MARCUS, ex ea fornices, ac poſtremas columnas Cathedralis Eccleſiæ ædificavit.

Cæterum poſt Clementis VII. electionem, cum graſſante maxime Urbe peſtilentia, propinquorum precibus Venetias MARCUS evocatus eſſet, ex vehementi itineris agitatione febri correptus, ibidem non longe poſt adventum ſuum deceſſit. Venetiis illum repentino periiſſe interitu ſcribit Garimbertus. Migravit e vita die 20. ex Ciaconio; ex Diariis vero 26. Julii anni 1523. ſeu verius 1524. Corpus in D. Georgii Majoris humatum. Cavacius in hiſtoria Sanctæ Juſtinæ, trium Cardinalium CORNELIORUM MARCI, Franciſci, & Andreæ corpora Venetiis in S. Salvatoris eodem in ſepulchro tumulata ſcripſit.

Sub MARCO Epiſcopo Anno 1519. die 29. Aprilis Veronæ inventæ ſunt Sanctorum reliquiæ in Eccleſia S. Nicolai, quorum nomina apte ibidem in baſe Altaris S. Mariæ Magdalenæ ita deſcribuntur.

Flecte oculos, ſupplexque preces hic funde viator,
Nam tegit exiguus nomina magna lapis.
Dimidii, Andronicæ, Simeonis, Thaleleique
Et Divi Atturgi pulvis, & oſſa jacent.
Corque carens titulo, ſudaria tincta cruore
Martyriique genus gravia charta notans.

San-

Sanguis odor crines vitreis ſervantur in urnis,
Hæc Magdalenæ vota fuere piæ.
Dilecti Chriſto Aſſeclæ ſunt fragmina buſti,
Et cineres quorum nomina ſancta latent.
Nazarius Divis hanc Presbyter extulit Aram,
Reddidit & luci quæ latuere diu.

XV. PETRUS CIERA, honeſtiſsima familia Venetiis, in Italia natus, Vir probus, & doctus ex Notario Pontificio renunciatus eſt ab Alexandro Romano Pontifice S. R. E. Cardinalis. *Vidi ego*, inquit Andreas Victorellus, *exſcriptum diploma fide publica firmatum, datum Romæ ſub annulo Piſcatoris anno* 1501. *die* 17. *Aprilis, in quo hæc verba. Te in Cardinalem approbamus, quod tamen ſub ſilentio tenebis, donec tempus idoneum aderit*: at paulo poſt, cum jam ſexagenarius eſſet, migravit e vita, antequam Cardinalis palam declararetur. Felix tamen Contelorius cum per literas hasce in Cardinalem PETRUS hic approbatus, & non creatus enuncietur, a Cardinalium numero hunc excludit; nullum enim ex approbatis pro PETRO hoc extare documentum in Vaticano Archivio affirmat.

XVI. FRANCISCUS ARGENTINUS, Venetus, patre humili Germano, ex Argentina Germaniæ civitate, & matre Veneta ortus, ex Epiſcopo Concordienſi Julii II. Romani Pontificis Datarius primo, deinde Presbyter Cardinalis S. Clementis renunciatus eſt. Cabrera illi attribuit titulum S. Vitalis uti datum initio ſuæ creationis; in Diariis unicus S. Clementis titulus ab initio uſque ad obitum eidem attribuitur. Romæ ſub eodem Pontifice Julio die Sabbati 23. Auguſti anno 1511. vitæ munere perfunctus occubuit, & cadaver ejus in æde S. Mariæ Tranſtyberim conditum eſt, cujus deinde corpus Concordiam relatum, Cathedralis excepit, eique hoc inſcripſit Epitaphium.

FRANC.

FRANC. TIT. S. CLEMENTIS PRESB. CARD.
JOANNIQUE EPISCOPO CONCORDIEN.
VENETORUM FAMILIA ARGENTINA
PAULO TERT. CONS. FRATRE CURANTE
M D X X X I V.

Scripſit Franciscus, cum eſſet vir doctiſſimus, de Immunitate Eccleſiaſtica, aliaque poſt ſe reliquit monumenta.

XVII. Franciscus Pisanus, Venetus, Franciſci Aloyſii Divi Marci Procuratoris filius, & Joannis, eadem in ætatis flore dignitate ornati frater; vir natura diſertus, inſtante Leonardo Lauredano ejuſdem Reipublicæ Principe, ex Protonotario Apoſtolico abſens Diaconus primo S. Theodori, tum ex Martinello, S. Agathæ, poſtea S. Mariæ in Coſmedin, demum S. Mariæ in Porticu, mox Presbyter Sancti Marci, demum Epiſcopus Cardinalis Albanus, Tuſculanus, Portuenſis, & Oſtienſis, ac Decanus Collegii renunciatus eſt. Adoleſcens purpuram accepit, quam annos quinquaginta tres detulit. Rexit Patavinam Eccleſiam, quem Patavii in aula Pontificum efferens laudibus Antonius Porcellinus doctor, & eques, fortiſſimum S. R. E. Cardinem, ac religionis Chriſtianæ clarum ſidus, Patavinæ civitatis parentem, ornamentum, & decus unicum nominavit, rerumque cognitionem, integritatem, conſtantiam, & fidem in ipſo laudavit. Clementi VII. in mole Hadriani a Cæſarianis obſeſſo fidus Achates fuit; deinde pro eodem obſes Neapolitana in arce annum, & ſex menſes exegit. Idem Porcellinus oratione quam habuit Francisco Cardinali Pisano Patavium ingreſſo lætitiam urbis in adventu ſui Antiſtitis expreſſit, ac nonnullos ex Piſana familia clariſſimos viros enumeravit. Quatuor aureorum millia Reipublicæ Venetæ Turcarum armis impetitæ donavit; Eccleſiam Patavinam a fundamentis conſtruxit, atque exornavit Epiſcopatum. Tarviſinæ, & Civitatis Novæ, ſeu Æmonenſis Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit. Archidiaconus Marcellum II. & Pau-

Paulum IV. coronavit. Natali ſuo Cardinalibus Collegis convivium in ædibus ad ſanctum Marcum præbuit, cui interfuit Sylvius Antonianus undecimum ætatis annum agens, octonis verſibus Italicis ſingulorum Cardinalium laudes perſtrinxit, & Joanni Angelo Cardinali Mediceo Pontificatum maximum vaticinio nunciavit. Hujus Cardinalis laudes Janus Vitalis his verſibus complexus eſt.

Ille vides, gravitas cui plurima regnat in ore
Cui frons eſt mentis perpes imago ſuæ.
Poſtremo primus; qui lenis in ordine Patrum
Oſtentat Venetæ nobilitatis opes
Ille eſt, cui multum veneranda modeſtia debet,
Cui multum Charites, ingenuuſque pudor.
Pontificem ille etiam ſummum dat honore Tiaræ,
Et lateri aſſiſtit ſedulus ante alios.
Et quamvis PISÆA *domus nitet alta trophæis*
Nuſquam ullum tanto Principe majus habet.

Ætate tandem grandævus, articulari morbo laborans, nuncio de Aloyſii Cardinalis nepotis morte accepto, dolore animi confectus, die Lunæ 3. Kalend. Julii anno 1570. Romæ occubuit: cujus corpus ad S. Marcum delatum, in nobiliſſimo ſepulchro ſtatuis, & columnis marmoreis ornato apud majorem Templi portam poſito, cum hac inſcriptione conditum eſt.

D. O. M.
FRANCISCO PISANO CARDINALI EPISCOPO OSTIENSI
VIRO ANTIQUÆ PROBITATIS AC INNOCENTIÆ
HÆREDES EX TESTAMENTO POSUERE
VIX. ANN. LXXVI. OBIIT III. KAL. JULII
M. D. LXX.

De hoc Cardinali jam ſene memini me legiſſe, callido quodam conſilio Apoſtolicam penè promotum fuiſſe ad ſedem; etenim cum Aloyſius Cardinalis nepos in Conclavi pro novo creando Pontifici coacto Cardinales ſingulos, ideoque ſeorſum, ac clanculum prehenſaſſet, exoraſſetque, ut honoris ergo, & ad lætitiam quandam effœti ſenis, eo

 die

die ſuum vellent conferre ſuffragium, ab unoquoque haud repulſus abiit; totque ſuffragia fide obſtrinxerat, quot viderentur ſufficere electioni. Res procul dubio ut in votis eveniſſet, niſi ejuſdem Aloyſii nimis anhela ſolertia diſcuſſiſſet conſilium: ab uno enim primum, & altero, mox a pluribus, ita in omnes celeritate mirabili præcurrit, ut ad fraudem ſimul omnes torpere, ſimulque omnes calliditatem riſu excipere viderentur.

Franciscus Cardinalis Pisanus fuit Archiepiſcopus Narbonenſis, & Primas; ut conſtat ex initio Concilii Provincialis Narbonenſis celebrati anno 1551. menſe Decembri præſide Alexandro Zerbinetis ejus Vicario. Quod Concilium impreſſum anno 1646. Pariſiis ſub ſcuto Solari reperies in fine voluminis Conciliorum noviſſimorum Galliæ a tempore Concilii Tridentini. Quæ excudit Dionyſius Becchet via Jacobea Pariſiis, opera Ludovici Odeſpun Turonenſis Presbyteri anno 1646.

XVIII. Inter Cardinales a Leone renunciatos Petrum Quirinum Reipublicæ Venetæ Senatorem primo, deinde Camaldulenſium ordinis profeſſorem recenſet Andreas Victorellus; hic enim anno 1512. Camaldulenſium religionem ingreſſus, cum biennium in Eremo ſumma cum laude Deum coluiſſet, Cardinalis, ut laudatus Victorellus Luca Eremita duce refert, deſignatus eſt, ſed non declaratus. Id ſi verum, Leo X. tunc Eccleſiam regens, ab Eremo ad Vaticanum Senatum hominem evocandum cenſuerat; ſed de illo familiares Leonis ſcriptores non meminere, nec in diplomatibus, aut brevibus, neque in monumentis Vaticanis ulla extat de illo mentio.

XIX. Marinus Grimanus Venetus, Antonii Venetiarum Ducis propinquus, & Dominici Cardinalis Grimani nepos, litteratorum Mœcenas, vir doctiſſimus, & eloquentia clarus, ex Patriarcha Aquilejenſi a Leone X. nominato, die 5. Ma-

5. Maji anni 1527. renuuciatur Presbyter Cardinalis S. Vitalis titulo Veſtinæ, ſed non publicatur niſi initio Februarii anni ſequentis 1528. illi enim abſenti, die 6. Februarii 1528. Cardinalitium pileum Clementem Urbeveteri commorantem tranſmiſiſſe, ex monumentis Vaticanis certo ſcimus. Acceſſit poſt menſes aliquot Marinus ad Clementem, a quo die 21. Januarii 1529. in Cardinalium Congregatione receptus, & admiſſus eſt ad oſculum pacis; locum tamen non habuit inter Cardinales illo tempore, non enim publicationem, ſed enunciationem die 3. Maji 1527. attendendam eſſe in ſui favorem ipſemet aſſerebat. In ſequenti conſeſſu habito die 27. ejuſdem menſis Januarii locum obtinuit inter duos ultimos Cardinales. Progreſſu temporis relicto titulo S. Vitalis, primo S. Marcelli, deinde S. Mariæ Tranſtyberim obtinuit: præfuit Epiſcopus Eccleſiæ Portuenſi, & Cenetenſi (Cenetæ, mediterranea, & antiqua civitas in Marchia Treviſana eſt) Tiphernatem quoque Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit anno 1539. Tiphernum autem urbs eſt prope fluvium Tiberim ad radices Appennini in Umbria ſita; poſt paucos vero dies eo munere ſe abdicavit: his adjuncta habuit plura alia ſacerdotia, quibus Cardinalitium ſplendorem ſuſtinuit, & aluit. Legationis munere functus eſt in Umbria, & Peruſia, deinde pro pace apud Regem Francorum, & ſub Paulo III. Parmæ, ac Placentiæ, & in Gallia Ciſpadana. In catalogo Aquilejenſium Patriarcharum dicitur Conſtantinopolitanus Patriarcha. Paulus III. cum Carolum V. Buxeti; Pallavicinæ familiæ tunc temporis inter Cremonam, & Placentiam oppidum id erat; triduano colloquio ad pacem cum Gallorum Rege ſtabiliendam fruſtra fuiſſet prudentiſſime cohortatus, rogavit, ut Senatores ſacros de pace dicturos vellet audire, aſſentiente Cæſare, Cardinalibus non multo poſt accitis, Marino Grimano ampliſſimi ordinis Principi facundia celebri orandum fuit; Qui quidem non perſuaſit pacem, ſed appoſite dixit ad perſuadendum.

Inter Cardinales a Paulo III. pro rebus Concilii delectos

M 2 unus

unus fuit. Cenetenſes apud Venetam Rempublicam contra Marinum Epiſcopum conqueſti ſunt, ac Venetam clementiam, opemque implorarunt: quare Patres illi cenſuere, ut temporalis dominii jus ad Venetos rediret, ac ſtatim Comitiis habitis, Jacobus Surianus Prætor Cenetæ renunciatus, Veneti Senatus nomine urbis illius adminiſtrationem in temporalibus ſuſcepit. Cardinalis illico Venetorum nomen apud Romanum Pontificem detulit, quod nulla habita Apoſtolicæ dignitatis ratione, urbem Eccleſiæ occupaſſent. Tum Pontifex injuriam non tulit, effecitque, ut Veneti abrogato priore decreto rem in integrum reſtituerent; atque ita Cardinalis priſtina jura eadem in urbe recepit, quod a Senatu illo in Romani Pontificis gratiam factum fuit. Quare Veneti ſcriptores, inter quos Petrus Juſtinianus Marinum Cardinalem nota aliqua inficiunt, virumque ſæcularibus potius quam ſacris rebus aptiorem nominant.

Cum autem animi gratia Urbemveterem Marinus conceſſiſſet, ibi die Martis 28. Septembris anni 1546. mortem oppetiit; ibique in Cathedrali depoſitus, Venetias, ut habet Sanſovinus, inde relatus, in Eccleſia S. Franciſci de Vinea, in nobili, & inſigni marmoreo tumulo ad lævam Dominici Cardinalis patrui humatus fuit. Extat adhuc Urbeveteri de eo hæc marmorea inſcriptio ab auctore Nomenclatoris collecta.

D. O. M.
MARINO GRIMANO VENETO
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI
CUJUS VIRTUTUM IN OMNES GENTES
EGRESSA MEMORIA
MAGIS APUD ANIMUM CUJUSQUE, QUAM APUD
TUMULUM HOSPITATUR.
ILLUSTRIUM ERGO VIRORUM
VERUM SEPULCHRUM ANIMUS HOMINUM.
ÆDITUI BENEFICIORUM MEMORES
EX PUBLICO DECRETO INSTAURARUNT.

Scri-

Scripſit in D. Pauli Epiſtolas non contemnendum opuſculum, ut idem Nomenclatoris auctor aſſerit.

MARINO GRIMANO Cardinali litteras dedit Nicolaus Ardinghellus.

Eccleſiam S. Mariæ Tranſtyberim variis ſtructuris exornaſſe, Palatium item, & Porticum ejuſdem Eccleſiæ pro ornamento regionis ampliorem reddidiſſe, fatentur monumenta ejuſdem Eccleſiæ. Organum in Cenetenſi principe Eccleſia conſtruxit; ac Turrim campanariam prope Cathedralem populorum commoditati exædificavit, ac picturis egregiis exornavit. Viros doctrina præditos ſemper coluit: Bernardinum Paternum Salodienſem, qui in Piſano Gymnaſio medicæ facultatis Interpres florebat, ultro ad ſe vocavit, ac domum ſuam aperuit venienti.

Extabat olim Romæ in Muſæo Franciſci Angeloni Hippolyti S. R. E. Cardinalis Aldobrandini à ſecretis grande numiſma, in cujus priori facie MARINI imago imberbis, bireto in capite ornata inſpiciebatur, cum litteris: MARINUS GRIMANUS PRESBYTER CARDINALIS S. VITALIS, in averſa autem Jupiter cum Aquila, & Fulmine, e cujus capite Pallas cum ægide, & haſta egrediebatur, additis verbis: E JOVIS CAPITE SAPIENTIA NATA EST: myſtica fabula in nummo hoc exhibita, ſapientiam, qua erat MARINUS inſtructus, quamque ſe Dei munere comparaſſe fatebatur, referebat. Simile vidi apud Carolum Antonium a Puteo, in cujus prima facie, Jupiter, uti in ſuperiori apparet; in altera vero vir rectus eſt, cum literis; PASTORIS MUNUS; ac ſi MARINI opera rectus vir ille ſtaret, atque incederet.

In Tabulario Canonicorum Veronenſium extare MARINI monumentum affirmat Ferdinandus Ughellius, in favorem eorundem Canonicorum datum anno 1544 quo confirmantur ea omnia, quæ ab anteceſſoribus ſuis Patriarchis Aquilejenſibus elargita ſunt, & donata Canonicis Veronenſibus: cujus titulus talis eſt: MARINUS *miſeratione Divina Epiſcopus Portuenſis*, *S. R. E. Cardinalis* GRIMANUS, *ſanctæ Sedis Aquilejenſis Patriarcha*, *ac Lombardiæ de Latere Legatus*, reliqua videre poterit lector apud laudatum Ughellium to-

tomo 5. Italiæ ſacræ, dum ſeriem Aquilejenſium Patriarcharum deſcribit.

XX. FRANCISCUS CORNELIUS Venetus, Georgii Cornelii Senatoris Veneti, & Eliſabethæ Maurocenæ filius, Catharinæ Corneliæ Reginæ Cypri nepos, ac frater Andreæ Archiepiſcopi Spalatrenſis, qui ſub Leone Decimo in Lateranenſi Concilio maxime inclaruit, ac Romæ anno ætatis ſuæ nonageſimo primo deceſſit, & conditus apud ſanctam Mariam ſuper Minervam cum ſequenti epitaphio.

DEO OPT. MAX.
ANDREAS CORNELIUS ARCHIEP. SPALATREN.
GEORGII CORNELII CATHARINÆ CYPRI FRATRIS FILIUS,
VITA EGRESSUS ANNO ÆTATIS LXXXXI. HIC SITUS EST.

Quare advertendus Andreæ Victorelli in additionibus ad Ciaconium error confundentis Andream nepotem cum hoc ſeniore Andrea Archiepiſcopo Spalatrenſi, & FRANCISCI fratre. FRANCISCUS adoleſcens adhuc cum patre Abduenſi prœlio interfuit, & alio tempore triremi præfuit, & cum Patavium gravi premeretur obſidione, cum delecta juvenum manu ei opem forti animo attulit. Venetorum deinde Republica reſpirante, Hieroſolymam, ſacra loca Chriſti Domini præſentia, concionibus, ſignis, cruciatibus, immortalitatis triumpho nobilitata veneraturus adivit; ibique contumelias, & verbera a Chriſtianorum hoſtibus illata, injuriarum, & cædis Chriſti memor æquo animo perpeſſus eſt. Venetias reverſus Magiſtratuum honoribus auctus eſt, & ad Carolum Hiſpaniæ Regem Legatus, quadriennio ea fungens legatione, Hiſpaniam, Germaniam, Belgium, & Carolum Aquiſgrani Cæſarem conſalutatum vidit; Gaſparem Contarenum nominis immortalitate digniſſimum, ſucceſſorem, & paucis poſt annis in Vaticano Senatu collegam habuit.

Clemens FRANCISCUM provectæ ætatis virum in Republica Veneta florentem, ad Romanam purpuram abſentem aſci-

Digitized by Google

aſcivit die 20. Decembris anno 1527. ut conſtat ex ipſius Clementis Diplomate in Vaticano ſervato, non tamen publicatus, niſi menſe Februarii anno 1528. & die 19. ejuſdem menſis. Ipſe Clemens Epiſcopo Polenſi Sedis Apoſtolicæ Nuntio Venetiis commoranti injunxit, ut Francisco Cornelio traderet pileum rubrum, & alia Cardinalatus inſignia, & antequam iſta traderentur, conceſſit, ut carbaſina Præſulari, & rubro bireto uti poſſet. Et ne de validitate creationis dubium ullum in hominum animos unquam caderet, ex eo quod tunc temporis non erat aſcriptus militiæ clericali, illam novo Diplomate alio ſcripto firmavit. Initio Cardinalatus præfuit Presbyter Cardinalis Eccleſiæ Sancti Pancratii, poſtea S. Cæciliæ, tum S. Praxedis, demum S. Mariæ Tranſtyberim. Epiſcopus rexit Brixienſem, quam poſt evolutum annum ſuæ adminiſtrationis reſignavit Andreæ nepoti; Epiſcopus etiam moderatus eſt Albanenſem, ac Præneſtinam Eccleſias; & Archipresbyter Baſilicam Vaticanam; primuſque fuit, qui in Corneliam nobiliſſimam gentem Eccleſiaſticæ purpuræ ſplendorem intulit.

Hic licet a puero litterarum cultu non ſatis excultus fuiſſet, excellens tamen ingenio, nervis omnibus incumbens in ſtudia, brevi latini ſermonis copiam, & multarum rerum cognitionem comparavit; unde graves erant, prudenteſque ejus in ſacro Senatu ſententiæ. Artuum dolore ita languit, ut totum corpus lingua excepta impediretur, quo minus aptas membrorum functiones exerceret: cum optime valeret, lectica in Senatum deferebatur. Graviſſimis vexatus doloribus ejulatum ullum, aut querulam vocem nunquam edidit; Chriſtianam pietatem ſingulari ſtudio coluit: Brixianus Epiſcopus, ægrotans licet Brixiam profectus, creditum ſibi populum, pie, prudenterque rexit. Inde Romam a Pontifice accerſitus, viris ſpectatæ fidei, doctrinæ, & prudentiæ ſuam illam Eccleſiam commiſit, ſæpe repetens: *Bonum Principem malis utentem miniſtris, malo bonis utente pejorem eſſe*. Solebat autem ingenium, mores, vitæque inſtitutum eorum hominum explorare, & obſervare, quorum opera uſurus erat. Aſſiduos, eoſque gra-

viſ-

viſsimos corporis cruciatus æquo animo tolerans, mortem non exhorruit, ac Deo uſque dum ſupremum ſpiritum exhalaret, gratias egit, quod illius beneficio Chriſtianam religionem cum ipſo nutricis lacte exuxerat, in ea vivebat, & moriebatur.

Exceſsit e vita Viterbii die 26. Septembris, ſeu ex Suareſio die prima Octobris anno 1543. ætatis ſexageſimo quinto: cineres Venetias delati in Eccleſia S. Georgii Majoris, vel ut ſcribit Ughellius apud S. Salvatorem conditi: ut is Teſtamento præceperat. Hieronymus Niger Venetiis Principe, & Senatu audiente, in illius funere orationem habuit.

Cum Franciscus Cornelius Cardinalis renunciatus prætenderet, ſe anteferendum eſſe in ſeſsionibus, & aliis Cardinalitiis actibus Franciſco Cardinali Quignonio, ex eo quod in Conſiſtorio die tertia Maji decretum fuerat, ut ipſe aſcriberetur Cardinalibus, Congregatio Cardinalium pro Quignonio ſtetit, & Quignonium præferendum eſſe decrevit, ex eo quod illius Diploma a Clemente deſcriptum ante illud Cornelii fuiſſet.

Cardinali huic ſuarum Orationum unam inſcripſit Angelus Beolcus cognomento Ruzantes civis Patavinus, vir ſæculi præteriti a multis, & in noſtro a Jacobo Philippo Tomaſino Patavino, Epiſcopus Æmonienſis celebratus.

FINIS DECADIS SECUNDÆ

CARDINALIUM VENETORUM.

Ad

Ad Secundam Venetorum Cardinalium Decadem

ADNOTAT.

QUum ex Decade iſta ſecunda, primæ inſtar, binos tantum Purpuratos Proceres, qui cæteris eadem comprehenſis inſignius eminerent, ſeligere, ipſoſque Adnotationibus quibuſdam meis illuſtrare, in animum induxiſſem, anceps aliquandiu hæſi, quibusnam officium iſtud impenderem. Occurrebant ſiquidem mihi ex una parte Dominicus Grimanus, & Marinus ejus nepos, ambo Patriarchæ Aquilejenſes præſtantiſſimi, ambo literis, & probitate egregie præditi, inſignes ambo ex præclaris ingenii monumentis poſt ſe relictis, ſimulque ex Legationibus pro Apoſtolica Sede ſplendide, ſapienterque obitis, Dominicus præterea ob ampliſſimam Voluminum Bibliothecam primum ſibi comparatam, deinde dono datam Cœnobio Sancti Antonii Venetæ Urbis, ſingulari elogio commendandus. Alia autem ex parte meum illud officium ſibi deferri poſtulabant Marcus, & Franciscus Cornelii, quippe qui Catherinæ Corneliæ Cypri Reginæ arcta ſanguinis neceſſitudine conjuncti, virtutes prorſus inclytas, & regali propemodum genere dignas præſeferrent. Tertio loco Maphæus Gerardus, & Franciscus Pisanus verecunde meum ad ſe calamum pertrahere conabantur, exemplum ille innocentiæ, ſeu dum inter Monachos vixit, ſeu dum Patriarchales Patriæ infulas geſſit, Pisanus vero Urbis Patavinæ, cui præfuit Antiſtes, etſi brevi tempore, ut Aloyſio nepoti locum daret, parens, & ornamentum jure cognominatus, Romanæ autem decus per eos omnes quinquaginta tres annos, quos ſacra amictus Purpura tranſegit. Pariter Petrus Ciera, & Franciscus Argentinus ægre quodammodo laturi mihi videbantur, ſi magnam doctrinæ famam ſua ætate conſequuti, indicti abire ſinerentur. Tandem reliqui duo & ipſi operam meam ſibi tribui popoſcerunt, nimirum Hermolaus Barbarus, & Petrus Quirinus, licet eadem vix, aut ne vix quidem digni, communi judicio, cenſeri poſſent, quandoquidem certum eſt eoſdem inter Cardinales adnumeratos fuiſſe a Ciaconio, & ex Ciaconio in Aulæ meæ parietibus deſcriptos, ea tantum de cauſa, quod Purpura fuerit illis deſtinata, non vero quod eandem acceperint. Nihilominus cauſæ mihi juſtæ non defuerunt, cur ipſis, potius quam aliis, primatum, de quo contentio erat, adjudicarem. Hermolao Barbaro avus fuit ex Zacharia filio Franciſcus, is ipſe, cujus literis evulgandis, geſtiſque illuſtrandis duo non adeo modicæ molis

Digitized by Google

Volumina a decem circiter annis confeci; is ipſe, cujus Scripta quod ſummo honore dignaretur HERMOLAUS ejuſdem nepos, ad Arnoldum Gandavenſem ita is ſcripſiſſe comperitur, *Orationum, & Epiſtolarum mearum libros exire niſi caſtigatiſſimos volo; alioquin iniquum eſſet & temerarium monumentis Avi nondum editis; nec Themiſtium emiſiſſem, ſi quid in eo genere literarum ſcripſiſſet Avus*. Emiſſis igitur a me Franciſci illius monumentis, & gloriam ejuſdem adaugere pergam, & una ſimul animo HERMOLAI minime adverſari cenſebor, ſi ejus quoque monumentum aliquod in lucem, quam nondum viderit, proferre mediter. QUIRINUM autem nominaſſe idem eſt ac patefacere, me ex debita Majoribus pietate omnino adigi ad ejus memoriam honorandam.

HERMOLAI nunquam editum monumentum, & prorſus utique dignum quod edatur, miniſtravit mihi Codex Vaticanus, inſcribiturque *de Legato*. Hoc autem eo libentius a me evulgabitur, quo compertius eſt non aliam forte Venetam familiam parem ſibi gloriam in Legationibus gerendis comparaſſe, ac adepti ſunt HERMOLAUS ipſe, Zacharias ejus pater, Franciſcus ejus avus; inde enim facile adduci poſſumus ad credendum neminem eodem HERMOLAO magis idoneum fuiſſe ad conſcribendum de hujuſcemodi argumento commentarium. Franciſci Legationes hiſce verbis collaudat præclariſſimus Senator Venetus Ludovicus Fuſcarenus in Epiſtola ad Hermolaum Barbarum, Veronenſem Epiſcopum, HERMOLAI noſtri patruum, *Omnibus artibus, quæ libero homine dignæ fuerunt, eruditiſſimus, mea totiuſque Italiæ, quam honorificentiſſimis Magiſtratibus, & Legationibus peragravit, ſententia, ſemper judicatus fuit antiquos ſuperaſſe, & vix noſtris hominibus ullam laudem reliquiſſe*. Addit præterea, *Tanta erat* FRANCISCI *apud omnes auctoritas, ut quocumque ſe verteret, Principum, populorum oculi, ora in eum ſuſpenſa converterentur. Nihil relinquebatur quod ad itinerum ſuorum pompam, aut ornatum excogitari poſſet. Aditus omnes tanti Viri viſendi cauſa complebantur. Sive publice, ſive privatim proficiſceretur, non peregrinari, ſed triumphare videbatur. Superabat virtus cognita exiſtimationem. Feliciſſimi erant, apud quos diutius commorabatur. Diſcedentem votis, lacrymis, complexibus, & omni honoris genere proſequebantur, ut digniſſimis Regibus plus tribui, concedique non potuiſſet*. Illuſtribus hiſce exemplis cruditi Zacharias Franciſci filius, & HERMOLAUS ejuſdem nepos præclaram & ipſi gloriam ſibi pepererunt in obeundis Legationibus, a Patria in eoſdem adeo large collatis, ut idem HERMOLAUS Georgiæ Merulæ de Legatione Mediolanenſi ſibi maximo Patrum conſenſu delata libere

va-

valuerit affirmare, nullam aliam gentem, nullam aliam domum, vel tota Italia id ipſum jactare poſſe, quod ab eodem Senatu, ad eoſdem Principes, Avus, Filius, & Nepos fuerint ablegati. Singularem familiæ ſuæ in ſuſcipiendis hujuſcemodi muneribus prærogativam modeſte memorare non omittit HERMOLAUS in opuſculo ipſo *de Legato*, quod ſtatim ſubdo.

Legati munus eſt mandata Reipublicæ ſuæ, vel Principis obire diligenter, & ex uſu ejus, a quo Legati nomen habuit: Hujus officii præcepta quanquam tradi poſſint, plus tamen neſcio quid in hominis prudentia ſitum eſt, quam quod mandari ſcripto queat. Multa dabit occaſio conſilia, multa etiam temeritas, quæ omnia comprehendi nullo modo poſſunt. Legati autem aut ad internuntiandum, aut ad pacem cum hoſte componendam, aut ad fœdus, ſocietatemve jungendam, aut conſervandam mittuntur. Cauſæ ſunt & aliæ, ſed illuſtriores, & magis inſignes hæ ſunt. Porro quia & belli denunciandi ratio, ac condendæ pacis opus, & ineundæ ſocietatis, raro non intra paucos dies abſolvitur, de uno tantum genere Legatorum dicemus, qui tuendæ ſocietatis, aut benevolentiæ gratia ultro, citroque mittuntur, breviſſima unius manus ſyngrapha, uti curent eum, ad quem Legati ſunt, quam ſtudioſiſſimum, & amiciſſimum civibus ſuis, aut Principibus efficere, continereque. Non habet præfinitum aliquod tempus hujuſmodi Legatio, ſed apud nos anno fere concluditur, poſcentibus Legatis, & interim valetudinem, & interim familiarem rem ſuam quærentibus, & interim ne amare videantur, quod alii faſtidiunt. Pater Romæ plus anno egit, Neapoli biennio, non quia nollet redire, ſed quia ſucceſſorem haud impetrare poſſet, quod apud eos Principes auctoritate, & gratia valere dicebatur. Sed ad præcepta veniamus.

Finis Legato idem eſt, ac cæteris ad Rempublicam accedentibus, ut ea faciant, dicant, conſulant, & cogitent, quæ ad optimum ſuæ civitatis ſtatum & retinendum, & amplificandum pertinere poſſe judicent. Huc ſi ſpectaverit Legatus, & ſi huc totum ſe converterit, haud temere unquam labetur. Hoc amplius præſtare debent Legati, ut mandata ediſcant, & exſequantur, nunquam committant, ut ſe prudentiores judicent. Incidunt quidem cauſæ nonnunquam, ut mollienda quædam, & quaſi repolienda ſint mandatorum genera, quoties videlicet aliquid ſupervenerit, quod Senatus Decreti ſui tempore neſcierit. In quo tamen multiplex adhibenda prudentia eſt. Quid enim ſi tale ſit, ut neſcire Reſpublica voluerit, aut ſcire diſſimulaverit, aut nihilominus etiamſi ſciſſet, conditura idem fuiſſet? Mediolani agebam Legatus, jubet Senatus, denunciem Principibus,

ut arma ponant, quæ in Forolivienſem agrum moviſſent. In iſto temporis articulo nuncius victoriæ, & quod facta eſſent omnia, ſupervenit. Conſilium e re cæpi, gratulatus ſum; veniſſe me ad eos finxi rogaturum, ut providerent, ac proſpicerent tranquillitati Italiæ, utque non armis bellum, ſed jure decerni paterentur. Tantum mutare ſenſum nolui, verba coactus ſum novæ rei ſuperventu. Laudatus ſum a Patribus. Mediolanenſem quoque Principem, qui quanquam haud ſciret, quid efferrem, conjectura tamen ceperat, cur veniſſem, admiratum ſcio, quod rebus jam compoſitis, omnino tale aliquid retuliſſem, tum converſum ad ſuos dixiſſe: Aliud eſſe Reipublicæ, aliud Tyranni Legatum agere, quod & verum eſt.

Legatus niſi affectus omnes, & opiniones de Republica ſtatim digreſſus urbe poſuerit, exſuerit, abjunxerit, nec ſibi, nec Reipublicæ ſuæ conſulet. Extrema dementia, & propius ſceleri, quam dementiæ peccatum, non dico præterire, aut in contrarium ire, ſed aut malignius, aut negligentius obire mandata, quia ipſi aliter aut urbe proficiſcentes ſentiremus, aut modo ſentiamus. Nunquam ſatis dictum eſt, quod præceptione . Legatus niſi ſe multo inferiorem & judicio, & uſu rerum, quam Patres exiſtimet, protinus Legati fine decidet. Solet hoc plerumque rationibus publicis officere, ſed privatis antevertere, præſertim in noſtra Civitate, ubi nihil ſeverius expenditur, quam aut factum, aut dictum Legati, nulla parte delinquitur minus, nulla parte delinquitur odioſius. Commiſereri ſolet, ſi in Magiſtratibus, & urbanis, & peregrinis quandoque, in Legato nunquam. Curare debent Legati, ut gratia, & auctoritate valeant apud eos, ad quos mittuntur. Id autem omnes quidem virtutis, ſed præcipue bonitatis, & integritatis opinione conſequentur, & ut Pater meus mecum de Officio Legati diſſerens diligenter expreſſit, liberæ cujuſdam, & ingenioſæ ſimplicitatis, nam ſervilis & ruſtica non auctoritatem, ſed contemptum efficit. Ingenium quoque negotioſum, & callidum ſollicitudinis, & oſtentationis plus habet quam utilitatis, & vitatur ab omnibus fraus publica, qua nihil adverſius his, qui ad gratiam, & benevolentiam conciliandam profecti ſunt. Nonnulli propter nimiam calliditatis, & aſtutiæ famam Legationes ſuas nunquam non infeliciter concluſerunt, contra alii, mediocri ingenio uſi, nunquam non feliciter.

Legatum eſſe Te, non exploratorem memineris, alioquin reſcire quid agatur, facilius eſt iis, qui negligere videntur, quam qui diſſimulare curam talem haud poſſunt. Luſtrare debent omnia non furtim, non latrunculorum more, ſed interim ſimpliciter,

ter, & aperte, interim per gradus, ſed quodam quaſi ſenſu, nec ſtrepitu, ſed ſilentio. Multa ſunt, quæ non continenter, ſed membratim, & vellicatim interrogare oporteat; quædam ita, ut aut negligenter, aut invitus audire videaris. Interpellabat, & interrumpebat aliquando Zacharias pater meus, quæ ſcire cupiebat, ne ſollicitudinem ſuam detegeret, & ut major fides ſibi haberetur, quam ſi ultro ſciſcitari vellet. Quidam ut induſtrius, & ſatis agentes ſe civibus ſuis oſtentent, non ſolum ſcrupulatim quid geratur perminima quæque perſcribunt, ſed quo nihil eſt ſceleſtius, confingunt aliqua, atque comminiſcuntur, aut quæ non fecerint, feciſſe, quæ non reſponderint, reſpondiſſe prædicando, multo ſæpius, quæ fecerint, aut reſponderint tacendo. Hæc ſemper vanitas eſt, plerumque perfidia, utique ſi ex hujuſmodi mendacio aliquid incommodi patiatur Reſpublica. Adde quod damnoſa Reipublicæ mendacia raro unquam occludi diu poſſint. Cum primum læſam ſe noverit, reclamat offenſa Civitas, auctor depoſcitur, inquiruntur, circumſpiciuntur, miſcentur omnia, donec veritas eluceſcat, tum pœnitentia mendacii oritur, tum tanta mentis æſtuatio, ut nihil habeat præter ſe quod accuſet, unicum videatur perfugium, ut mendacia mendaciis operire tentet, atque ita funditus etiam majori jactura pereat.

Multum placet Principibus, & populis in Legato dexteritas, & cum dexteritate juncta gravitas, & cum gravitate lenitas, & humanitas, præſertim in Veneto, qui ſive quod ſeparatis legibus utuntur, victu quoque, aut veſtitu, ſive quod ſeverius in ſontes animadvertunt, ſive quod gentis antiquitate, libertatis, & Imperii diuturnitate gloriantur, ab inimicis, & invidis ſuperbi, a reverentioribus tetrici cognominantur. Proinde ſummo ſtudio adniti decet, ut injuſtam patriæ nomini invidiam, non diſputatione, aut ſermone tantum, ſed opere, atque facto coarguamus, ita tamen ut publicæ dignitatis nunquam obliti eſſe videamur. Nec probo, nec admodum damno Senatoris cujuſdam noſtri dictum: Notent, inquit, in Veneto ſuperbiam, modo, ut ait Flaccus, meritis partam eſſe fateantur, ſuperbiam non eſſe re Venetum, ſed ſi foret, multa tamen eſſe, quamobrem fieri poſſet, immenſas opes, innumerabilia & belli, & pacis decora, Imperium terra, & mari præpotens, ut uni tantum Romano cedat, diuturnum, ut nulli. Expende aliarum civitatum mores, finge hæc in illis eſſe, quæ in nobis ſunt, quid, obſecro, aut illi facerent, aut quid nos facimus, quod illi non facerent? Sed hæc alterius loci ſunt.

Breviſſima eſſe debet cum Principe oratio; occupati enim ſunt, & ſibi parci gaudent, & hanc Legati magni faciunt.

Ra-

Rarus quoque aditus ad eos laudari ſolet, fere quod privatam exiſtimationem, & publicam dignitatem conſervat. Faciles ſermonibus præbere Legati ſe debent, populares eſſe, & vulgares ultro ſeſe cum omnibus, atque ſemper dare debent. Hic mos Veneto peculiaris eſt, & maxime apud omnes commendatur; nunquam niſi rogatus, aut miſſus in Regiam proficiſcitur, cæteris propemodum aſſiduis, quod quidem eos & Principi moleſtos reddit. Ante omnia cavere debet Legatus, ne pro ſe, neu pro aliquo, aut de aliqua re cum Principe unquam loquatur, niſi Patres mandaverint. Magnam perſonam Legati ſuſtinent, adeo ut cum in controverſiam inciderit Reſpublica de finibus, per Advocatos, non per Legatos ſua jura defendi velit, tantum abeſt, ut apud Principem intercedere Legato liceat. Philippus Mediolanenſium Dux cum Legatorum preces nec reſpuere auderet, nec admittere ſæpenumero fas eſſet, edicto ſanxit, ut quæcumque Legatorum interventu quilibet impetraviſſet, anno tantum valerent, abolita, & irrita poſt tempus illud eſſent.

Ticini agebam Legatus, confluebat ad me fere omnis literatorum ordo, ut ad novos aſſolet, non tam honorandi, quam explorandi gratia, qualis eſſem; frequentabat ædes meas & Ludovicus Princeps. Percrebuit fama bono me apud eum loco eſſe; tam qui ad Prælectiones ſubſcripti erant, & qui jam prælegebant, commendari per me Principi volebant, negavi privatum commendatorem eſſe cujuſquam. Excuſavi leges mandati, quibus indicta gravi multa omne patrocinii genus Legatis interdicitur. Pollicitus ſum tamen in communi laudaturum me literatos omnes Principi, quod & feci. Ita Princeps laudari a me ſuos audiens, probavit candorem, & cum nemini beneficium rogaſſem, modeſtiam. Laus hæc Veneto propria tribuitur, obæratum eſſe nolle Principi, nihil ab eo petere, nunquam niſi de Republica differere. Nullius apud Te aut auctoritas, vel preces, vel amicitia tantum poſſint, propter quam ab inſtituti hujus tenore decedendum putes. Teſtimonium caſtitatis, & innocentiæ noſtræ Principes ipſi reddant, quis hanc auſit convellere?

Plerumque Principes de Deceſſoribus, & Succeſſoribus interrogant, & multæ poſſunt eſſe cauſæ, quamobrem interrogent, nunquam committendum eſt non dico ut cupide, ſed oratione artificiali locuti eſſe videamur, nunquam decet, nunquam tempus eſt, ne quis de Cive inter alienos male reſpondeat. Finge illum, de quo quis nunc te interrogat, interrogatum de te prius fuiſſe, nonne ille ingratus, & malus vir, ſi honorifice loquaris, de quo prius ipſe male prædicaſſet? aut tu, ſi ille? Et hercle ſucceſſores deceſſoribus, & contra hi illis detrahunt, invicemque

que carpunt mores, & acta damnant; magnuſque & erectus ille fuerit, qui communem, & promiſcuam labem vitare poterit. Deum teſtor, de nulla re prius percuntari me cœperunt, qui obviam mihi Mediolanum eunsi prodiere, quam de vita, & moribus, & exiſtimatione Deceſſoris, nec male ſentiebant illi de homine, ſed qualis, & quam prudens eſſem ipſe, periculum faciebant. Verum illis ex ſententia non ceſſit. Ita enim reſpondi, ut eos ſuæ ſciſcitationis, & curioſitatis pœniseret. Eos vero, qui me ad cavillandum, & retaxandum invitabant, non ſolum refrigeravi hoc meo pudore, ſed etiam retudi penitus, atque fregi. Nunquam tantum ſit aut bonæ conſcientiæ, aut ſimultatis in quoquam, ut deceſſorem, aut ſucceſſorem parum amicum nominet; ubique, & inter non ſuos, nolo, ſi flagitioſus, ſi inimicus, infenſuſque Reipublicæ, volo, parcas. Da hoc patriæ, ſi non homini; plus hoc Veneto Venetus debet, quam cæteri; cum hæc dignitas Imperii non alia tantum ratione coaluerit, creverit, duraverit, quam civium inter ſe concordia, hanc qui odit, non eos odit, quos odit, ſed ipſam plane Rempublicam odit.

Legatorum quoque crimina vel lege, vel extraordinaria pœna vindicentur; non dico ſi quæſtum aliquem exerceant (nam & hoc lege prohibetur, non quaſi crimen, ſed quaſi & dignitati, & utilitati publicæ contrarium) illud dico, ſi adulterium, ſi vim, ſi ſtuprum attulerint. Et hercle par eſt, ut qui Reipublicæ cauſa abſunt, quemadmodum ſi honores petunt, ita ſi flagitioſe vivant, abeſſe non dicantur. Confundit judicia ſua vulgus, & ex unius aut bene, aut male facto metitur omnes, nullo diſcrimine, aut reſpectu, non unius, qui peccat, ſed potius gentis vitium eſſe prædicant. Severitate noſtra Reſpublica opus habet, non ut ſæviat, ſed ut exiſtimationem ſuam aſſerat, non ut illum, vel illum puniat, ſed ut ſe redimat amiſſam. Qui tantum & voluptati, & cupiditatibus ſuis indulſit, ut civitati maculam inureret, poſtulare haud debet, ut ſibi parcat Reſpublica, qui Reipublicæ nunquam pepercit. Ergo Legatorum, & Magiſtratuum abſtinentes eſſe debent & manus, & oculi, perinde quam Sacerdotum, quoties ad aram ſtant, & in divinis operantur. Meminerint nulla re tantum de Republica benemereri, benemerita de ſe prius, quam ſanctitate morum, & innocentia. Quanquam uſque adeo perverſi quidam ſunt, & præpoſtere ſibi conſulunt, ut quoniam procul abſunt ab auribus, & oculis popularibus ſemoti ſunt, prædam morum faciant. Obſcœna cogitatio, ambire Legationes, & provinciam, ut occaſionem impune delinquendi, hoc eſt ſine teſtibus, & arbitris inveniant, luxurioſius, & licentius vivant, cibo, potuque mergantur, exoletos,

& con-

& concubinas (prob ſcelus, pro monſtrum, inuſitato pœnarum genere luendum) circumferant, unde tritum illud, nec uni notum Italiæ. . . .

Continentiæ Legatorum & comites, & familia reſpondeant. Magnus eorum numerus eſt, qui ad Legatum eo ipſo die, quo renunciatus eſt, quaſi nomina daturi confluant. Legendi ſunt qui manſuetudine, modeſtia, probitate, cæteros anteire videantur; boneſta quidem ſpecie, ſed virili, & ab omni ſuſpicione remotiſſima, omnino ut formam ejus potius quam mores accuſare poſſe malis. Delicta familiæ, quanquam nulla debeant, duo tamen ejuſmodi ſunt, ad quæ ſi Legati conniveant, plus ipſi peccant, quam qui deliquerunt, contumelia, & impudentia ſive domi, ſive foris. Alterum diſcordiæ, alterum injuriæ ſeminarium eſt. In Legati domo pax ſit, alias Legatus ab omnibus contemnitur, & ludibrio babetur, præcipue vero ſuis. Nibil eſt tam inimicum bonis moribus quam otium, & deſidia. Optandum eſt, & uſque adeo ſummopere quærendum, ut alicujus omnes artis ſtudio, voluptateque ducantur, vel pingendi, vel ſcribendi, vel canendi, vel calculis etiam ludendi. ΤΕΛΟΣ.

Vix quiſquam ſibi perſuadeat, hominem qui ita ſapienter de Legati officio diſſeruit, eum ipſum fuiſſe, cui pœnæ luendæ fuerint ob violata ejuſdem officii inſtituta. Unum ex hiſce Hermolaus ita tradit in ſuo illo Commentario, *Laus bæc Veneto propria tribuitur, obæratum eſſe nolle Principi, nibil ab eo petere, cum eo nunquam niſi de Republica diſſerere. Nullius apud Te aut auctoritas, vel preces, vel amicitia tantum poſſit, propter quam ab inſtituti bujus tenore decedendum putes*. Deceſſiſſe autem ab eodem viſus eſt Civibus ſuis Hermolaus, dum ab Innocentio VIII. apud quem Legationis munere fungebatur, paſſus eſt Aquilejenſes Infulas capiti ſuo deſtinari. Eum quidem a facti illius invidia liberare conatus fuit idem Pontifex, de Hermolai electione ad Venetorum Ducem Epiſtolam conſcribens, quam ex Annalibus Marini Sanuti recitat Bernardus de Rubeis; at fruſtra, nam Hermolao infeliciter contigit experiri omnino verum eſſe, quod ipſemet ſcripſerat in Commentaro illo hiſce verbis, *In noſtra Civitate nibil ſeverius expenditur, quam aut factum, aut dictum Legati, nulla parte delinquitur minus, nulla parte delinquitur odioſius. Commiſereri ſolet, ſi in Magiſtratibus & urbanis, & peregrinis quandoque, in Legato nunquam*. Eam ſeveritatem quam æquo animo tulerit Hermolaus, fidem faciunt ejus literæ, quas conſcripſit ad Antonium Calvum Patritium Venetum, quæ ſcilicet mihi occurrerunt inter editas Angeli Politiani. In unis Hermolaus hoc utitur exordio, *An-*

to-

teni vir præſtantiſſime, bono ſis animo. Qui me ad Sacerdotium dormientem, atque adeo reluctantem vocavit, etiam conſiantem, & fortem eſſe voluit. Æquiore animo adverſa hæc fero, quam ſecunda illa tuli, Deum juſtitiæ & innocentiæ meæ teſtor; idemque argumentum uſque ad earundem calcem proſequitur. Fuſius adhuc illud ipſum pertractat in literis, quæ mox citatas illico ſequuntur, eæque his deſinunt verbis, *O felix calamitas, quæ literas mihi, & me literis, imo ipſum mihi me reſtituit! O beata clades, quæ meam mihi pacem reddidit! O candida tempeſtas, quæ mihi ſecuritatem peperit! O dulcis acerbitas, quæ me in ſuaviſſimum portum e longa jactatione, ne dicam naufragio, reduxit! Si tranquillitas quæritur, parabunt literæ, ſi gloria literæ, ſi cætera, quæ partim ſuppetunt jam, partim contemno, literæ. Vivens experior tam modica in me doctrina, quantum Viri literati ſperare poſſent in morte. Si qua nomen noſtrum voluntate Dei funditur, nemo id Legationibus, aut Magiſtratibus, quos geſſi, acceptum refert, ſed literis. Multo plures* Hermolaum, *quam Candidatum me diligunt. Falluntur quidem fortaſſe illi, ſed ita eſt. Honores in Republica ſoli mirantur municipes, literarum decus æmulatur Orbis.* Tertiæ, quas pariter ad Calvum ſcripſit Hermolaus, par animi robur præſeferunt in nova etiam clade, quæ eidem ſupervenit ex Zachariæ patris obitu. Datæ ſunt Idibus Decembris mcccclxxxxii.

Paucos tantum poſt menſes deceſſit Hermolaus; quumque Nicolaus Donatus, quem Veneti Patres communi ſuffragio Patriarcham, vix accepto Cardinalis Barbi obitus nuncio, & antequam etiam deſignatum ab Innocentio VIII. hujus ſucceſſorem fuiſſe Hermolaum reſcirent, delegerant, fatis etiam conceſſiſſet poſt annos ſex regiminis Patriarchalis; Dominicus Cardinalis Grimanus, de quo in hac Decade, idem regimen pariter ex Patrum ſuffragiis ſuſcepit, hocque perduxit uſque ad annum 1523. Doluit iſte ereptam ſibi anno 1509. occaſione belli, quod ex Fœdere Cameracenſi agebatur, Aquilejam; at de recepta, antequam vitam amitteret, civitate gaviſus eſt, Vormatienſi Capitulo indicente *anno* 1521. *die* 3. *menſis Maji, ut ſalva ſemper jura forent Reverendiſſimi Patriarchæ in quocumque loco.* Ita apud Bernardum de Rubeis cap. cxiii. idemque ibidem verba facit de Aquileja a Marino Grimano, de quo pariter in hac Decade, retenta, imo eidem rurſus adjudicata, firmiore ſententia in Tridentino Conventu lata, narratque quomodo poſtea acciderit, eam ipſam civitatem ademptam fuiſſe Patriarchis anno 1542. ob coemptam a Venetis Marani arcem, quam Petrus Strozzius Turcis palam ſe velle tradere profitebatur. *In hoc jace-*

cebat mœrore (hæc pariter ejuſdem Scriptoris ſunt verba) *Marinus, cum vitam denique explevit ornatiſſimam Urbeveteri, quem in locum levandi animi gratia conceſſerat.*

Ut aliquid amplius de Hermolao addam, referam ex Politiani epiſtola ad eundem gratulationis officium, quod illi detulit ex collatis in ipſum Aquilejenſibus Infulis, *Explicare non poſſem literis*, Hermolae, *quanta mihi lætitia prandenti nuper ſecum Laurentius Medices Te Patriarcham factum eſſe Aquilejenſem nunciaverit. Ego vero tanto ſum ex ea re gaudio, tantaque voluptate perfuſus, ut in ipſo quoque diſcubitu (quid enim manifeſta negem?) geſtierim, exilierim, lætum, felicemque nuncium, vix ipſe me capiens, proclamaverim. Et nunc gratulor Tibi, gratulor doctis omnibus, gratulor ſæculo*, Hermolao. Cauſam tanti gaudii his deinde verbis explicat, *Etenim ſummo loco natus, amplis opibus innutritus, egregiis honoribus perfunctus, & faſtigia diſciplinarum pene omnium tenes, ac ſtudioſos artium bonarum (quamvis humili fortuna plerumque ſumus) ita complecteris, & amas, ut æque cunctis quaſi majeſtatis faſces, ac vexilla ſubmittas.* Equidem Hermolaus haud gravabatur profiteri ſe in famulatu eſſe ſtudioſis omnibus, ut loquitur ſcribens ad eundem Politianum. At multo juſtius grave eidem eſſe minime oportebat delatum ſibi Sacerdotium pro ſua erga Patrias leges caritate repudiare. Id tamen adeo non præſtitit, ut in literis Venetias etiam tranſmiſſis ſe inſcribere non dubitaverit Venetum Oratorem, & Patriarcham Aquilejenſem, ut compareat ex iis, quas Calvo dedit.

Tandem Lectorem commonefaciam, Hermolai Barbari paucùlas quaſdam ineditas Epiſtolas extare in Bibliotheca Vaticana; extare pariter ibidem, ineditas quoque, nonnullas ejuſdem Animadverſiones in Cornucopiæ Perotti, Jacobo Antiquario inſcriptas, quarum brevis Prologus hujuſmodi eſt, *Cum ſuperioribus diebus incidiſſet in manus meas ipſum Perotti Cornucopiæ, illexit & omen & nomen ad legendum, præſertim quia Dioſcoridem editurus eſſem paulo mox, proindeque univerſum percurrere nec otium, nec voluntas fuit, vellicatim, & ſaltuatim legere ſatis habui, intra quatriduum abſolvi, quatenus ad negotium meum ſpectabat. Errata ejus nonnulla comperi. Ea tecum ut communicem opus.* Ea Perotti errata ſeu, ut ipſe vocat, vitiligines, poſtquam adnotaſſet, profitetur ſe plura præteriiſſe, *& ea maxime, in quibus cum nimis literoſum, & ſciolum ſe facit, aut ſine certo teſte loquitur, aut unum aliquem veterum Auctorum facile, ne dicam temere, coarguit.* Ex Carminibus, quæ ad duodecim millia condidiſſe perhibetur Hermolaus, unicum dumtaxat diſtichum ſervant Vaticani Codices, dignum utique,

Digitized by Google

que, quod, ob moralem ſententiam, quam explicat, finem imponat noſtris in eundem Adnotationibus. Eſt autem hujuſmodi.

Judice me primum eſt bene vivere, ſcire ſecundum,
Aſſeritur cœlo ſi quis utrumque poteſt.

Petrum Quirinum, quem hoc loco jungere decrevimus Hermolao Barbaro, huic arcte prorſus jamdiu conjunxerant, præter parem, quæ utrique obtigit, ſacræ Purpuræ deſtinationem, eximius bonarum literarum cultus, & egregia illuſtriorum Patriæ ſuæ munerum, Legationum præſertim, adminiſtratio, ac tandem æque ſubitus, atque mirandus ex iis dignitatibus ad Eccleſiaſticam vitam tranſitus, diſpari tamen ſorte ab ipſis ſuſceptam, infauſte ſcilicet a Barbaro, uti jam narravimus, proſpere autem a Quirino, uti ſtatim oſtendent afferenda a me documenta, quæ nunquam antea lucem conſpexerunt. Ea, potius quam narrationes marte meo confectas, in medium adducere ſatius mihi videbitur, ne quiſquam ſuſpicari poſſit, carni, aut ſanguini quidpiam me dediſſe in affinis Geſtis recitandis. Politica & literaria pariter decora in Quirino emicuiſſe, antequam Camaldulenſium Eremitarum ſagum indueret, abunde teſtantur præſtantiſſimorum ejuſdem Civium literæ, nimirum Gaſpari Contareni, & Nicolai Theupoli, quas, & reliquas omnes inferius afferendas, ex Eremo Patavina, vulgo *Rua*, ante aliquot annos obtinui ſtudio, & favore Patris D. Tiburtii, qui modo in hac Romana Curia Procuratoris generalis Eremitici ſui Cœtus munus accurate gerit. Ambo illi Senatores, Patriæ ſuæ maxima lumina, adeo doluerunt, eandem a Quirino jamdiu in magnis rebus verſato, ſummamque prudentiæ laudem ubique aſſequuto, repente deſertam fuiſſe, præſertim dum ſæviſſima tempeſtate agitaretur (Fœderis ſcilicet Cameracenſis) adeo inquam doluerunt, ut ad damnandum arreptum ab ipſo vitæ anachoreticæ genus aperte proſilierint, vel per contorta quædam, & aculeata ſophiſmata. Contareni literæ de eo argumento ita ſe habent.

Gaſparus Contarenus Vincentio Quirino, *ſive* Petro *Anachoritæ Ordinis Camaldulenſis* *Sal.*

Cum mihi eſt allatum te his proximis diebus ſacris eſſe initiatum apud Camaldulum, atque in ea ſolitudine omnem dehinc ætatem tuam agere conſtituiſſe, ſaneque pro eo ac debui, hanc rem graviter moleſteque tuli, communemque hanc de te jacturam cum tuis omnibus, & cum ipſa Patria mihi eſſe exiſtimavi. Qui ſi iſthuc ad te venire potuiſſem, libentius tibi co-

ram omnem animi mei offenſionem ultro patefeciſſem, citroque abs te percupide audiſſem, quibuſnam impulſus rationibus civilem vitam, & urbanam conſuetudinem tam repente, tamque præter opinionem deſeruiſſes, ut, ſi tua potior eſſet ſententia quam mea, factum non improbarem tuum, atque hoc item his, qui de te non bene ſentiunt, & liberius obloquuntur, comprobarem, ac demum & qua de re nunc vehementer angor, levarer ſollicitudine aliquantiſper. Cum verò ad te accedere minime potuiſſem, cum propter varias multiplicesque occupationes meas, tum præſentis belli cauſa; nam fere omnia itinera ſunt a latronibus undique circumſepta, & vix quidquam pateat in Italia, quo tuto ad aliquem locum progredi liceat, decrevi has ad te mittere literas, ne id mihi vitio verti poſſit, quod multi tibi in primis imputant, qui inſalutatis pene omnibus, amicitia & neceſſitudine tibi coniunctis hinc abiiſti, aut potius aufugiſti, quod quidem parum clementer, & humane factum neque ego in te laudaverim. Nam etſi firmiſſima mente, & animo penitus deliberato, quod decreveras, perficere omnino volueras, tamen tibi, qui politiſſimo es ingenio, ac ſumma bonarum artium præditus eruditione, non decebat abhorrere ab humanitate, & integrum fuiſſet vel adverſantibus tibi omnibus in tua te ſententia permanere, atque in hoc ſupremo munere, extremaque, ut ita dicam, a tuis omnibus ſeparatione (ſiquidem mortui illi mundo quodammodo eſſe videntur, qui ſeſe abdicant, ut tu feciſti, in Religione) ſatius erat, ſi vel quantulacunque amoris ac pietatis officia in tuos præſtitiſſes, quod quidem nec a Philoſophia erat alienum, niſi fortaſſe ſordent nunc penes te & ſunt obſoleta ea, quæ in Scholis didiciſti; neque abhorrebat a fidei Chriſtianæ inſtitutione, quæ ante omnia præcipit, ut æque neceſſarios, ac propinquos, atque noſmetipſos, diligamus. In quo porro placito atque decreto præcipue cavetur ne caritatis ac amoris officia ullo modo deſeramus, quibus ſine nullam conſtare artem & doctrinam, nullam ſapientiam ac diſciplinam, nec quidquam poſſe, quod ad bonos mores faciat, & ad utilitatem hominum communem, ſacroſancto teſtimonio confirmatur. Sed tamen, ut hæc prætermittam, ea breviter nunc attingam, in quibus multi graviter & acerbe te criminantur, & a quibus, quatenus per me fieri potuit, pro veteri noſtra neceſſitudine accuratiſſime te defendi, ac ſumma vi, ſummaque contentione partes tutatus ſum tuas, tametſi non ſatis ex liquido mihi conſtaret, quonam pacto bene eis adverſarer. Sed tamen cum mihi perſuaſiſſem, te vel ab ineunte ætate nil temere unquam, nihilque feciſſe aut egiſſe unquam inconſulto, hæc eo libentius ad te perſcripſi, ut ſi tu mihi, con-

ſilii

ſilii tui redderes rationem, quæ te ad hanc vitæ perpulit inconſtantiam, & mihi ipſi, & aliis, ut ante dixi, commode perſuaderem te in nullo eſſe crimine, nulloque penitus errore. Nam grave aliter eſſet, re incognita de tuo judicio judicare, præſertim cum jamdiu verſatus eſſes in magnis rebus, in quibus ſummam moderationis atque prudentiæ ſpeciem prætuliſti. Primum itaque tibi objiciunt te puſillanimitate quadam ductum, cum fremere undique bella conſpiceres, quibus nunc demum tota ardet Italia, ac nullum putares fore malorum finem, ac denique de Republica penitus deſperares, ut tuæ tantum conſuleres incolumitati, humile quoddam & ſordidum vitæ genus, nulla habita dignitatis tuæ ratione ſub inani ac ficta religionis ſpecie elegiſſe, teque e medio ſuſtuliſſe, relicta patria pene oppreſſa in ſæviſſima tempeſtate. Quapropter plurimi quoque plurimum de ingratitudine arguunt te, & reprehendunt, cum ampliſſimis pro ætate tua & conditione honoribus ab ipſa fueris hactenus proſequutus; hique aſſeverando adjiciunt, minime cives decere bonos, qui quidem membra ſunt civitatis, & qui curam Reipublicæ ſuſtinere debent, civilia deſerere officia, & agendi conſulendique munus in commune, ut quiſque viritim poteſt. Nam ſi tuo exemplo cæteri omnes hoc idem feciſſent, ſcilicet in belli anguſtiis duriſſimiſque temporibus patriam & civitatem, poſthabita omni pietate, desererent, & deſtituerent, certe nulla nobis extaret civitas, nedum ulla Reipublicæ forma, ſeu potius nullum imperii noſtri veſtigium. Quod ſi in exercitu milites in ipſa acie, in ipſo certandi diſcrimine nec conferre manum, neque ſervare ordines, neque hoſtes ſuſtinere, nec Imperatoris dicto præſto eſſe vellent, ſed imperia detrectarent, atque alius alio dilaberetur, ut ſibi magis collibuiſſet, & nautæ itidem in mari claſſem conquaſſatam deſererent, omneque parendi ac gubernandi officium recuſarent, nonne funditus omnia peſſum irent? quocirca majori ſupplicio transfugæ & deſertores quam hoſtes ipſi digni eſſe cenſerentur. Nam hi gravius quidem lædunt, & magis peccant, qui aut jure naturæ, aut alia lege obſtricti deſerunt, & produnt fidem, quàm hi, qui aperto marte dimicant, ſeque manifeſtos hoſtes & inimicos eſſe profitentur. Quicunque igitur neceſſarios & amicos, & patriam ipſam lareſque domeſticos deſerunt, quos quidem cum magis eorum opus eſt opera, juvare & fovere renuunt & recuſant, quod piaculum majus aut flagitium, quod ſcelus unquam magis atrox & deteſtandum poſſunt ulla arte aut ingenio committere? Qui igitur digniorem perſonam repræſentant, q ive in majori ſunt indolis expectatione, ut tu eſſe putabare, hujuſmodi obnoxii ſceleri, omnem prorſus

ſus nequitiam tranſcendunt, omnique omnino excuſatione carent. His autem cum ego acriter obſtarem, diceremque te potius amore pio religionis incenſum, mundi illecebras, & ludibria & cetera hujuſmodi frigida omnia mortaliaque deſpexiſſe, atque hac de cauſa ea officia neglexiſſe, quæ alioquin officere potuiſſent, ut conſilium tuum tam ſanctum tamque ſalutare in irritum iret, cum ſtomacho reſpondebant, quidni hoc idem aſſererent, [illegible]*, voluptatiſque magiſtri, qui quidem omnium ignariſſimi ea ſe deſpicere dicunt, quæ alii magni faciunt, ut ludicra & levia, ajunt ſe vivere ſibi ipſis, ac per ſe ſua negotia agere, cuncta & ſingula referentes ad proprium commodum propriamque utilitatem. At non ſic Socrates, & Plato, & hi, qui immortalem animum poſuerunt, qui in hoc neutique diſſident a Chriſti inſtituto, qui quidem Philoſophiam* οὐκ ἀνόνητον *eſſe volunt, ac omnia referunt in utilitatem hominum communem, nullaque re gaudere magis dicunt ipſum Deum, quam cum florentes Civitates civium frequentia, boniſque artibus, & bonis moribus conſpicit. Quod ſi tu pro gloria pro ſalute proque animi immortalitate vel hac via tendere voluiſſes, qua tendiſti, tuum erat potius ſuccurrere primum Patriæ laboranti, nec tuo commodo parcere propriæque ſaluti, quam ſic temere, ſic impie, atque nefarie temetipſum & tua omnia præcipitaviſſe. Nam ſic virtus tua magis ac magis enituiſſet, quo magis in anguſtiis atque difficultatibus emerſiſſet, atque ita hanc ingrati ignominiam & puſillanimi & ignaviſſimi, & non bene de Philoſophia atque religione ſentientis evaſiſſes. Addunt alii plerique, ut ſunt diverſa judicia hominum, quo magis aggravent factum tuum, quid ſi ſuperbia & indignatione impulſus, quod neglectus ſit penes Patres poſt Germanicam legationem, & neque in Senatu, neque in populo nanciſci potuit ullum Magiſtratum, idcircò contulit ſe in ſolitudinem, ut ſub mentita hac bonitate, atque hoc quæſito colore, ut fieri ſolet hoc tempore, vitia & malefacta ſua obumbrarentur, grandemque fortaſſe ſibi ita dignitatem in curia Romana aucuparetur? Confirmantque hoc argumento. Si vitam abjectam & humilem agere voluiſſes, ſpretis & calcatis mundanis omnibus ſoli inſerviens Religioni, non oportuiſſet te gloriabundum mittere epiſtolas circunquaque per univerſam Italiam, & divulgare quodammodo per totum orbem,* Quirinum *factum eſſe Sacerdotem,* Quirinum*, ut illi Gymnoſophiſtæ, ſub dio & ſpeluncis duriſſimam vitam traducere,* Quirinum *veluti alterum Paulum Eremitam vitæ ſanctimonia Chriſtianam Religionem illuſtraturum. Nonulli autem, qui magis libero ſunt animo, vel qui magis ſunt licentioſi, genus hoc Religionis ſeu dogma improbant, ad quod te addixiſti. Nam ventri & ſo-*

& ſomno potiſſimum dediti eſſe videntur, ut cetera ſub ſilentio prætercam, hi qui vetant ſtudia literarum, & qui abigunt ſe in luſtris ac ſolitudine, fugiuntque hominum commercium, ac ſeſe in clauſtra claudunt, ac ſi odio haberent, ut ille Timon Athenienſis, hominum genus. Nam hi, qui optime ſentiunt de Religione, præter res pro fidei amplificatione bene & graviter a ſe geſtas, in literis præcipue, ſine quibus nil lætum, & jucundum, nil utile & honeſtum ex integro in vita eſſe poteſt, egregiam operam navaverunt, ut conſpicuum eſt tam apud Græcos, quam apud Latinos, & apud alios omnes ſanctiſſimos ac ſolertiſſimos ſacrorum cultores, qui quidem aut verſati ſunt aſſidue in luce hominum, aut otium ſuum cum negotio pulcherrime conjunxerunt, benefaciendo magis quam nihil agendo, ut fecit Auctor ſalutis, qui exemplum nobis dedit, ut ſicut ipſe fecit, ita & nos faceremus. Ad hæc alii nonulli ingenti cacchino nauſeantes hanc inrident vitam, & hujuſmodi laceſſunt mores, quibus imbutus modo eſſe videris, ac ſi correpti eſſent atra bili hi qui ſibi ſumunt tunicam & cucullum, & qui abraſo vertice incedunt, & ſe ſe deterius vultu geſtuque deformant, quam olim feciſſe Adamantas ferunt, quos Homerus quondam ab his injuria laceſſitus per contemptum ἰγκυρταύχενας vocitavit, qui quidem Sacrorum ſpecie, veluti incurvicervicum pecus ſic vivunt, quia diffidunt ſe haud aliter victuros ſine labore, aut quia ſub hoc cultu habituque magis confidunt ſe poſſe credulos homines hallucinari, in qua quidem area velut per jocum hilariſſimè ſpatiantur. Sed ego, mi Quirine, *ex multis, ut antea dixi, pauca collegi, tum ne epiſtola prodiret in infinitum, nam pene ſunt immenſa atque innumera, quæ de te dicuntur: tum quia hæc mihi viſa ſunt eſſe ſatis ad hoc, ut honorem poſſis tutari tuum, & objectis criminibus reſpondere, atque hæc convicia & maledicta refellere. Nam niſi penitus neglexeris hominum opinionem, & quod plerique omnes de te judicium faciunt, proculdubio ita te defendas oportet, ut nunquam poſthac male audias, ſed potius honorem tuum, & tui gloriam nominis in integrum reducas, atque reſtituas, & te magis quam prius illuſtres ubique & amplifices. Vale.*

Contareni animum eo acrius pupugit capta a Quirino deliberatio, quo enixius hunc ab ea antea avocare conatus fuerat, valde veritus ne ad Etruſcos fines ejuſdem perficiendæ cauſa commeaſſet. Literæ, quibus illum tunc compellavit, ſpirant & ipſæ, æque ac ſuperius allatæ, ſuaviſſimum Scriptoris amorem, cujuſmodi ſtatim earundem initio patefaciunt verba iſta, *Me par un hora mille anni di veder una voſtra literina per intender del ſtato voſtro, & dei penſieri voſtri. Son con l'animo molto perpleſ-*

pleſſo, pur me par ſentir nel cuor mio una certa ſperanza di non perderve, e che la volontà de Dio non ſia che li ſerviate in ſolitudine, ma nel comercio de noi voſtri amici. Nè crediate che etiam in queſto mondo non ſe ſervi a Dio, ma che ſolum il ſtar in ſolitudine, voler indurar il cuor ſuo d'una quaſi crudeltà verſo ſuoi amici, & parenti ſia coſa grata a Dio. Ben è vero che quando li huomini, ad una tal vita molti, e molti anni ſono chiamati dalla divina bontà, per neſſun altro impedimento o di amicizia, o di parentella debbono reſtar d'exequir queſta vocazion, avendo però prima uſato ogni debito modo per cognoſcer ſe queſta è vocazion divina, o pure non, perche M. Vicenzo cariſſimo ben ſapete che il viver ſolitario non è natural all'huomo, el qual la natura ha fatto animal ſociabile, ma biſogna, che colui, che vuol metterſi a tal vita ſia d'una perfection eccedente quaſi la condizion humana, talche non con li ſenſi, ma ſolum con l'intelletto viva, alla qual perfection rariſſimi huomeni pervengono, però è grandiſſima preſonzion voler così al primo tratto creder che una ſimil vocation ſia da Dio, ma biſogna molto ben conſiderarla. Affert deinde in exemplum S. Baſilium, *el quale, come lui medeſimo dice in uno ſuo ſermone, andò etiam lui per diventar Anachorita, ma dappoi che l'hebbe provato quel modo di vivere, & advedutoſi che ſi aveva preſumpto di ſe più di quel che ſe convegniva alla condition ſua, ſe ne ritornò a viver con li ſuoi, diſponendoſi a ſervir Dio in quel ſtato, che la ſua fragilità le concedeva, non poſſendolo ſervire in qaella perfettione che lui averia voluto.* Et paulo poſt ſubdit, *Nè crediate che metendoſe in queſte tal impreſe così ardue, dicendo Dio me ajuterà, ſia in tutto penſier di perſona prudente, nè etiam di Chriſtiana, imo el meterſi a pericoli grandi, ideſt maggiori di quel che l'huomo cognoſſe di poter eſſer ſufficiente di paſſarli, ſenza neceſſità dicendo me confido in Dio, è manifeſtamente tentar Dio, e crediate che l'inimico dell'humana natura con aſſai perſone, le quali lui vede non poter ſedurre per altra via, uſa ſotto velame de gran perfection queſta tal via, per la qual molti ſon poi mal capitati, che molto meglio per loro ſaria ſtato, ſe i foſſeno ſtati al ſecolo con li altri in una vita mediocre, nè che loro aveſſeno affettato queſta così grande perfection. Crediate amatiſſimo mio M. Vicenzo che l'aſtuzia dell'inimico noſtro è maggior di quel che con l'intelletto noſtro potete capir; & ſe ve cognoſcete debile alla perſecution, che da lui havete vivendo al ſecolo, perſuadeteve eſſer debiliſſimo a quelle che haverete in la ſolitudine, & come la grazia Divina ve puol conſervar da queſte, ve preſerverà etiam da quelle del ſecolo.*

Con-

Contareni monitis de vitanda præpropera deliberatione, priuſquam ipſa accepiſſet, Quirinum paruiſſe, fidem faciunt plures hujus literæ ad Paulum Juſtinianum, ſibi amiciſſimum, quibuſque *Lycenopes* nomen plerumque ſubſcribit. Adeo abfuit Quirinus a temere amplectendo Eremitico inſtituto, ut iſti nomen non dederit niſi ab ipſo Juſtiniano, qui ad Eremum jam diverterat ſacrum cucullum ſumpturus, minutatim edoctus fuiſſet de vitæ in eo degendæ ratione. Quare inter literas illas unæ adſunt, quarum hujuſmodi eſt exordium, *Son ſtato queſti giorni in ſtretti ragionamenti col voſtro Lycenope, & hammi aſtretto, che io vi ſcriva, che egli doppo le voſtre così lunghe lettere, che li ſcriveſti alla prima gionta, che feſti nell'Eremo, ha ſempre fin a queſto giorno penſato di voi, & della nova voſtra deliberatione, & dice, che di giorno in giorno egli ſi ſente maggior deſiderio che prima, di venire a vivere inſieme con voi, & con l'iſteſſe condizioni con che voi viverete. Ben mi afferma l'animo ſuo eſſere di vedervi in qualche Monaſterio firmato, & paſſato il proſſimo inverno venirvi poi a vedere, & ritrovandovi contento, ſenza altra dilatione torre l'iſteſſo habito, che voi tolto havete, & ſe queſto ſarà nell'Eremo, dice voler da voi aſpettar quattro riſpoſte, overo informationi.*

La prima dell' obligation particolare, che hanno gl'Eremiti sì ne' digiuni, come nelli ſilentii, & nella ſolitudine, & nelle altre obedienze tutte, & la qualità, come ſapete ch'egli vole intendere, degl'habitanti di quel loco.

La ſeconda, quale vi pare il ſilentio, che nella prima Quadrageſima ſi obſerva, & ſimilmente il digiuno.

La terza, come havete reſiſteſto al freddo dell' Inverno tutto.

L'ultima ſel digiuno della ſeconda Quadrageſima, & il ſilentio ancora ſe vi ſarà ſtato grave. Quin adeo abſuit Quirinus a temeritate, quam dixi, ut in iiſdem literis præcepta quodammodo ipſe tradiderit Juſtiniano ſuo de eadem temeritate cavenda, namque ibidem ita loquitur, *Sapiate, che egli* (Licenope) *non vuole intender da voi queſte coſe particolari per altro riſpetto, che per vedere, ſe voi penſate poter durare a ſimil vita, perche durando voi, ancorche egli & più delicato ſia, & manco ſperar debba l'ajuto di Chriſto per gli error ſuoi, per quanto, ch'egli dice maggiori, pure li dà il core di poter inſieme col ſuo Giuſtiniano durare, & per queſto el vi prega, che dobbiate prima, che prendiate habito alcuno, penſare, e ripenſare, ſe la vita del loco, ove vi ponerete, ſia tale, che l'inſpiratione, che ferma havete nel core vi dica, che voi in eſſa potrete durare, & pa-*

& parendovi, che l'Eremo ſia loco più ſecondo il cuor voſtro, & dove ſperate buona perſeveranza, firmateve in eſſo, dice Lycenope, nel nome di Jeſu Chriſto, & di tempo in tempo dategli l'avviſi, come el vi dimanda, & inanzi il prender dell' habito, fate intender alli Superiori del loco, che queſto con loro bona licentia volete fare, perche io penſo, che ſenza la conceſſione loro, non potreſte ſatisfare il voſtro amico. Nè prendete l' habito, ſe prima non vi è permeſſo di dar informatione, come voi vi portate di tempo in tempo al voſtro Lycenope, il quale dice, che verrà a vedervi paſſata la Quareſima, & trovandovi contento, & di quell'animo, con che egli penſa, che vi dobbiate ritrovare, vi promette firmamente fermarſi lì ſopra, & ſe a voi così parerà prender l'habito, che preſo harete. Se veramente le diceſte, che tanto el non ſe ſtringeſſe, egli dice poi, che reſteria ſecondo la forma de' Capitoli a lui conceſſi; ma ben vi fa intendere, che di maggior ſuo contento ſaria eſſere come voi ſarete, che libero, e ſenza alcuna obligatione. Però non parendovi poter durar nell'Eremo, metteteve altrove, ne' Monaci più ordinati che potete, che egli vi promette venire a ſimil vita, ſe voi quando il vedrete ſarete contento, che lui venga, nè dice voler più tardar, che queſta proſſima invernata. Mi dice ancora l'Eremo piacerli più, che loco alcun altro, per non vi poter entrar ambitione di Prelature lì dentro, & vi conſorta, ſel core, ſel ſpirito vi dà di poter durare, che fatta qualche lunga oratione, con degiuni, & ſimil devotioni, attendiate quanto vi inſpiri Chriſto, & ſentendovi l'animo da vero inclinato a ſeguir quella ſanta ſolitudine, firmatevi, & tenete modo poi di poter di tempo in tempo avviſare come vi portate, ſempre perſuadendolo, & incitandolo a così fare, ſe queſto ſarà il vero parer voſtro. Ben mi prega, che vi debba dire, che penſiate bene alle parole di Geronimo, che ſon queſte : Solitariorum vita, quam ſatis expertus ſum, periculoſiſſima eſt, & ardua; & ſi bona quampluries, & Deo vicina, non tamen æque ſecura, ut ſimul habitantium in vinculo dilectionis, & caritatis affectu. *Et ancorche queſta ſententia ſia più toſto detta da Geronimo per coloro, che habitavan ſoli nell'Eremo, pure Lycenope dice, che dobbiate bene maſticarla, & vi conclude, che doppo l'oratione, & degiuni, ſel core vi dà potervi perſeverare nell'Eremo, che fermar vi dobbiate; non ſentendo queſta vera, & calda inſpiratione, fermatevi ne' Monaci Neri, & per li ſecondi, ne' Certoſini, dove più vorrete. Mi pare havervi aſſai particolarmente detto quanto Lycenope m' impoſe, che non vi ſcrive per il riſpetto, che ſapete. State ſano, & ſcrivetteme ſpeſſo, & io per*

via

via delli PP. di S. Michele farò il ſimile per nome mio, & di Lycenope noſtro, che a voi ſi arricomanda.

In aliis vero literis idem Lycenope fuſe enarrat pugnas, quas a communi hoſte ſuſtinere adigebatur, quæque demonſtrant, ſanctum propoſitum, re omnino perpenſa, impletum ab illo fuiſſe. Earundem deſcriptionem hiſce ille verbis abſolvit, *Queſti frate Paulo mio ſono gli miei penſieri, queſte le pugne, le contentioni, ch'io debile faccio encontro l'inimico d'ogni mio bene, & s'io non reſto d'eſſere al tutto vincitore, non mi ritrovo però, mercè di Jeſu Chriſto, nè ſuperato, nè dalle forze loro vinto. Debile ſon io miſero peccatore, debili forze ſono dal mio pietoſo Signore all'inimico mio concedute, & debili le battaglie che tra noi ſempre ſi commettono, nè maggiori io le vorei. Voi che ſete-li ſopra, lontano da mille occaſioni di peccare, accingetive pure a più alta guerra, prendete ajuto dal ſparſo ſangue del beato Figliuolo di Dio, preparate l'arme, che poſſino ſoſtenere li colpi, che di continovo vi ſeràno dati, ch'io potrò poi, quando serò lì ſopra, prendere da voi piena cognitione di quanto mi ſia meſtiero: & ſe voi anchora non fuſſe moleſto, a me sarebbe egli più che grato intendere a parte a parte, di tempo in tempo, fino ch'io venga a rivedervi quale vi ritrovate, & che battaglie & quali ſiano iſtate le voſtre, & io ſforzeròmi fare il medeſimo allegramente con voi; giovarete a me ſenza miſura, & io cercarò di ſodisfare in parte a voſtri voleri. State allegro, & expectatime, che s'io non moriſſe lì ſopra, duro mi ſeria il morire; in Jeſu Chriſto ſpero, egli mi drizerà a camino, egli rimoverà di certo ogni impedimento, egli qualhora manco penſarete, mi porgerà la ſua ſantiſſima mano, & di queſti paduli trahendomi fuori condurràmi tra que' ſanti boſchi, dove non ſenza l'ajuto ſuo ſpero fare in qualche parte la penitenza degli miei tanti, & così gravi errori. Al Maggiore, al Rinchiuſo, & agli altri tutti raccomandate la mia ſalute, nè per hora penſo di farvi oltra riſpoſta alle voſtre così lunghe, & a me gratiſſime lettere, percioccbè di molte altre particolarità ſarete dal noſtro* Quirino *certificato. Iddio con voi. Lycenope.*

Quæ omnia etſi ſatis ſuperque demonſtrent, non temere, ſed animo prorſus deliberato, Quirinum Patriæ honoribus Eremiticæ vitæ humilitatem prætuliſſe, attamen ad diſſlanda ea omnia dicteria, quibus in medium adductis Contarenus conatus fuerat, eundem ab eodem ſancto propoſito avocare, plura huc transferam ex Pauli Juſtiniani Epiſtola ad ipſum Contarenum, & una ſimul ad Nicolaum Theupolum exarata 12. Martii 1512. A capite ad calcem ſcatet illa redargutionibus ob ma-

chinas, quibus iidem uſi fuerant ad Dei opus, quod revera QUIRINUS ſua illa e ſæculo fuga perfecerat, impediendum, ſingillatim vero reſpondet iiſdem dicteriis, ſeu criminationibus. Ac primo explicat Juſtinianus qua ratione manifeſtus ſibi fuerit QUIRINI animus aliquot annis antequam ille in Clauſtrum ſecederet, *Il noſtro amato* QUIRINO (ait ipſe) *le coſe del Mondo in ogni parte più che alcun di voi havendo guſtate, e l'amaritudine di quelle apertamente cognoſciuta, non con novo penſiero, come forſe credete voi, tutte le ha in un punto abbandonate, & ſprecciate, anzi già molti non dirò meſi, ma anni havendole con l'interno affetto poco amate, hora le ha con l'exteriore effetto gettate, & à quelli, che nol ſapeano, qual foſſe l'interno dell'animo ſuo, dimoſtrato, il quale eſſendo ſtato a me in gran parte non novamente manifeſto, errore ſaria ſe a voi nol manifeſtaſſe; & ſe alli voſtri diſcorſi più toſto vorrete credere, che alla mia non finta teſtificatione, non d'altro ſerà la colpa ſe non di quello affetto voſtro in terra tutto ſommerſo, che ſimile a ſe ogn'altro giudica. Ma io me arricordo, che a pena era da' Patavini Studii uſcito il* QUIRINO, *& io ancora in quelle, non Studii, ma ſotto ombre di Studii altre occupationi mondane ritenuto, quando inſieme non una, non dieci, ma più di mille, e mille volte longhiſſimi raggionamenti facendo, per il primo paſſo il ſtudio delle ſacre Lettere dover eſſere la noſtra occupatione in queſta vita ſi proponeſſimo, non per ſapere, non per gloriarſi, o cercar d'eſſer gloriato, ma ſolo per ajutarſi con quelli ſtudii al ben, e chriſtianamente operare, al deſiderio della Celeſte patria accenderſi, & queſto già dieci ſon, e più anni, che era così nelli animi noſtri ſtabilito, che neſuna coſa era più ad ambedoi d'avanti gl'occhi, che queſta, e chi nol crede, nol creda a ſua voglia, che a noi non noce.* Hæc deinde ſubdit de ſuis, & QUIRINI ad plura ſacra loca abitionibus, dum tutiſſimum ſibi a ſæculi vanitatibus perfugium conquirerent, *Vi dirò già più di tre, e forſe quattro anni ſon paſſati, che il* QUIRINO *con voi vivendo exteriormente, nell'interiore dell'animo già con ſtabilita, e ferma ſententia vivea nell'habito, e converſation Monaſtica, o poco da quella diverſo, & ad eſſer tra' Monaci ſe ſteſſo havea dedicato, & alcun di voi ne potè eſſer di ciò certo, ſenza ch'io il diceſſi, che ſa quanti penſieri, quanti raggionamenti ſi ha di queſto inſieme fatti, hor nol crederà, chi vol nol credere, ma pure ſappiaſi, che là al Mantello non ſi andò per far quella Confeſſione ſolamente, ma ſi trattò di ſecreta coſa più a dentro, che non ſi moſtrava di fuora. A Pragia ſimilmente di viver con quei Monaci ſtretto, e maturo raggionamento fu fatto, e quel*

ſem-

Digitized by Google

ſemplice Tomaſo (de ſe ipſo loquitur Juſtinianus) *che all' hora moſtrava non ſapere, perche andarſi a .... non altro penſava, ſe non ritrovar loco, ove egli, & il ſuo* Quirino *ſi poteſſero dal Mondo ſeparare in penitentia de' ſuoi peccati, & all' amore di Jeſu Chriſto exercitare, & ripoſare. Tutto queſto vi dico, & molte altre coſe laſſo forſe più efficaci per moſtrarvi che non è ſtato nè novo, nè poco examinato, nè precipitato in alcun modo il penſiero, e lo effetto del noſtro bon* Quirino *in queſto ſuo abbandonare il Mondo, nè cauſato da alcuna mondana occaſione, come molti ſciocchi ſi credono, o ſi penſano, ma ſolo da un vero cognoſcimento delle mondane vanità, da un deſiderio della Celeſte beatitudine, da un ſincero amor di Jeſu Chriſto.*

Patriæ clades Quirini ſeceſſui cauſam non dediſſe his poſtea verbis declarat, *Chi penſa, o dubita chel* Quirino *ſi ſia alla Monaſtica, o Eremitica vita convertito per le ruine, per le perdite del Stato, e del Dominio della ſua terrena Patria è molto dal vero lontano. Non era ancora il* Quirino *nella ſeconda ſua Ambaſciata andato, ſe ben già eletto, quando vivere lontano, e ſeparato dagli honori, & cure mondane have deliberato, benche non haveſſe all'hora l'eſſer Monaco deliberato. Non era ancora un Re di Franza diſceſo in Italia, nè era ſtato ancora l'eſſercito Venetiano fugato, e diſperſo, nè la Lombardia da' Barbari uſurpata, quando haveva il* Quirino *nell' animo ſtabilito di viver tra' Monaci della ſua patria in qualche ſolitario loco lontano, hor vedete ben come s' ingánano chi crede, che le ruine della Patria habbia moſſo il* Quirino *a farſi Monaco.* Longius etiam a Quirini animo avertit indignationem, qua capi potuerit ob illuſtrem Magiſtratum aliquem ſibi a Civibus denegatum, *Molto più ancora s' ingannano, & falſamente giudicano quelli che credono per non poter haver a ſuo deſiderio le dignità, & Magiſtrati, habbia lui la Patria abbandonata. O quanti ſono quelli, che con li affetti baſſi, e vili delli animi ſuoi miſurano li penſieri altrui, che non credono, che ſia altro ben, nè altra felicità dell'huomo, che l'eſſer in la ſua Patria in Magiſtrato, & di queſto come della più eccellente coſa ſi paſce, giudica poi da queſta ſua viltà l'animi degli altri. Ma al* Quirino *tornando, io credo, che in eſſi ſteſſi Magiſtrati, ſe ben di fora al comun uſo vivea, nel ſecreto .... dell'animo ſuo li deſpreciava, ſenza dubio io giudico, che ſe in queſti anni, nelli quali o poco, o più toſto niente ha penſato a Magiſtrato, haveſſe fatta non tanta, ma la decima parte di quella ſolecitudine per haverli, che fanno li più mondani ambitioſi, haveria havuto di quelli, che ſerian ſtati ſopra l'etade ſua, & ad ogni tempo, che egli vi haveſſe ap-*

applicato l'animo a queſto ſaria ſtato pur troppo adoperato, quando eſſendo fin quì, & già quaſi con la Cocolla indoſſo li vien ſcritto da chi può uſarlo, di mandarlo in aſſai honorata facenda per nome della Signoria. Perche non haveria eſſo habuto dignità tanta, e più che ogn'altro ſuo coetaneo, ſe le haveſſe con quei modi cercate, che dal più, anzi che (ſe dichiaro il vero) da tutti ſi cercano? Le ha ſprecciate queſte vane ombre di dignità il Quirino*, & fuggite magnanimamente, & non per la privation di quelle ſi ha ad altra vita rivolto.* Statimque ſubjungit, *Meno ancora è vero quello, che alcuni non ſol ſtolti, ma iniqui potriano dire, & è ſtato detto, che il* Quirino *ſuperbo vuol ſignoreggiar ogni modo, & non poſſendo tra' Senatori, vuol tra' Fratti dominare. O zentili inventioni, che ſon queſte! hor vedete ſe vuol ſignoreggiare, che egli non penſa, nè ſtudia mai altro che humiliarſi, & eſſer humiliato da tutti, & per queſto riſpetto più che per altro forſe ha eletto più toſto al ſuo viver queſto Eremo, che altra Religion; ha fugite quelle magne, e ricche Congregazioni, ove ſon tanti Abbati, tanti Governatori, per non cadere in governi, & ſi ha meſſo in loco, ove non puol eſſer altro, che ſemplice Monaco.*

Claudit tandem Juſtinianus ſuas illas defenſiones, *Ceſſino queſti empii giuditii tra voi almeno, & non ſi dichi queſte ſempietà, nè da vero, nè da ſcherzo parlando, che non ſon coſe degne di voi, & ſapiatevi di certo, che il* Quirino *non ha per niſſun riſpetto nè buono, nè reo mondano, e terreno eletta queſta vita, nè per amor di perſona, o coſa mortale. Quello che ha moſſo il* Quirino *è ſtata la grazia dell'Altiſſimo Redentore Noſtro Jesù Chriſto, che li ha fatto conoſcere le cure mondane eſſer non ſol vane, ma pericoloſe all'anima di chi in eſſe vive ſenza mai contento alcuno, li ha dimoſtrato l'huomo eſſer peggio d'un giumento inſipiente, ſe egli l'intelletto, & la volontà non rivoglie a quello, che ſol gle l'ha datta, perche con l'intelletto ſi sforzi di cognoſcerlo, & con la volontà ad amarlo. Ha per quella luce di Divina grazia compreſo le vite noſtre in queſto mondo eſſer breviſſime, & quì non eſſer patria a noi, ma peregrinatione, & ſi ha drizatto con tutto l'affetto alla futura eternità, & penſato di sì caminare queſto corſo che al fine poſſi alla Celeſte beatitudine pervenire. Alla quale Eternità, alla qual Celeſte beatitudine havendo gl'occhi della mente intenti, & fiſſi, ha reputato più vil, che ſterco della terra, tutte le voſtre richezze, & tutti i voſtri così ſublimi honori, & magnifichi Magiſtrati, o altri officii, ha cognoſciuto, quel ch'io temo, che non cognoſcete voi, & credetelo, di core, & di vero affetto, & non ſol in parole, come molti* fan-

fanno, ha (dico) cognoſciuto, & creduto che alla beata felicità eterna non ſi perviene, ſe non chi a quella diriza tutti i ſuoi penſieri, & amori, ogn'altra coſa diſpreciando, che alla participation dell'altiſſima Divinità, la quale ci è promeſſa, alla quale come a fin è l'humana creatura ordinata, non ſi arriva ſe non per participation della glorioſa paſſione, & ſangue di Jesù Chriſto Crocifiſſo; & ſi ha diſpoſto a voler queſto glorioſo nome in quello modo, che & queſti ſecoli, & la ſua fragilità ſopportano, confeſſare, non parlando, & predicando ad un modo, come alcuni fanno con la lingua, & poi in contrario con le opere dimoſtrando, ma col core, con la lingua, & con le opere a chi le vuol udire. Crediate che ſian pazzi quelli che il Mondo amano, quelli che o Jesù Chriſto, alla Evangelica, & Apoſtolica diſciplina non ſi accoſtano, quelli che non ſi ſforzano di confeſſar queſto Signor Jesù Chriſto in queſta vita, per eſſer poi da lui in eterna gloria confeſſato, & colocato. Queſti, e molti altri ſimili ſon ſtati i diſcorſi dell'amico noſtro, & non diſpetti, o diſperation di coſe terrene, i quali l'hanno fatto eleger queſta vita povera, ſolitaria, humile, incognita, ma molto più quieta, etiam in queſto Mondo, molto più tranquila, & per dire in una parola molte coſe, molto più da homo, che le voſtre richezze nelle frequentie, nelle altezze delle magnifiche dignità voſtre. Et ſe egli haveſſe ſaputo veder via, o vita più apta, più comoda a dirizar i ſuoi penſieri, & amori in verità al deſiderio della Celeſte eterna vita, più conveniente a confeſſare apertamente il nome, & la dottrina di Jesù Chriſto, non in queſta, ma in quella, ſi haveria poſto. Et è ancora & lui, & io inſieme con lui di queſto animo, che ſe vedeſſi come più ſicura, & certamente poteſſe drizarſi alla Eternità, che aſpettiamo, & deſideriamo, ſe cognoſceſſi altra vita, o via, in la quale poteſſimo più altamente, & più chiaramente confeſſar Jesù Chriſto, & Evangelium, queſta laſſando, a quella ſi poremo.

Monet poſtremo loco ſuos illos amicos, ut ad exemplum non quidem ſui ipſius, ſed Quirini ſectandum ſerio mentem advertant, *Di me potreſti con qualche, o con ogni verità dire, Pazzo era quel Tomaſo, e ſempre viſſe pazzamente, in fine pazzo pazzo ſi ha fatto Monaco. Queſto non poſſete dire del* Quirino *in alcun modo, che ſempre per prudente, per ſavio havete tenuto. Di me potreſte dire, come in parte haveſte già detto, Quel malinconico ſi dilettò ſempre come fiera ſilveſtre che era, d'una ſolitudine, ſuperato dalla vehemenza dell'atra bile ſi è al fine a quell' orribil ſolitudine riddotto. Queſto non ſi può in alcun modo dire del noſtro Fra* Pietro*, che ſempre giocondamente viſſe, & per lieto, & ſan-*

& ſanguineo , & lontano da ogni faccia d'atra bile havete conoſciuto , amico delle compagnie , & in quelle aſſai piacevole . Di me ſi puotè in verità dire , Quella flema non era da altro , che da eſſer Monaco inepto a tutte le attion del Mondo , non era buon da niente , a che ſi poteva quel pezzo di mole o per ſe , o per altri adoprare ? Dell'amico noſtro QUIRINO *non ſi può queſto dire , che & ne i ſtudii , cioè nelle attion del Studio , e nelle coſe private , e nelle publiche , quanto era ſvegliato , ſolecito , deſtro , & accorto ognun di voi el cognoſce . Direi qualch' altra coſa , ma non voglio più dir mal di me ſteſſo , ma dirò ben del* QUIRINO *, chel ve dee mover fino alle ultime precordie , & commover tutte le viſcere dell'animo voſtro con il ſuo exemplo , che egli vi può di certo dire ,* Hebrei ſunt , & ego . *Sono il Tiepolo , el Contarino , e l'Egnatio Venetiani , & ſon delicatamente nutriti , & ſon viſſi tra amici , & ſon uſi alle Compagnie , & ſon letterati , & Dottori , & ſon nelli amori de' parenti , & amici , & ſon nella frequentia de gl'huomini , uſi , & diletatiſi di udir nove , & ſon ne i Magiſtrati , nelle ambition . Et io , & inſipientemente , come dice l'Apoſtolo ,* In omnibus plus his ego . *Perche adunque ſe così vi dice , tacendo non vi ſi commove l'animo a volerlo , o in tutto , o in buona parte imitare ? Non vi potette , non che in verità ... finger ſcuſa alcuna , che vi poſſi impedire , che non ſii ſtata più , o così in eſſo* QUIRINO *, & egli pur tutti queſti mondani vani , vani , vani riſpetti , e piaceri ha calcato magnanimamente non ſol per giovar a ſe ſteſſo , quanto per giovar etiam a voi , col ſuo exemplo quello che habbiate voi a fare expreſſamente moſtrandovi , onde non havete più appreſſo Iddio loco di excuſatione alcuna , ſe oltra ogni altra coſa , che vi dimoſtra la vanità del Mondo , da poi lo exemplo di così ſavio , dotto , & prudente amico voi vorete ancor amar queſta vita , o coſa che a queſta vita diletti , nella quale ogni coſa è falace , inſtabile , & le allegrezze piene di dolori , & li ripoſi pieni di agitation , & le contentezze piene di miſerie non ſolo d'ogni particolar , e privato homo , ma non meno delli Stati , delle Republiche , di quell'huomini in dignità , & ſublimità conſtituti , il che laſſando ogni altra prova , vi dica , e dimoſtri la Briſciana recente ſtrage .* De qua cæde ſancte philoſophatus Juſtinianus hoc inter cætera habet , *Guardate il noſtro grande , e veramente in queſte coſe mondane grande , Capitanio Gritti , dove è egli hora caduto , ſe è vero quel che quì riſona .*

Parem philoſophiam Epiſtolæ initio adhibuerat M.Antonii Turriani , hominis Philoſophicis , Mathematicis , aliiſque diſciplinis excultiſſimi , mortem lamentatus ; quare Epiſtolam illam ſatis proli-

xam hiſce demum verbis concludit, *Ma alla morte del Torre, alla converſion del* Quirino, *alla roina di Breſcia, così vi ſentirete commovere, che davero muterete li voſtri antiqui & penſieri, & affetti, & lontani da ogni deſiderio di honor mondano, da ogni curioſità di fabule di Gentili Filoſofi, & da ogni amor di delizie corporali vi drizzerete tutti con ogni affetto all'ardente deſiderio della beata Eternità, al ſtudio delle ſacre Lettere, & precipue dell'Evangelica, & Apoſtolica dottrina, all'amore delle virtù Chriſtiane, Fede in corde, & in operibus, Speranza non in opere noſtro fondata, ma ne la miſericordioſa participation del Sangue di Jesù Chriſto ſtabilita in carità ardente, la quale ve inſegnerà ad amare Jesù Chriſto Dio Eterno, & Glorioſo con tutto il core, con tutta la mente, & per confeſſion del ſuo benedetto nome vi diſporà a voler, non ſolo il Mondo vano, ma voi ſteſſi in tutto diſpreciare. Queſte ſon quelle pazzie, che vi fa ſcrivere il voſtro Fra Paolo, queſte ſon quelle coſe, delle quali vi fa ragionare. Biſogna che io taccia con voi, o che di queſte, o ſimil coſe vi ragioni, le quali ſe a voi non giovano, ſiate certi, che a me giovano aſſai, perche benche io ſia Monaco, io ho tanto, & forſe più biſogno di conſiderar tutto il giorno queſte coſe, perche Monaco di habito, & non di affetto, e per più certa dannatione; ma mi ſforzo ben con l'ajuto del mio Creatore, & Salvatore Jesù Chriſto di formarmi così l'animo dentro, come ho l'Abito di fuori. Io ho cominciato dallo exteriore per pervenire all'interiore, voi ſe dello exteriore ſete così ſchifi, comminciate a farvi non pur Monachi, ma Chriſtiani nell'interiore, e forſe forſe che nell'exteriore deſidererete diſcender, cognoſcendo, che malagevolmente ſi può Chriſtianamente vivere nelle male conſuetudini, & abuſion di queſto ſecolo, come ha conoſciuto il bon* F. Pietro, *il quale di ſe ſteſſo, & di quel che a voi deſidera, credo che vi ſcriverà, dico credo, & ſollo di certo che vi ſcrive. Perdonate alla mia ignorantia, importunità, & mordacità, & inordinata, e mal compoſta loqutione, io ſon così da poco, ſoportatimi vi prego, o imponeteme ſilentio, che io il riceverò volontiera.* Veniam, quam hic petit Juſtinianus, fuſius, & ſubmiſſius poſtulavit in literis aliis ad eoſdem datis 15. Apr. anni 1512. quarum hujuſmodi eſt exordium, *Forſe, ch'era meglio cariſſimi miei havendo vedute le voſtre lettere drizzate al* Quirino, *come di coſa a me non pertinente, come a quelle, che da ſe non havcano operato quel che forſe intendeano, era meglio, judico hora, o non vi ſcrivere io niente, o ſe pur ſcrivea rafrenar la mia immoderata impatienza, perche il mio ſcriver in quel modo, non a me ſi convenea, nè a voi era conveniente, così*

Q acer-

acerbamente ſcrivere. Et che credete voi, che le ſelve, l'Eremi faccia li homini Dii, che non poſſano errare? Io ſon ſempre homo, & homo peccatore, & non di quella prudentia, della quale vorrei, e doverei eſſer, ſe ho fallato non mi maraviglio, ſapendo in parte l'imperfettion mia, che in ſimili, & maggiori errori mi fa cadere. Equidem, præter Epiſtolam, ex qua plura modo depromſi, vehementiſſime idem Juſtinianus ſuos illos amicos menſe Februario ad eos ſcribens, inſectatus fuerat, ceu religionem impugnantes, adeout diſerte affirmare non dubitet blaſphemas eſſe quaſvis literarum eorundem clauſulas, voces, & ſyllabas, *Tutto è falſità, ignorantia, impietà, e manifeſta hereſia.*

Tam ſancto QUIRINI conſilio in amplectendo Eremitarum Camaldulenſium inſtituto reſpondit reliqua ejus vitæ pars. Ac primo quidem, vel dum inter eoſdem Tyrocinii tempus tranſigeret, ſeſe plenum anachoretico ſpiritu oſtendit nec actibus tantum, ſed literis etiam ad amicos ſuos veteres exaratis. In manibus habeo, quas ad Marinum Georgium, Venetum Senatorem, conſcripſit, earumque exordium, quin bonam partem recitabo, *Havendo oggimai, con l'ajuto di Gieſu Chriſto, determinato, quale habbia ad eſſere la mia vita, mentre che queſta mia peregrinatione harà a durare in terra, non mi è parſo, Patron Magnifico, tardare più di ſcrivervi, e di fare, iſprimendovi il cor mio, quel debito con voi, ch'io ho ſempre conoſciuto, hora conoſco, e così nell'avvenire conoſcerò, doverſi per me fare. Io fermamente credendo, e chiaramente vedendo gli animi noſtri eſſere ad altra miglior vita di queſta ordinati, & poterſi dal ſolo vero mediatore Gieſù benedetto indrizzare al camino, che al cielo dopo un qualche tempo gli conduce, emmi parſo dovere liberamente, & ſenza altro riſpetto abbandonare per ſuo amore la Patria e parenti, gli amici, gli onori, e quelle poche mondane ricchezze, che io mi ritrovava, & allegramente, togliendo la croce ſopra delle mie ſpalle, ſeguire il mio dolce Creatore, dolce Redentore, dolce Salvatore Gieſu, per potere più ſicura, & agevolmente, dopo queſta breve, incerta, & miſera noſtra peregrinazione, ritrovare, nella ſola miſericordia del mio Signore fermandomi, la vera Patria mia celeſte, gli miei cari e non ben conoſciuti parenti, gli amici, che ſono già di queſta vita paſſati in gratia del Signore, e che per l'inanzi paſſaranno, gli honori non d'un picciolo Senato, non d'un terreno Imperadore, ma degli Angeli ſanti, e di tutte le ordinate ſchiere de i Spiriti beati, i quali tutti inſieme inſieme ſogliono ſempre, così piacendo al loro Signore Gieſù Chriſto, rendere un tale honore a coloro, che di ſeguirlo in tutto non ſi ſchifano, quale qua giuſo in terra gli buo-*

huomini tutti non ſono unitamente baſtanti d'ottenere; & accioc-chè in una ſola parola io eſprima il vero, per potere eternamente godermi quella infinita bellezza, quello immenſo ſplendore di Gie-sù benedetto, il quale (ſua dolce mercè) non riſguardando punto alle ſceleratezze mie paſſate, mi ha con sì chiare, e manifeſte voci gridato nel core, che io d'un invecchiato ſonno ſvegliando-mi, mi ſon pure dietro a que' ſanti gridi con l'ajuto di ſopra indrizzato. Et perche da loro m'ho ſentito chiamare alla Reli-gione, a queſto ſolitario boſco, alla dolce, e quieta vita, che in eſſo ſi ritrovava, ſappiatelo voi inſieme con gli altri amici miei, che io mi ſono, a guiſa di povero romito, per raffermare in lui, & menar queſto poco di vivere che m'avanza, lontano dalle gen-ti, lontano da rumori, lontano da quelle perturbationi, che io ho pure negli honori della Patria mia ſentito, e che tutto dì per gli infortunii ſuoi, mentre che io v'era, ſi ſentiva; e voglia Iddio che non ſi ſenta ancora, & ivi, & per tutta queſta miſera Ita-lia, preda hoggimai degli inimici ſuoi. Et benche tra queſti abe-ti, tra queſte valli io mi creda ſentire le perturbationi del Mon-do, pure ſperando in colui ſolo, che ad eſſo m'ha sì vivamente chiamato, penſo più agevolmente poterle ſenza offenſion del mio Signore tollerare; nè poſſo fare, ch'io non ſperi, & fermamente creda, che 'l mio dolce Salvatore habbia, mentre ch'io ſarò quì giuſo in terra, ad eſſere della ſalute mia così geloſo, come ſuole eſſere il vero, & buono amante della coſa amata. Che ſe noi vo-gliamo con l'occhio diritto della mente bene conſiderare, ſiamo noi tutti, & maggiormente quelli, che abbandonano il Mondo per ſeguirlo, così teneramente amati da lui, che pure a ripenſarlo è meraviglia. Con queſto ajuto del geloſo amante mio, & infinita-mente miſericordioſo Iddio, come poſſo io temere d'eſſere, non di-co perturbato, e dall'inimico noſtro tentato (che pure io ſono in carne, & in terra a guiſa d'huomo vivo) ma nelle perturbationi, nelle tentationi così agevolmente ſuffocato, come io temer doveva nel Mondo? Tutto adunque allegro, tutto contento, tutto pieno d'una dolce e viva ſperanza, mi ſono in queſto ſolitario luogo per fermare, & con l'animo ſempre drizzato a Gierù Chriſto per vi-vere queſta eremitica vita, meno aſpra, anzi più commoda aſſai di quello, ch'io penſava, & che è dal Mondo creduta. Moxque orationem convertit ad Senatorem illum ſibi amiciſſimum, in hunc modum, *Voi più hora, che in verun' altro tempo, amato M. Marino, ſe 'l mio, & non il picciolo voſtro contento del con-verſare meco vi è punto caro, ſe la mia quiete, la mia ſalute, la mia totale ſodisfattione vi è, come eſſere deve, grata; alle-gratevi, contentatevi de la mia futura vita, ringraziate Gierù*

Chriſto, che mi habbi di que' lacci tratto fuori, de' quali io debile, io ſuperbo & vano già mai non harei potuto ſcappare. Drizzate l'animo voſtro nella vita, che ſete, a lui tallor penſando per beneficii ricevuti, forſe più, che alcun' altro ſimile a voi; & non vi moſtrate ingrato di quelle gratie, ch'egli vi ha ſopra molti altri donate; & queſto farete ogni hora, che ritrahendovi a guiſa di lumaca drento di voi ſteſſo, cercarete di nettare le macchie dell'animo voſtro, pentendovi de' paſſati errori; acciocchè poi il divino ſplendore in eſſo rilucendo, poſſa inſiemamente sì raccendervi, & illuminarvi, che a voi facile ſia trovare il ſentiero, che in quella vita, dove hora ſiete, vi poſſa ſenza ingratitudine alcuna a lieto fine coll'amore di Gieſu Chriſto condurre. Tandem petit a Georgio, ut ſalutet nomine ſuo communes amicos, nominatque inter iſtos Leze, Dandulum, reverendum Fratrem Georgium, Nicolaum Theupolum, clauditque Epiſtolam hac ſubſcriptione, *Nell'Eremo; anzi più toſto in un piacevole Monaſtero* = *Vicenzo* QUIRINO, *hora frate* PIETRO, *voſtro come prima*.

Cito tamen, nimirum vix expleto Tyrocinii tempore, QUIRINUM a ſolitudine, quam adeo adamabat, abſtraxerunt gravia negotia Ordinis Camaldulenſis, de quibus agendum ei primo fuit Florentiæ in Capitulo Generali ad id convocato, deinde in Curia Romana cum ipſo Pontifice. Mirifice enituit in utraque illa tractatione QUIRINI zelus, atque prudentia. Quapropter diſſidia omnia ejuſdem Ordinis ita compoſita fuerunt, quemadmodum publica ipſius commoda, diſciplinæ præſertim Eremiticæ obſervantia, poſtulabant. Dum autem QUIRINUS Romæ moraretur negotiorum illorum cauſa in tantam apud Leonem Pontificem, cui Etruſcæ Legationis Apoſtolicæ munere fungenti innotuerat, venit exiſtimationem, ut de eo ad Cardinalatum evehendo Leo cogitaverit, cujuſce rei fidem facient literæ, quas ſtatim aſſeram. Quoniam vero, præter res Ordinis, QUIRINO maxime cordi foret Patriæ ſuæ bonum, imo totius Italiæ, & Chriſtianæ Reipublicæ univerſæ, de eo argumento occaſionem ſumpſit Epiſtolæ ſcribendæ, antequam Romam abiret, ad Magnificum Julianum Medices Leonis Pontificis fratrem. Hunc conſtat unum ex iis fuiſſe, qui QUIRINUM Florentiam profectum humanius exceperunt, magnoque in honore habuerunt, & de quibus ita ipſe loquitur in quibuſdam ad Juſtinianum ſuum literis, *Io ſto quì negli Angeli hora beniſſimo; ho veduto quel ſi può vedere, & da tutti ſon tanto accarezzato, & dalli Grandi di queſta Città si honorato, cioè dal Veſcovo, da M. Antonio Puci, da molti Gentilhomini dotti, che tallor me inſuperbiſco; pregate per me, ſon tenuto quel che non ſono, nè fui mai, pare ad ogniuno ve-*

vedere un grande valente homo, & fannomi honore; io non poſſo dalla ſuperbia ſchermirmi, ſe non ricorro a Jeſu Chriſto, dal quale viene il tutto. Quirini autem Epiſtola illa ad Julianum Medices ita ſe habet. *Odo, Magnifico generoſo, che la già dolce Patria mia è tutta volta a poſare ogni ſua paſſata differenza col mezzo voſtro nelle mani del noſtro Signore: odo che voi, vero ſervo di Gieſu Chriſto, vi ſete, come ſempre mi avete promeſſo, per affaticare in ridurre con ſicurezza di quella Republica da voi ſempre iſtimata, una vera pace tra Chriſtiani: Sento il Crucenſe per ſimili effetti ritrovarſi già buon tempo in Roma. Delle quali coſe tutte (ſiami la coſcienza voſtra teſtimonio) ne ho preſo e prendo quella conſolazione, che a me già Venetiano, vero amico voſtro, & ſervo di Gieſu Chriſto ſi conviene. Niuna coſa a quella hoggimai da Chriſtiani troppo combattuta Patria potrà eſſere di maggior giovamento, che queſta; niuna che più laude apporti al noſtro ſantiſſimo Padre; niuna che più fermi la pace tra' Principi Chriſtiani, che più inalzi il nome voſtro in queſta vita, & dopo morte ancora, nè che nella celeſte e vera Patria noſtra vi poſſa un tanto merito donare. Seguite queſta ſanta, & generoſa impreſa. Abbracciate quel Senato con tutto il cuore. Che ſe un tratto vi ſtringerete inſieme, trovarete fede, fermezza, amore, e in ogni voſtra fortuna uno ajuto tale, che forſe agli altri non lo potrete appareggiare. Deh Magnifico, ſopra quanti altri conoſco al Mondo, caro, ſvegliatevi queſto tratto; ſcacciate ogni riſpetto, ogni altro particolare affetto, che pochi però ſempre furono in voi, & ſtringete l'animo, & il cuore del voſtro ſantiſſimo Fratello, che in queſta da Gieſu Chriſto portagli occaſione non manchi di condurla a fine. Vedrete, raſſettati che ſaranno i Venetiani, una ſoda, una firmiſſima concordia dell'Italia tutta, e de' Signori Chriſtiani, che ſi trovavano in guerra. Sentirete in breve tempo l'impreſa tanto da voi deſiderata contra infedeli eſſere ben fondata, eſſer ridotta a termini, che altramente poco potete ſperare, che ſi riduca. O buon Gieſù come ſono, & ſempre ſaranno le maraviglie tue grandi! E chi l'avrebbe mai creduto queſti paſſati giorni, che nelle mani del buon Leone, col mezzo del ſuo Magnifico Fratello, fuſſe la pace, e la guerra, fuſſero quelle diſcordie tutte, che hanno tenuto, & tengono la Europa tutta in ſcompiglio? Sempre ſii tu benedetto, ſempre lodato, ſempre glorificato. Riconoſcete, Magnifico, di giorno in giorno, d'hora in hora le gratie immenſe, che il Signor vi porge; & ſubito ricevuta occaſione di piacergli, non vi moſtrate pigro, non lento in menarla a fine. Et a qual più grande, più bella occaſione di fare opera grata al Signore, che 'l poner in pace l'Im-*

l'Imperadore de' Chriſtiani, il Catholico Re di Spagna con quella, che meritamente s'ha potuto, & può tra l'altre dimandare Republica Chriſtiana, per il molto e molto ſangue, che già tanti e tanti anni hanno ſempre ſparto contra Infedeli i Cittadini di quella? Certo io per me non vedo a queſti tempi coſa, che poſſa più lode, più merito apportare alla Santa Sede di Pietro, & al noſtro Beatiſſimo Padre, nè che più ſia per indrizaare ogni riforma, ogni impreſa contra Infedeli a' termini deſiderati. Voſtra ſia queſta trattatione, voſtra queſta cura. Udite chi cerca il bene, fugite le venenate lingue de' maligni, non vi fidate di ogni uno. Siate ritenuto con queſto hoggimai tanto nominato Crucenſe. Conoſco ingenium hominis, & voi uſando la ſolita prudentia, lo conoſcerete; & ſe indrizzerà l'opera ſua a pace, come è tenuto, uditelo volontieri: tenendo ad altro fine, non vi fidate, nè prendete il veleno coperto di mele. Perdonate al troppo amore, che io vi ho ſempre portato, & porto, ed alla troppo baldanza, che donata mi havete. Amate Giesù Chriſto, e ſiavi raccommandata la cauſa ſua. Gurcenſis Epiſcopus, de quo in hiſce literis, Matthæus Langius indigitabatur, primaſque partes gerebat in Fœdere Cameracenſi, nomine Maximiliani Cæſaris, ita ut Viceſgerens Cæſareæ Majeſtatis paſſim inſcriberetur.

Arcta Quirini cum Magnifico Juliano conſuetudo effecit, ut ipſe a Leone Pontifice, qui fratrem illum ſuum ſingulari amore proſequebatur, benignius Romæ exciperetur. Idem Julianus a Muratorio Annal. Ital. T. 10. hoc elogio jure ac merito exornatus reperitur, *Giuliano de' Medici ſuo fratello* (di Leone X.) *ſopra modo corteſe, e di Religione, di onoratezza, e di altre belle doti fornito*; moxque de eo ſubditur, per ipſum Julianum ſtetiſſe, ne Urbinati Ducatu augeretur, quem eidem Leo conferre meditabatur, niſi *vi aveſſe ripugnato per la gratitudine da lui profeſſata a quel Prencipe* (Franceſco Maria della Rovere Duca di Urbino) *a cagione di molti benefizj da lui ricevuti*. Summa religione præditum fuiſſe eundem Julianum, indeque optime animatum ſeſe præbuiſſe Quirino, nec alias ſibi partes ſumpſiſſe in negotio Purpuræ Eccleſiaſticæ eidem jam jam deferendæ, niſi quas Chriſtianæ pietatis leges admitterent, teſtimonium perhibebunt mutuæ Quirini & Juſtiniani literæ, quas illico recitare aggredior. Quandoquidem Quirinus in Eremitica vita, quam elegerat, humilitatem maxime ſectabatur eidem Inſtituto multo arctius quam reliquis Clauſtralibus propoſitam, hinc omni ſtudio a ſe amoliri conatus jam fuerat, ne Eremitarum Viſitator renunciaretur; quare ad Juſtinianum ita ſcripſit, *Se non voglio eſſer Viſitatore, pregovi non vi dolete, che invero*

l'ani-

l'animo mio abborriſce queſta attione più che coſa verun' altra, nè poſſo per niente contentarmi; più toſto guataro di Cuſina tutto il tempo che volete, ogni altra coſa, non Viſitatore, non Prelato, non Governo alcuno. Non poſſo Frate Paulo mio, temo, & abborriſco ſimili coſe più che non penſate. Canevaro, diſpenſiero, cuoco il tutto ſopporteria, non viſitare, non ſapere gli errori altrui, non vagare per la Religione, non poſſo, nè ſpero far coſa buona, puſilli in hoc animi ſum, *non lo potreſti credere: ogni altra impreſa piccola, o grande più volentieri, & in Religione, & pro Eccleſia Dei accettaria, che queſta. Non vi turbate, e ſe vi piace che torni, fate pure che intenda altri eſſer in loco mio eletto: e leggete quanto vi ſcrivo al Vicario, ſe altrimenti non volete fare; e per premio di quanto ho fatigato qui in Roma, per l'affare del Generale, altro non chiedo a lui, & agli altri, che non eſſer Viſitatore &c.*

Quirino Juſtinianus ita reſpondit, *Del non voler eſſer Viſitatore non vi turbate; ſe non volete non farete, & io, & ognuno vole il voſtro contento, penſate di non eſſer, e non ſiate. Quando la coſa ſeguirà ſene eleggerà un' altro, & io che ſono qual ſon, e quale me cognoſcete, ſe ſarò eletto in voce voſtra, vi prometto non recuſerò nè il diſpiacer nè la fatica per queſt' anno. Ma queſto vi ſia detto in confeſſione, conſigliatemi, chi io poſſi proponere, che mi ſforzerò avanti il ritorno voſtro farne eleggere uno. Di voi ſtate quieto, che niſſuno vuol il voſtro diſpiacere per niente, mettete l'animo voſtro in pace, e non farete Viſitatore, & ognuno vi ha già per non Viſitatore, e ſe queſto non vi baſta ve ne farò fare un Inſtrumento &c.*

Tutto il Mondo di quì ſta in expettatione, che abbiate un Cappellazzo Roſſo in capo, che ſe ſuccedeſſe ſarebbe altro che eſſer Viſitatore. Queſto io non nol credo, che non ſon tempi da queſte coſe, molti credono che manchi da voi, & incolpano, che io vi tenghi perſuaſo, che non l'habbiate ad accettare, tra quali Rafaello mi ha fatta tal reprenſione con bone ragioni, che io per conſcientia mia ho terminato ſcrivervi, che in ſimili impreſe ſe occorrono, voi ſeguitate quel che vi detta lo Spirito Santo, e non attendete a parole che io mai vi ſcriveſſi, e diceſſi, che io non ne voglio in queſto nè merito, nè colpa ..... Io non voglio tacere quel che ho nel core, ſono Fra Pietro *mio pien di ſollecitudine, e di timore. Vi prego guardatevi, & vivete in omnibus cautamente che o ferro, o veneno non vi noceſſe, vi commetto a Dio. Hora ſcrivendo la conſcientia mi tormenta, che io vi debba exortare quando vi foſſe propoſta Dignità Eccleſiaſtica, maxime, come quì ſi dice, Cappello Roſſo, che voi il dobbiate accet-*

cettare. Dall'un canto temo la ſalute voſtra, che el mal uſo degl'altri non vi corrompeſe, dall'altro penſo ſe voi foſſi atto a reformar gli altri col voſtro exemplo, & eſſendo Giovine, come ſete, ſe haveſti virtù di reducer la Chieſa di Dio a quelli termini che nel noſtro libretto diſegnamo, & al fine mi riſolvo così travagliando col cervello, a dirvi, che mi ſcriviate apertamente quid ſit in hoc, e ſe l'è ſolo ombra, o nome d'uomo, ſi ſit aliquid ſolidi, & firmi, *e poi, ſe non è coſa proſumptuoſa, che voi ne acceptiate nè recuſiate coſa, che vi foſſe propoſta, ſenza che io vi poſſi dire il parer mio più ripoſatamente, e più riſolutamente.*

Clarius de eodem argumento mentem ſuam Juſtinianus explicavit in aliis literis ad eundem QUIRINUM datis, in iis minime diſſimulans vix a ſe credi poſſe, fore ut Leo Pontifex inter Purpuratos Patres adſcriberet Eremiticæ vitæ aſſeclam, utque Venetæ Reipublicæ ſuffragia QUIRINO potius, quam aliis candidatis Patritiis faverent. Addit inſuper Juſtinianus, Principum concordiam, cui QUIRINUS operam navabat, nondum ad exitum eſſe perductam, ac proinde nondum poſſe QUIRINUM in eadem curanda de Chriſtiana Republica, & de Patria ſua benemeritum prædicari. Juſtinianus Civium ſuorum, æque ac Leonis Pontificis indolem optime norat, nec falſo judicavit, concordiam illam ab exitu adhuc abeſſe, nam id eventus paulo poſt ſubſequuti palam monſtrarunt. Ejuſdem Epiſtolam modo recito, *Mi narrano l'ultime voſtre lettere l'occaſioni, che ad eſſer Cardinale vi ſi fanno inanzi, i favori della Patria terrena, la diſpoſizion, e volontà del Pontefice, le perſuaſioni de' grandiſſimi, & amiciſſimi huomini, & non di meno in tante occaſioni mi moſtrano il deſiderio voſtro di ſeguitare la cominciata vita Eremitica, e di coſtringervi in la recluſion d'una Cella, il ſanto timor di Dio che avete di non eſſer dalle occaſioni ingannato, dalle iſtantie di molti ſmoſſo, & ſub ſpecie boni a condeſcendere a queſte occaſioni tirato. E non come a prudente, ma come a fedele amico mi ricercano che io vogli queſte coſe con voi trattare, e quanto io poſſi l'animo voſtro in queſta opportunitate ajutare. Cognoſco dilettiſſimo Fratello, che la troppa dilezzione v'inganna a ricercar dalla mia inſcipientia alcun ajuto, o conſilio, perche in vero non è in me coſa, onde io vi poſſi in alcun modo giovare. Nondimeno Dio che riguarderà l'umiltà voſtra di richiedermi quello, di che eſſendo io vacuo voi abbondate, e vederà la carità, che mi ſoſpinge a non negarvi quello che io non vi poſſo dare, ſpero darà alla mente mia tanto lume che vi poſſa in alcun modo giovare, non per virtù della medicina, ma per la bona diſpoſitione di chi la riceverà. Dico primieramente non exiſtimar così vi-*

ci-

cina, e così viva queſt'occaſione. A queſto creder mi muovono due potiſſime ragioni la qualità del Pontefice, e la natura de' Venetiani. Non mi par coſtume della Corte di Roma far d'Ere-miti Cardinali, nè queſto Pontefice mi par de qualità, che abbia egli a metter queſto coſtume. Parmi che quelli, che ha fin'ora fatti mi diano argumento di credere che Cardinali che farà hab-bino ad eſſer ſuoi parenti, huomini grandi ſecondo il ſecolo, e non della qualità che ſete voi. La natura de' Venetiani ben-che a voi più cognita che a me, è tale, che chi non fa broggi non ſono propoſti a ſimili coſe. Se vi ſarà uno, o due ed anco dieci che vi propongano, e che vi vorriano per il ben comune della pace col Pontefice, la qual havete trattata, ne ſaranno poi cento, che per ben ſuo particolare proponeranno altri, & averete non pochi, che ſe non per altro per emulation & invi-dia operaranno contro di voi. Onde facilmente mi perſuado che voi non habbiate ad eſſer quello, che ſia richieſto da' Venetiani al Pontefice, quando bene a queſto ſi venghi, che il Pontefice vogli far un Cardinal Venetiano, la qual coſa ſe habbia da eſ-ſer, o non eſſer voi el poſſete ben ſaper, ma io nol ſo, e per quanto dalla voſtra lettera conijetturo, penſo che potria eſſer fa-cile che queſto non adveniſſe, perche non ſcrivete haver concluſo col Pontefice, e Venetiani, ma haver tanto oltra condotte le coſe &c. E non ſapete voi che quella corda arente le note è la più difficile da tirar; potria ben eſſer che nel ſerrar, e concludere foſſe qualche diſcordia, che perturberia tutto queſto penſiero, e credo certo che 'l Pontefice non ſia per fare, nè in voi, nè in altro Venetiano queſto effetto, ſe prima non è ſtabilita, e fer-mata bona, e ſincera pace tra loro. Da tutti queſti capi cavo una concluſione, che voi trepidate timore, ubi non eſt timor. Queſto nel ſenſo mio potria baſtare in riſpoſta, pure perche nel ſenſo mio potria ingannarmi, quando foſſe vero quello che voi credete che 'l Pontefice haveſſe queſt'opinione, e Venetiani altri che voi non proponeſſero, che 'l Magnifico Giuliano & altri vi cercaſſero, che la pace foſſe concluſa in modo che 'l Pontefice veniſſe a queſto effetto, rivolgendomi a voi con la fraterna ca-rità ſecuramente vi dirò quattro concluſioni. La Prima, che no'l dovete in alcun modo cercar. La Seconda che'l dovete quanto è poſſibile declinare, e fuggire. La Terza che quando foſti eletto, voi il dovete liberamente rifiutare. La quarta che quando vi foſſe per virtù d'obbedienza, & ſub pœna Excommunicationis dal Pontefice comandato, voi non dovete oſtinatamente reſiſtere. In queſte quattro parole io mi ho sforzato dichiararvi la mente mia. Col Padre Michel Rinchiuſo etiam ho comunicato il tutto, il quale

 ſen-

ſente che voi farete in ogni modo, e che mal fa chi vi perſuade che non accettiate, mentre crede, che habbiate ad eſſer grande ajuto da riformar la Chieſa di Dio. Se vorrete legger la prima parte del Paſtoral de S. Gregorio, vi troverete meglio conſiglio, che nè da Fra Paulo, nè da homo vivente vi poſſi eſſer dato. Altro circa ciò non ho che dirvi. Vale cariſſime in Domino, & F. Innocentium ſaluta, ſalutant vos omnes Eremitæ, iterum vale. F. Paulus Eremita. Cui Epiſtolæ Quirinus hujuſmodi reſponſum dedit. *Le voſtre lettere F. Paulo mio aſſai mi giovarono, ma più harebbon fatto ſe foſſero penetrate nell'orechie mie prima, e fuori di queſto mare, dove ſto con l'animo in continuo conflitto. Sappiate che in quanto al Cardinalato che vi ſcriſſi le coſe ſono in termine, che da Venetia ſono per pregare, e quanto più dico non voler, tanto più creſce loro l'appetito, e quì v'è inclinazione a queſto. Io ſto con l'animo fermo, vengha che voglia, in rimettermi tutto al voler di Dio, nè ſpero cognoſcerlo, ſe non mi ritiro alla ſolitudine, & ivi cón auemo poſato pregare, & expectare, quid ipſe intus ſentiam. Il Pontefice non mi ha voluto dar licentia, l'altro heri la chieſi, & Venetiani mi pregorono per ſue lettere non partir, a quali poco compiaceria, quando il Papa mi laſciaſſe partire. Ha piaciuto a Dio uſarmi per inſtromento, che ha ſatisfatto, l'una, e l'altra parte, e conjuntele inſieme più che ſperavano, e per queſto diſegnano quanto ſapete. Tengo le voſtre concluſioni a mente, e dubito talora della quarta. Onde vi prego oltre il pregare, e far pregare, che non vi ſia grave andar a trovar a Firenza il Magnifico Giuliano, e ſeco favellar tutto l'animo voſtro circa queſto Cardinalato, e queſto ſarà forſe cauſa di quietar in modo le coſe che il tutto anderà ſecondo li voler di Dio, e chiedeteli che io poſſa ritornare alla ſolitudine, e ſe io ritorno ſapete il mio penſiero che è di farmi Rinchiuſo &c. 1. Luglio 1514. Petrus Eremita.*

Binæ adhuc reſtant de eo ipſo argumento literæ, quas ſtatim ſubjungam. Quirinus die 14. Julii ejuſdem anni 1514. Juſtiniano ita ſcripſit, *Expetto voſtre, benche mi peſa che non habbiate favellato col Magnifico, e che per queſto nihil certi mi potiate ſcrivere. In Ongheria tutta la plebe s'è levata contra li Prelati, e Nobili, hor guardate che principii ſon queſti. Il Pontefice vuole in queſte coſe udirmi, nè trovo modo di potermi partire, perche, e da Venezia, e da quì ogni dì creſcono li favori. Se forſe col Magnifico riſolverete qualche coſa, almeno riſolvereſte il mio intelletto, che invero in ciò che foſſi per fare dipende da voi due. Per il Magnifico ſon per eſſer tanto utile, che dubito, che il comodo proprio non lo muova. Non ha perſona preſſo noſtro*

ſtro Signore, che per lui ſia per procurare, & a chi il Pontefice creda, ſe non il Bibiena, & io, & il Bibiena ancora va riſpettoſo per eſſer in queſto ſuſpetto al Pontefice, il quale più ora che mai penſa l'impreſa contra inſedeli, e meco ne ragiona, e diviſa i modi, e pur heri me ne parlò a lungo, e per queſto ſon legato. Vi prego quando ſarete col Magnifico (che vorrei foſſe preſto) parlate de me, & de his, quæ ad me attinent, concludendo qual ſia el parer voſtro, che tanto exeguirò con l'ajuto ſuo, ma biſogna chel ſia più caldo di quello che ſin ora è ſtato. Il Bembo ha di me preſo tanto ſuſpetto, che più non ſo che dirmi ſeco. Se per la Religione volete nulla, ſcrivete. Dio vi guardi &c. Petrus Eremita. Hiſque literis Juſtinianus in hunc modum reſpondit, *Non vi ho F.* Pietro *Cariſſimo ſcritto già molti giorni per varie occupationi, & expettando di parlar col Magnifico Giuliano per potervi riſolutamente riſpondere; hora havete a ſapere, chel Magnifico venne quì all'Eremo Sabbato paſſato avanti Meſſa, e ſtettevi tutto il giorno, e la notte ſeguente, e Domenica mattina udita Meſſa ſe ne andò. Stete meco ſolo quel giorno, forſe ſei hore, la notte dormì nella cella noſtra, e volſe che vi dormiſſi anch'io, la mattina lo accompagnai fino alla Muſolea, penſate che molti, & varj ſiano ſtati i noſtri ragionamenti, ma l'uno & il principale è ſtato del fatto voſtro: e ſe io voleſſi diſtintamente riferir tutto quello che di voi parlato habbiamo, nè il dì, nè il foglio mi baſteria: ma molte coſe in brevità raccogliendo, vi dirò, che io pregai il Magnifico per voſtro nome e per mio di due coſe. L'una che vi faceſſe conceder licenza dal Pontefice di tornar all'Eremo, l'altra che non voleſſe procurar che foſti promoſſo a dignità alcuna. Alla prima mi riſolſe che l'opera voſtra era molto grata al Pontefice, e che eri ſtato cauſa di molto bene, e di evitar gran ſcandoli, onde non penſava che el Pontefice vi haveſſe da conceder queſta licenza, & uſo in queſto molte parole, le quali ſe ve le riferiſſe vi potriano far inſuperbire, ma queſto de molte non tacerò, che, diſſe, eri molto più grato al Pontefice, che voi ſteſſo non potevi comprendere. Della ſeconda coſa, con molte e buone ragioni mi diſſe giurando, che neſſuna coſa in queſta vita potria haver più grata, nè di più ſua ſodisfatione, che vedervi promoſſo alla dignità del Cardinalato, e con tanto affetto diceva queſto, che ne lacrimava, ma che cognoſcendo l'animo voſtro da queſto lontano, cognoſcendo il deſiderio voſtro di perſeverar nella incominciata vita Eremitica, li pareria offendervi a procurar in alcun modo queſta voſtra promotione. Et amandovi come vi ama quanto ſe ſteſſo, non penſa in alcun modo procurar quello, che vi habbia*

a diſpiacere . Ben dice , che ſe dal Pontefice , o da altri foſſe richieſto del parer ſuo , che lo diria in modo , che moſtreria quanto contento harebbe di queſta promotion voſtra . Havete dunque da l'un canto inteſo l'opinione de Giuliano eſſer che non ſiate per haver facilmente licentia dal Pontefice , che ſe vuol ſervir di voi : dall'altro canto , intendete il deſiderio immenſo , e tale che io ſtupiva ad udire con quanta efficacia el diceva , che ha il Magnifico che ſiate promoſſo a queſta dignità , ma amandovi come fa , non vuole procurar coſa , che vi poſſa diſpiacere , ancorche quella ſia de ſua grandiſſima ſatisfatione . Intendete come lui non ſarà per procurar , ma ſe le ſarà moſſo d'altri , biſogna che coadjuvi , acciò rieſca , il che dice che fa ſolo per la conſcientia ſua , che non facendoli pareria di far un gran peccato . A me diſpiace che non ſiate per ritornar preſto , e ſe poteſſi uſar qualche deſtrezza per haver licentia , fattela , quando credete che habbia a giovarvi . Li Eremiti tutti ſcriveranno al Pontefice dimandandogli de gratia , che vi dia licentia , Dio ſia quello che vi ajuti , che io vi vedo in gran pericolo , ricorrete a Dio con tutto il cuore , e ſe la coſa ſuccede , perſuadetevi , che Dio diſpone ciò in penitenza de' voſtri peccati , non per merito voſtro . Ora pro me . Vale &c.

At dubietates eas omnes, quibus Quirinus impendentem capiti ſuo rubri galeri honorem conſpiciens angebatur, diſſipavit , & ſuſtulit mors unum dumtaxat & alterum menſem poſt datas literas illas . Quare etſi ille inter Cardinales Leonis X. adnumeratus reperiatur in Opere Ciaconiano, ut ſuperius dixi, & in Camaldulenſis Ordinis Annalibus, certum tamen eſt inſignia illius dignitatis eundem minime accepiſſe . Inſignem revera eximiæ literaturæ laudibus (ut de his modo dicam) Quirinum fuiſſe, indubium teſtimonium perhibent plura ejus ſacra Opuſcula, quæ adhuc ſervantur in Camaldulenſium Patrum Bibliothecis , inter quæ, ne quid dicam de Legationum a ſe geſtarum deſcriptionibus, memoratu maxime dignus eſt Tractatus in ſex Capita diviſus; & Leoni X. Pontifici inſcriptus de Eccleſia, & Chriſtiana Republica reformanda . Præter Latinam, & Græcam, excelluiſſe Quirinum lingua etiam Hebraica, certo nobis documento eſt Volumen, quod extat in Bibliotheca Eremi Montis Coronæ , huncque titulum præfert, *Grammaticæ introductionis Hebræorum libri tres , quos compoſuit, & propria manu ſcripſit Vir in omni doctrina eminentiſſimus, triumque linguarum peritiſſimus , morumque ſanctitate clariſſimus* Petrus Quirinus *Venetus Eremita Camaldulenſis* . Admirandi ingenii ſpecimina admodum adoleſcens protulit non in Patavino tantum Athenæo , ſed in Romano quoque , namque ſuperſunt The-

Theſes Philoſophicæ, & Theologicæ ab ipſo in Alma Urbe Alexandro VI. nuncupatæ. Earum mentionem fieri reperio ab Hieronymo Avantio Veronenſi in literis, quibus Lydii Catti Ravennatis Carmina QUIRINO tranſmiſit. Inſcribuntur literæ illæ hoc pacto, *Nobiliſſimorum, eruditiſſimorumque humaniſſimo Vincentio Hieronymi Quirini filio Patritio Veneto*. Moxque earundem initio QUIRINUS his verbis compellatur. *Salve Academicorum, Peripateticorumque Dogmatum Conciliator*. Subditurque, novam jucundorum eorum Carminum lectionem QUIRINO gratam futuram *his præſertim diebus quibus, ut alias in Patavino Gymnaſio, itidem nunc in Urbe Roma, tantas, tamque arduas (ad quas pauci aſpirent) quæſtiones unus paſſim ſuſtines*. Deſinunt vero eædem literæ in hunc modum, *Si igitur, Vincenti nobiliſſimorum eruditiſſime, cum utriſque doctiſſimis ſodalibus ingenioſiſſimæ Lydii Camœnæ applauſeritis* (Valerium Superchium Piſaurenſem, & Petrum Bembum ſuperius nominaverat) *veſtris ego auſpiciis elegantem, & candidiſſimum libellum impreſſoribus hunc emiſſuris tradam. Reliquum eſt, ut redeas expectatiſſimus. Ante alios Angelus colendiſſimus Epiſcopus Tyburtinus Apoſtolicus ad Venetos Legatus abſentiam tuam egerrime patitur. Veremur cæteri nos probiſſimis moribus tuis addictiſſimi, ne Roma* QUIRINI *nomen fovens colenſque, te a Romulo genus ducentem agnoſcat, & ſingulares, eximiaſque virtutes tuas planiſſime intelligens, tua nos humaniſſima frugique conſuetudine privare conetur. Quod ſi evenerit, omnes protinus fiemus incolæ Romani, eam patriam noſtram arbitrantes, ubi tibi Domino obſequi potuerimus, penes te ſalutem ac pæne felicitatem reponentes. Vale ſcientiarum ſidus.* Inter egregios inſuper Poetas QUIRINO locum deberi faſſus eſt Jo. Marius Creſcimbenius in Vol. V. *Storia della Volgar Poeſia*, ita ſcribens de QUIRINO, *Del ſuo altro non ci è rimaſto che alcune poche Rime raccolte dal Domenici, e dal Dolce, e ſpecialmente dieci Sonetti ſi leggono nel Vol. I. delle Rime ſcelte dal Dolce che ben dimoſtrano non eſſere ſtato inferiore ad alcun del ſuo tempo*. Quam valde magnifaceret QUIRINUM Contarenus oſtenderunt hujus literæ ſuperius allatæ, earumque partem aliam hic etiam recitabo, *E' venuto il tempo, che ſecondo l'anticho mio deſiderio ſon per darme tutto alla Scrittura Sacra, rivedendo qualche coſetta di queſti altri ſtudii, maſſime per giovar a quelli doi gioveni, che ſapete, in queſto uſano la mia opera. Ho comenciato a veder libri di Salamone per eſſer molto morali, ed ho comenzo li proverbii libro eccellentiſſimo & così per mio piacere cercando di ſaziar in tutto la mia ſolita anzietade nel ſtudio, ſon per andar dietro a ve-*

den-

dendo non per imparar, & ſaper, come principal fine, ma per emendar la vita mia, e per accender queſto mio frigidiſſimo petto. O M. Vicenzo cariſſimo ſe adeſſo vi ritrovaſti de quì, ſaria venuto il tempo che mai mi partiria da voi, ma in un voler, in un ſtudio, vedendo di quanto mio ben fareſti cauſa, & ego fungerer vice cotis. Non potreſti creder quanta fidanza ſia nel cuor mio di non perderve, & che la volontà de Chriſto non ſia, che li ſerviate ſeparato dal conſortio noſtro, ma chel vogli che noi laudiamo la Maeſtà ſua nella converſation voſtra. Bembus in epiſt. ad QUIRINUM ſcripta 10. Decembris 1506. laudat ejuſdem *la maraviglioſa eloquenza*, & quod in numerato haberet *mile Teologici, e Filoſofici argomenti.* Memorat ibidem cœleſtium contemplationem, cui iſte vacare aſſuetus erat, multis ante annis quam vitæ Eremiticæ ſe addiceret, ei in hunc modum ſcribens, *Se avete il voſtro animo volto a quel fine, al quale il Romito conforta Lavinello che volga il ſuo* (alludit Bembus ad ea, quæ ſcripſerat ipſe libro III. ſuorum Aſulanorum) *come ſcrivete avere, ciò molto mi piace.* Deinde de honoribus, quibus Patria QUIRINUM cumulare pergebat, hæc habet, *De' quali honori nuovamente dalla patria raddoppiatevi mi rallegro con Voi non meno, e non più che facciate con voi ſteſſo, e cantovi quel verſo,*

I bene quo virtus tua te vocat, i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum prœmia.

Io certo ſpero che abbiate ad eſſere a brieve andare il maggiore, e più onorato Vomo della noſtra Città, il che io ſono per veder così volontieri, come coſa che avvenir poſſa di quelle della fortuna giammai. Idem Bembus in epiſtola ad Trifonem Gabrielem 1. Aprilis 1512. de QUIRINO ad capeſſendum Camaldulenſe Inſtitutum jam profecto ita ſcribit, *Quanto a M.* VICENZO QUIRINO *che ſe ne può altro, poſciach'Egli ha così voluto? Dogliomi non meno che faceiate voi, e parmi altresì eſſere rimaſto mezzo.* Teſtem eximiæ QUIRINI literaturæ afferam tandem eundem Bembum quo loco QUIRINUM, & Hermolaum Barbarum conjungit, quos & ipſe in Adnotationibus hiſce meis copulavi. Ejus liber ad Herculem Strotium de Virgilii Culice, & Terentii fabulis ita incipit, *Cum ſuperiore anno Romæ ego & noſter* QUIRINUS *eſſemus eo tempore, cum ille magno hominum concurſu, magna admiratione Civitatis quatuor millibus, ac quingentis illis a ſe in Philoſophia propoſitis ſententiis, omnium omnis diſciplinæ philoſophorum impetus pene puer ſumma cum gloria ſuſtinuit, erant, Stroti, nobiſcum ſæpe cum alii Viri docti, quibus ſemper floruit illa Vrbs, non ſane pauci, tum vel in primis Phædrus Volaterranus, homo & ingenio prope ſingulari, & qui*

& qui ea tempeſtate fere. omnium Romanorum eloquentiſſimus habebatur, videbaturque magnifice vel dicendo vel ſcribendo veterem illam Romanam gravitatem ſimplicitatemque redolere. Fuerat is quidem Hermolai Barbari multo antea uſus familiaritate, dum ille apud Innocentium Pont. Max. a noſtra Republica Romam miſſus, Legati muuere fungeretur, poſteaque ab eo in Sacerdotium adſcitus, Legatione renunciata, in urbe remanſiſſet; ad quem, ut ipſe ajebat, a Pomponio Læto, cujus erat ipſe tunc ſectator, ſæpiſſime deducebatur; magnam enim inter ipſos benevolentiam conflaverat artium ſtudiorumque ſimilitudo. Portentoſam illam, ex qua QUIRINUS Romæ maximopere inclaruit, Theſium propugnationem memorat pariter Bembus in literis eidem QUIRINO, & Angelo Gabrieli junctim datis, jocandi occaſionem capiens ex perlato ad ſe nuncio, mures in Bibliotheca ſua ex Ariſtotelis libris, quos ille ſcripſerat de Animalibus, fibulas, indiceſque abraſiſſe; hinc enim Bembus ad QUIRINUM converſus, *Nunc ego* (inquit) *te appello* QUIRINE, *qui tot millia* προβλημάτων *Romæ, qui omnibus poſcentibus, nota cætera, ut mihi reſpondeas, ecquid ſit quod minus ab illo recte de Animalibus traditum, num ii mures, tanquam vindicaturi ad librum acceſſerint.*

Dicendum aliquid reſtaret de animi ægritudine, quam ſuſcepit adverſus QUIRINUM & Juſtinianum Delphinus ob ea ipſa Ordinis negotia, quibus ambos ſuperius vidimus impigram operam cum magno ejuſdem Ordinis bono navaſſe. Acerbarum contentionum, quæ inde exortæ ſunt, non alius fidelior teſtis afferri in medium poteſt, quam Euſebius Priolus, qui funebrem Delphini Orationem contexuit, indeque conſtabit, nihil ex iiſdem rixis deceſſiſſe QUIRINI, & Juſtiniani ſanctimoniæ, at Delphinum paſſum eſſe aliquid humani; idipſum teſtantur Benedictini Editores Veter. Scriptor. & Monument. in Præfat. Tom. III. ſeu potius Mabillonius, cujus totus eſt tertius ille Tomus, Epiſtolas continens clariſſimorum Virorum decimi quinti ſæculi, & inter ipſas Petri Delphini ducentas quadraginta duas. Continetur ſtatim poſt iſtas Oratio funebris, quam dixi, ibique p. 1227. hæc leguntur, *Ceterum quia ſanctus vir tot ſollicitudinibus tantiſque laboribus ac ærumnis defatigatus eſſet, ac præ ætate defeſſus* (*incipiebat prope ſeptuagenarius fieri*) *increſcentibus in dies chiragris ac podagris, quibus infeſtius ſolito vexabatur, cogebatur jam ſui rationem habere, religioni commiſereri; atque cum ubique ordinis locorum innumerabiles prope inſtituiſſet monachos, ac Eremum ſanctiſſimis plurimis viris condecoraſſet, ornaverat forte tribus fere retroactis annis religio-*

nem

nem hanc noſtram duobus luminaribus magnis, PETRO *ſcilicet* QUIRINO, *ac Paulo Juſtiniano, quos una cum Hieronymo Georgio in anachoretas ipſius Eremi ex animo inſigniverat. Hi ubi inſpexerunt naviculam hanc Benedicti procellis agitari ac fluctibus obrui, induxerunt ſibi ſemi jam perditæ religioni opportunius ſuccurrendum fore. Cumque ſumme ſibi eſſet in optatis, ut ex cunctis ipſius monaſteriis ac cœnobiis fieret unum ovile & unus paſtor (jam Marianenſis hac congregatio propriis adminiſtrabatur inſtitutis) ipſique perſuaſum tenerent, ut decuit, ingraveſcentem* PETRI *ætatem haud eidem conducere, quin potius, ac decedente, invaderetur, facinoroſorum forte imprecationibus, a lupis rapacibus, adeoque nec fragmentorum ullæ ſuperſtites reliquiæ invenirentur; Incœperunt modeſte ſatis pro negotii magnitudine iidem, ac* PETRUS *hic noſter Generalis, ut rectius utriſque conſuleretur, rem tantam aggredi. Itaque Romam perrectis, ac multis ſibi hinc inde exploſis conditionibus, demum exorato Spiritus-ſancti nomine, ac intercedentibus duobus clariſſimis Urbis Cardinalibus, tale una inierunt fœdus, ut* PETRUS *retenta Generalatus dignitate ac conventualium monachorum imperio, pecunia ſingulis ſibi annis, quoad ſuperſtes eſſet, quomodolibet diſponenda, ab anachoretis Camaldulenſibus connumeranda tantum dignaretur. Cetera vero quæque haberent ipſi moderanda, juxta a ſe jam obtentum ampliſſimum ac magnificum a Leone X. ſummo Pontifice indultum.*

Recto omnino animo tam QUIRINUM quam Juſtinianum, Eremiticæ vitæ aſſertores, Romæ collaboraſſe pro ejuſdem vitæ bono procurando, abunde teſtantur amborum QUIRINI literæ plures, inter quas unæ extant, quas ſervo, *alla Ducheſſa di Urbino*, quarum hujuſmodi eſt exordium, *Se V. S. vorrà per amor di Gesù Criſto, e per ſodisfare all'antico ſervo voſtro Frate* PIETRO *rindrizzare l'Eremo di Camaldoli col ſuo favore, in modo che facilmente l'habbia ad eſſer il più vago, più quieto, e più devoto luogo di queſte parti tutte, biſognerà Illuſtriſſima Signora mia, che prima di cuore lo prendiate in prottetione, e che ogn'uno intenda, l'Eccellentia Voſtra eſſer la vera ſua protetrice, il che ſaria appreſſo Iddio coſa pieno di merito, & al mondo di lode: e ſotto queſto preteſto potreſte poi arditamente, e ſenza alcuno riſpetto affaticarvi per queſti poveri Romiti, che per V. S. non reſtariano mai di pregare ſecondo i biſogni ſuoi*; & paulo poſt Delphinus hiſce verbis honoratur, *il Generale noſtro D. Pietro Delfino vecchio obſervantiſſimo, e di ſanta vita.*

FINIS ADNOTAT. IN II. DEC.

DE-

DECADIS TERTIÆ CARDINALIUM

PARS I.

AB AN. 1534. USQUE AD AN. 1561.

GASPAR CONTARENUS, clariſſimo genere Venetiis, Aloyſio Contareno, & Polixena Malipetria fœmina primaria natus eſt. Mater enim cum aliquot peperiſſet pueros, neque ii diutius viverent, ad amicas, æqualeſque fertur rurſum prægnans ſe retuliſſe; a quibus, ut ſunt pleræque mulieres religioſæ, admonita eſſe dicitur, ut qui natus eſſet puer, ei nomen imponeretur unum ex iis nominibus, quibus vocati ii Reges ſunt, qui ad Chriſtum Deum noſtrum parvulum, ac lactentem venerunt; fore enim ut vitalis eſſet. Cum ſalva igitur paucis poſt diebus peperiſſet, puerum nominari Gaſparem juſſit, qui primus ejus familiæ hoc nomine appellatus eſt. Is ubi adolevit, magna in eo indoles ingenii erat, magnaque ad litterarum ſtudia propenſio; itaque Aloyſius pater conſilium, quod de puero ceperat, mutavit; mercaturis enim illum faciendis, reique augendæ, quippe cui multæ, atque amplæ multis in locis res, rationeſque cum multis eſſent contractæ, filium ſcilicet natu maximum Venetiis deſtinaverat. Eſt enim fere in liberis civitatibus mercaturis rem quærere, nobilitati quoque non modo non turpe, ſed etiam honeſtum. Verum ubi pueri ingenium naturamque majus quoddam ſpectare, atque polliceri intellectum eſt, conſilium illud de mercatura funditus patet abjecit, neque ulla in re filii voluntati, ac ſtudio defuit. Is ubi quod ſatis eſſet operæ Antonio Juſtiniano, Laurentioque Bragadeno Venetiis viſus eſt dediſſe; nam ii publice a civitate conſtituti erant, qui juventutem in dialecticis, atque in philoſophia erudirent, Patavium profectus, Petro Pomponatio Mantuano, magno, nobilique philoſopho in diſciplinam ſeſe tradidit. Erat in adoleſcente naturæ vis peracris illa quidem, & peracuta, ſed tamen neſcio quomodo magnitudine, & firmitate potius præſtans, & quod

maxime rem continet, ad ſapientiæ ſtudia accommodatum, & tanquam philoſophicum inerat ingenium: memoria omnino valebat plurimum; huc accedebat animi, ac victus, vitæque totius conſtantia quædam, ut quam ſemel inſtituiſſet rationem, de ea non defatigatione, non pigritia, non voluptate depelleretur. Opinio eſt in omni vita re venerea illum omnino uſum eſſe nunquam, defixa mens ſcilicet in eo ſtudio, cui ſe ab ineunte ætate dediderat; eoque capta, atque alta nihil præterea concupierat. Itaque celeriter aſſecutus eſt, ut æqualium magiſter, grandiorum natu, magiſtrorumque tanquam æqualis, & compar haberetur. Certum temporis ſpatium, horarum ſane, haud amplius trium meditationi, & bibliothecæ attributum, & tanquam ſepoſitum habuiſſe dicitur; cui tempori nec unquam quicquam detraheret, nec fere adderet. Qui reliquus erat dies, in congreſſionibus amicorum, collocutionibuſque conſumebatur; eæ de literis ſcilicet erant, ut a ſuo ſtudio ne cum vacare quidem videretur, ceſſaret. Idque ipſum nihil agens ageret tamen, urgeretque propoſitum, & tamen animum a contentionibus relaxaret. Illud etiam narratur, ſæpe amicis dixiſſe, nunquam ſe in omni adoleſcentia commiſiſſe, ut mane aliquid poſtridie aggrederetur ediſcere, quin prius ea, quæ pridie percepiſſet, diligentiſſime reminiſcendo recordatus eſſet: vitandam enim aſotorum conſuetudinem ajebat, qui crudi ſeſe tamen ingurgitant; quoque magis cibo replentur, oneranturque minus virium, minus valetudinis habent. In eo igitur curſu, cum ſedulitate magis, quam contentione, aut labore admirabiles progreſſus efficeret; atque eos, qui in eodem curriculo erant, longo intervallo antecederet, mortem Aloyſius pater obiit. Duodeviginti Gaspar annos natus erat eo tempore, liberorum autem magnum ſane numerum, filios ſeptem, quatuor filias, præterea magna cum multis contracta, implicitaque negocia Aloyſius reliquerat. Atque odioſum omnino negocium eſt homini in cogitationis, ac doctrinæ ſtudiis occupato familiaris rei procuratio, ut minus mihi videatur mirum, Democritum, nobilem quondam

dam philoſophum, ut ea cura, eoque impedimento liberaretur, omnes fortunas ſuas, ſicuti litteris proditum eſt, abjeciſſe. Veruntamen quanquam invitus, ac mœrens diſcedebat a litteris, tamen Patavio egreſſus eſt; atque eandem illam animi moderationem, æquabilitatembue adhibens, fratribus partim in Apuliam, partim in Alexandriam (ibi enim magnas ſocietates Aloyſius pater habuerat) diſtributis, partim Venetiis relictis, bene domi conſtitutis rebus, Patavium reverſus eſt, ſtudiumque haud quaquam longo intervallo a ſe intermiſſum, cupide renovavit. In ea urbe doctiſſimorum hominum plena, ac liberalibus artibus affluenti, aliquot annos commoratus eſt; cum in principibus jam philoſophis numeraretur, atque ejus nomen plurimum in dies increbeſceret. Hoc loco poſtulari, exigique a nobis arbitrati ſumus; ut qui ejus progreſſus, & quale tanquam iter ad percipiendas fuerit diſciplinas, demonſtraremus. Ac primis igitur dialecticæ elementis profeſſus, ſic omnem philoſophiam perluſtravit, ut illius ſingulas tanquam oras non viſeret modo atque inſpiceret; ſed in unaquaque etiam illius quaſi regione commoraretur, & habitaret. Itaque illud aſſecutus eſt, nihil in ea ut arte ita copioſa, & magna, atque varia tam eſſet magnum, atque arduum, aut tam minutum, atque parvum, quod ejus aut diligentiam lateret, aut ſugeret intelligentiam; nihil autem tam abſtruſum, aut reconditum, quin promptum illi, expoſitumque, quamvis ſubito eſſet ex tempore. Ejus nos rei, ſcribit Joannes a Caſa, permagnum quondam ſpecimen cepimus; cum Florentiæ forte eſſemus, qua ille Roma profectus, iter in Germaniam habebat ad Cæſarem, erant in ea urbe cum alii plures in ea philoſophia, quæ de natura eſt docti, atque exercitati, tum duo præter ceteros Petrus Victorius, & Franciſcus Medices, quorum erat utriuſque, & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, tum ſtudium ardens in utroque, ac peracre vigebat, flagranſque, & ſingularis in utroque induſtria. Sed alterius breve tempus doctrinæ augendæ, & declarandæ fuit; Victorius qualis vir, quantuſque jam tum eſſet, ea quæ nunc eſt ejus doctrina,

 li-

librique ab eo editi delarant hi per eos dies ad Conta-renum ſane ventitabant; a quo nos quoque non fere diſcedebamus; hoc affirmare poſſum, cum omnis inter eos ſermo eſſet de phyſicis, nullius rei mentionem eſſe factam a ſummis illis viris ingenio præſtantibus animo vacuo, ocio abundantibus, ſtudio incenſis, tempore paratis, a bibliotheca, & litteris recentibus, quin eam Contarenus, & memoria teneret, & intelligentia comprehenſam haberet, & oratione tam facile explicaret, quam quæ facillima ſunt. Præſtabat id non tam credo, memoria, qua tamen valebat, ut antea dictum eſt (natura enim quoque plurimum excellenti fuit) quàm ipſa, via, ac ratione percepta doctrina; ſic enim eum ipſum dicere ſolitum eſſe accepimus; non modo certam artium multarum inter ſe quandam naturalem eſſe diſpoſitionem, ut aliam alia ſuo quæque loco deinceps tanquam ſubſequatur, & cum priori poſterior quaſi coagmentetur; ſed unius quoque, ejuſdemque cujuſvis ſcientiæ, ſi quis ordinem, & tanquam ſeriem conturbaverit, atque reſciderit, ad exitum perveniri non poſſe. Magnopere in errore verſatos ſuperioris ætatis homines ajebat eſſe, qui multa properantes tranſilirent, aut ullam artem ediſcere ſe poſſe diſſipatam arbitrarentur, aut mutilam, atque hiantem; amputatis enim, interſciſsiſque diſciplinis progredi, pervenirique ad ſcientiam non magis poſſe, quam interruptis iter pontibus confici. Unum autem omnino ſibi comitem, ac monitorem ad Ariſtotelis iter multis ſæpe obſtructum difficultatibus, Thomam Aquinatem aſciverat, hominem non contentionis, ſed veritatis amantem, qui, & ſubtilitatem habeat, nec ultra, quàm par, progrediatur acumine, atque idem articulatim, partiteque, ac diſtribute doceat. Doctus etiam Græcis, Latiniſque litteris erat, Poetas, Homerum, Virgilium, Lucretium, Horatium lectitaverat, ac didicerat. Itaque cum non artis factitandæ, ſed eruditionis, liberaliſque doctrinæ fruendæ cauſa, philoſophiæ ſe dediſſet, omnes tamen artifices, magiſtroſque omnes non ſcientia modo, ſed fama quoque, & celebritate facile ſuperabat. Erat hominis vita, atque victus, non tam

ex-

excultus, atque expolitus, quàm cum gravitate quadam, ſimplex, ac lenis, placatuſque; oratio inculta illa quidem, ac inornata, ſed hoc ipſo, quod omni careret fuco, elegans, ac cum auctoritate: nulla mollities, nullæ ne in adoleſcentia quidem animi, aut corporis deliciæ, ſermo nulla aſſentatione ſuffuſus, nulla animus malevolentia infuſcatus, & cum feſtivitas, lepoſque haud magnopere adeſſet, aberat etiam ruſticitas, atque triſtitia. Quin etiam hoc ab eo ſæpe dicebatur, devorare ſeſe certorum hominum (qui in aliqua vitæ parte claudicarent) incommoda, aut etiam vitia ſolere, ſimul ac de bonis, quibus illi excellerent, aliquid deguſtaſſet. Ac cum Galeatius Florimontius, qui poſtea Sueſſæ Epiſcopus fuit, vir cum omnibus honeſtis artibus perpolitus, tum præcipue caſtus, atque integer, tum religione, ac pietate in primis incenſus, in notandis autem, reprehendendiſque amicorum vitiis unus omnium maxime acer, ac liber, caſtigator nonnunquam etiam ſubamarior, atque is a Contareno in fratris locum diligebatur: cum ille igitur nequire ſe ſatis mirari diceret, illum, qui omnium eſſet mundiſſimus, ac ſaniſſimus, cum hominibus quibuſdam, qui turpitudine aliqua, tanquam morbo affecti, atque inquinati haberentur, tam ſæpe conflictari. Quæ ille cum ſane commotus, ac ſtomachans diceret; Quid nos, inquit Contarenus, nunquam ne abſinthio, aut ſcamoneæ radice curari nos patimur? Quidni, inquit ille, ergo? Subdit Contarenus, earum potionum exorbemus ſapores teterrimos, ut ſucco e potu illius juvemur vi ſalutari; horum vitia ſi qua ſunt, non devorabimus, & tanquam amaritiem perferemus, atque exorbebimus, ut illorum tanquam veſcamur virtute, atque alamur bonis? Quid autem ipſis nobis fiet, ſi amandum ſtatuerimus, niſi qui perfectus, abſolutuſque fuerit, eſſe neminem? laudare ſe, quod in quoque probaret, libenter ajebat, quod reprehenderet, vituperare, non ſe neceſſe habere. Hanc animi æquitatem, hanc tam præclaram maximarum artium doctrinam alia longe iis majora bona decorabant: ſumma integritas, ſumma innocentia, pietas, non hæc, quæ facie, motu, amictu

ctu commendatur, quam in multis cernimus, ſimulata, & ſpecie, atque oratione hominum opinionem captans, ſed ſolida, nuda, ſinceraque in mente, atque animo inerat. Quibus ille rebus inſtructus, cum magnum ejus eſſet nomen, magnaque non ſolum laus, ſed etiam admiratio, aliquanto citius, quàm conſtituerat, Patavio deceſſit. Nam cum prope dixerim omnis Terrarum Orbis eo tempore contra Venetos conſpiraſſet, teterrimumque ei civitati bellum intuliſſet, afflictis Venetorum opibus, Patavio ipſo obſeſſo, nec multo poſt amiſſo, maturius omnino, quàm in animo habebat, invitus, nondum diſcendi ſiti ſcilicet expleta, domum ſeſe recipere coactus eſt. Erat ejus ætas nondum firmata, ut reipublicæ operam navare poſſet; itaque in iis ſeſe ſtudiis aliquot annos continuit, cum ejus domus tanquam bonarum artium gymnaſium quoddam ab iis, qui doctrinæ deſiderio tenebantur, frequentaretur. Veruntamen ad rempublicam ubi primum acceſſit ejus ingenium, quod de Hortenſio eſt memoriæ proditum, tanquam Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum, ac probatum eſt. Itaque cum tres, ac triginta tum haberet annos, a civitate ad Cæſarem Carolum Quintum in Germaniam Orator (ſic enim Veneti appellant) eſt miſſus: legationis munus magnam apud Venetos habet dignitatem, magnam apud ſummos honores, magiſtratuſque adipiſcendos commendationem; ſæpeque a multis unà petitur, & in comitio ſuffragiis Oratores creantur. Gerebat illis temporibus in Italia bellum Cæſar cum Rege Galliæ, cum quo illi antea quoque continentia bella interceſſerant, atque cum eo Pontifex maximus Leo X. ſeſe conjunxerat; cum Rege Veneti conſpiraverant; atque omnis impetus belli ad Mediolanum conſederat; nam eam urbem Gallis, Venetiſque defendentibus, Cæſaris, ac Leonis copiæ oppugnabant. Ad eum, qui cum bellum ſuæ erat civitati, planeque ad hoſtem ire ſe Contarenus intelligebat, apud quem exploratoris, non legati locum obtinere eum neceſſe eſſet, atque ipſa res cogeret. Accedebat etiam quod Cæſarem, quibuſcum inimicitias exerceret, iis ſolere eſſe amariorem audierat, il-

liſ-

Iiſque maxime, qui Gallorum faverent rebus. Itaque animo ſane commoto ad Cæſarem adiiſſe dicitur; nam, & ſponte ipſe ſua verecundus, ingenuo quodam, quod tamen ſine ſegnitia eſſet, pudore fuit. Verum illa eadem doctrinæ, caſtitatis, ingenuitatis, innocentiæ opinio multo ante hujus adventum ad exteras quoque nationes perlata, Cæſaris illi animum, voluntatemque conciliaverat; nam amaſſe ille plurimum ingenuos, apertos hominum animos dicitur. Itaque ut ſemel in primo illo, qui ei cum Cæſare fuit congreſſu, hilari vultu acceptus, & comiter appellatus eſt. Faciles deinde ad eum ſemper aditus habuit, & illo, quanquam civitati erat iratus, non modo pacato, ſed etiam propitio uſus eſt; ac paulatim cum eam, quæ antea de ſe fuerat, opinionem, magis magiſque in dies confirmaret, atque augeret, jam ipſi Cæſari non modo gratus, ſed etiam familiaris erat. Itaque cum certior factus eſſet, Gallorum, Venetorumque copias in Inſubribus fuſas, ſuperataſque, Gallos ex oppido eſſe expulſos cæde, & fuga ſuorum, qui eam rem nunciarent CONTARENO, miſiſſe dicitur, atque iis præcepiſse, ut de incommodo, quod Veneti accepiſsent, reticerent, neque illorum copias in eo prælio dicerent interfuiſse; eam in illo ſeſe corporis imbecillitatem aſpicere, ut excruciari eum illam noctem ſuæ tanta illa patriæ clade nunciata nolit. In Hiſpaniam Cæſar conſtituerat reverti, neque per Gallorum fines, qua proximum erat iter, quod exercitum non habebat, ire poterat. Itaque per Belgas profectus, ad Oceanum perrexit, atque ibi navibus conſcenſis, in Britanniam appulit, pauciſque intermiſſis diebus, rurſum naves ſolvit, atque in Hiſpaniam contendit. Toto hoc itinere eum CONTARENUS proſecutus eſt, cumque in Hiſpaniam perveniſsent, biennium apud eum eſt commoratus, atque in ea legatione omnino quinquennio conſumpto Venetias rediit. Cum illud re confirmaſset, quod à Græcis quibuſdam poetis mandatum verſibus video, magnam gratioſi nuncii eſse utilitatem. Nam cum omne id temporis ſpatium inimico inter ſe animo Cæſar, & Veneti eſsent, ac fere continenter bello inter ſe con-

contenderent, multa ille tamen ob eam, qua ſuo nomine erat apud Cæſarem gratiam obtinuit, multa ſuæ civitatis mandata confecit. Magno quoque uſui reipublicæ fuit, ſimulque illud eſt aſsecutus, ut multarum, magnarumque rerum diuturna tractatione, ac conſuetudine, tot nationum naturis, moribus, inſtitutis cognitis, atque perceptis, magnum rerum agendarum uſum, magnamque haberet prudentiam. Itaque cum diligentiam, operam, curam, prudentiamque ſuam civitati mirifice probaſſet, abſens, & in Senatum illectus eſt; qui honos Venetorum legibus non fere diuturnior anno, & menſibus quatuor eſt; & quod olim exiguis etiam tunc civitatis rebus, precibus rogandi erant, qui domeſticis ſuis relictis negociis, ad conſilium de publicis capiendum convenirent, Rogatorum concilium appellatur, ejuſque permagna & poteſtas eſt, & dignitas; quippe cum omnis reſpublica permiſſa ſit, viciſſimque in hàc civitatis amplitudine, ac dignitate, clariſſimis quibuſque civibus, ſummis opibus, ſumma contentione expetitur. Magnæ præterea auctoritatis eſt in ea civitate magiſtratus, cui ab eo nomen inditum eſt, quod præcipua, magna, atque ampla procuratio demandata illi eſt ærarii, ac vectigalium, quæ in continenti Veneti magna, atque ampla habent; nam eum magiſtratum illi Sapientes Terræ firmæ appellant. Hanc quoque poteſtatem CONTARENUS ſtatim renunciata legatione, maxima totius civitatis voluntate, omnibus ſuffragiis adeptus eſt. Habuit de ea ipſa legatione, more majorum, orationem in Senatu uberem, ac plenam, cum de Cæſaris ingenio, voluntate, inſtitutis, opibus, copiiſque diſſereret, earunque nationum, ad quas adiiſſet, mores, leges, facultates, conſilia exponeret; quæ cum ab eo diſtinctius ſcilicet, atque eruditius dicerentur, quàm Venetorum hominum aures audire ad eam diem conſueſſent; tanta diligentia, tantoque ſilentio, atque attentione audiebatur, ut vocis bonitas, qua ille ſane exili fuit, non magnopere deſideraretur. Non ſum vulgi opinionis, judiciique neſcius; arbitrantur enim philoſophiam hominum, vitæque hujus communis quaſi corruptelam eſſe quandam, at-

atque eos, qui in ſtudiis cogitationis, ac doctrinæ paulo ulterius progrediente ætate verſati ſint, homines in ſolitudine, atque in angulis educatos, curiæ lucem aſpicere, atque in hujus civilis turbæ, ac fori ſtrepitu, & converſatione, & in rerum agendarum tumultu, ac tanquam acie, ſine magna animi titubatione negant auſuros eſſe conſiſtere homines conſuetudinis imperitos, legum, morum, ſermonum, voluntatumque ignaros, atque a communi vita, & hominum ſenſibus, victuque longe, multumque abhorrentes; ſic vulgo exiſtimant. Sed falluntur ſane, multoque id aliter evenit; nam qui tanquam inermes ad prælium, & pugnam, ſic nullis aut levibus doctrinæ præceptis, quaſi armis inſtructi ad rempublicam accedunt, ii artem, quam facere intendunt, unam quidem omnium maximam, ac difficillimam, reipublicæ, patriæque periculo diſcere coguntur, atque ut in vetere Græcorum proverbio eſt, dolio faciendo figulinam aggrediuntur percipere; idque ipſum de malis auctoribus, magiſtriſque ſane inſciis, atque improbis vulgo, & foro. Quanquam nobilitari homines iidem Græci in foro ajunt; qui ſi hoc ſentiunt, virtutem, ut majore in luce poſita, locataque ſit, ita magis magiſque ſplendeſcere, atque illuſtrari, ipſi ſane vident, ubi nam eam potiſſimum in bono lumine collocent. Sin illud præcipiunt, a populo bene vivendi rationem, tuendarumque civitatum diſciplinam peti oportere, aut in foro cum reliquis mercibus expoſitam virtutem venire, næ ego mihi locum modo demonſtrari, magno emere poſſum. Sed non eſt ita, nam ſponte quidem ſua aut prudentiam hominum animus, atque ingenia non magnopere gignunt, aut hujus nobis ætatis tanquam ſterilitas quædam vehementer lamentanda eſt. Quibus autem opinionibus imbutæ eorum mentes, & tanquam conſitæ ad rempublicam e populi diſciplina, & quaſi cultura prodire ſoleant, operæ pretium eſt attendere. Nam ii, qui animum Philoſophiæ præceptis excoluerunt, regendarumque civitatum artem edidicerunt, neque timidi ſunt, quod ſcientia earum rerum, quas quiſque tractet, animum

addere, non adimere ſolet, neque audaces, ac temerarii, quod ſtultitia, ac temeritas plurimum ab arte, ac ſapientia diſſident. Reipublicæ vero gubernator ille de populo nec ignaviam a verecundia ſegregare, neque præcipitem, aut pertinacem civem ſejungere a forti, atque conſtanti magnopere novit, niſi uſu demum, atque experientia doctus, cum ſæpe lapſus, ſæpe deceptus multa in republica offenderit, & civitatis periculo, ac detrimento (ut antea dictum eſt) prudentiam didicerit. Philoſophia autem, quæ, vel maxime in effingendis, atque ad virtutem conformandis hominum ſenſibus, atque motibus occupata ſit, & ut illi morati tandem ſint, quemadmodum cum iis conflictari non incommode queamus vias, rationeſque tradat, neque ab hominum abhorret moribus, & qui ſit optimus reipublicæ ſtatus intelligit, & quibus artibus inclinatæ, ruenteſque civitates ſubleventur, tenet, & ad eas, quæ non optimis inſtitutis, ac legibus temperatæ ſint, accommodari ſeſe tamen non recuſat, remediaque temporum, locorum, caſuumque incommodis adhibet ſalutaria. Eadem multa de hominum vitiis, quæque eorum cautiones ſint, præcipit: eadem qui cuique arti, cuique fortunæ, cuique animi, aut corporis affectioni, mores, ſenſuſque comitari ſoleant, commonet. Ad eam doctrinam tam fructuoſam, tamque opimam, ubi uſus quoque, atque exercitatio acceſſit, tum vero præclare illi, ac ſingulares cives exiſtunt; qualis vel in primis CONTARENUS ſua in republica fuit. Qui cum ingenuarum artium in gremio educatus, ac tanquam philoſophiæ alumnus quidam ad agendum deſcendiſſet, maximoque ſibi uſui ea præcepta, quæ olim imbiberat, eſſe intelligeret, ſuos cives hortari non deſiſtebat, ut ea perveſtigarent, quæ de naturis humani generis, deque rerum publicarum gubernationibus a philoſophis explicantur. Nec vero occultabat hoc ipſe de ſe; nam principio, cum primum in Senatum lectus fuit, ſæpe factum eſſe ajebat, ut in ſuggeſtum aſcendere ſententiæ dicendæ cauſa, cum cuperet, auſus non ſit, quod pudore quodam, & rei inſolentia retraheretur; eamque rem magno ſibi dolori eſſe ſoli-

litam: itaque in animo habuiſſe, niſi eum animi timorem, ac verecundiam pervinceret, ad rempublicam poſthac non accedere, ſuumque locum aliis conceſſurum, quibus ad dicendum animus non deeſſet, nec enim verum eſſe, fortibus atque ſtrenuis civibus ab ignavis, timidiſque locum præripi. Verum nihil neceſſe fuit, talis civis prudentia, conſilio rempublicam privari; nam paucis menſibus cum ſeſe animo facile confirmaſſet, ſic ſententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magiſve compoſite locutum unquam fuiſſe conſtaret. Docebat ille quidem verbis, quàm maxime poterat propriis, cum partite, ac diſtincte, tum memoriter, ac copioſe; animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipſa vehementer permovebat, & fide, lingua celeri, ac volubili leporem, atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum eſſe cenſebat; animos enim civium inflecti, atque incitari, quo maxime tempore ſedatos, rectoſque eos eſſe oporteret, cum conſilium capturi de republica eſſent, turpe, atque inutile eſſe exiſtimabat, eoſque, qui magno quodam conatu orationis vim ad ſenſus, atque impetus animorum, & motus commovendos admoverent, ſi id ſuæ privatæ utilitatis cauſa ſuſciperent, improbe, ſi reipublicæ cauſa, arroganter, ſine controverſia facere ajebat; quod tantum ſibi ſumant, ut non communi rempublicam conſilio regi velint, ſed ſuo, quanque ipſi probarent ſententiam, in eam ceteros cives non adducere, ſed compellere ſtuderent. Eodem tempore Contarenus Brixiæ Præfectus renunciatus eſt, (eum Magiſtratum Capitaneum Veneti appellant) quo cum proficiſci cogitaret, jamque impedimenta impoſita in lintrem haberet, repente horribilis nuncius affertur, Romam a Cæſaris militibus captam, Pontificem maximum in arcem compulſum, Urbem ipſam diripi, ac vaſtari. Quibus rebus Venetias nunciatis, magnus ſubito cum dolor, tum etiam terror invaſit. Itaque mutato conſilio Contarenus cum vereretur aliis armis Brixiam egere, quàm quibus ſeſe ipſe aſſuefecerat, conſilio, atque auctoritate, eum magiſtratum recuſavit. Atque interim ocium a republica

naſtus, ſtudiis ſcilicet ſuis illis priſtinis obſequebatur. Bellum, cum gravis hæc plaga accepta eſt, cum Cæſare Veneti, & Clemens VII. Pontifex maximus communiter gerebant; ſed totius imperii ſumma tradita erat Franciſco Mariæ Urbinatium Principi, quem illi Ducem appellant; cum Veneti ſuarum copiarum ſeorſum ducem habebant, nam civem terreſtres copias ducere, per leges non licet. Ac cum deditione facta, Clemens jam complures menſes in cuſtodia a Cæſaris militibus aſſervaretur, cumque Urbis depopulandæ, vaſtandæ, incendendæ modum homines feri, ac barbari ſibi ſtatuerent nullum; cui rei Cæſarem quod longe abeſſet gentium, cum maxime cuperet, negant potuiſſe occurrere: commoti rei indignitate, atque acerbitate Chriſtianorum Principes plerique omnes inter ſe de Pontifice maximo e cuſtodia educendo conſpiraverunt. Cujus rei cauſa Concilium Ferrariæ indictum eſt, quod Alphonſum Eſtenſem, qui ejus urbis imperium a majoribus acceptum, eo tempore obtinebat, maximi animi hominem, reique militaris peritiſſimum adjungi ſibi vehementer ſtudebant. A quo cum propter conſilium, ac virtutem, tum propter oppidi opportunitatem opes, belliquo inſtrumenta, quibus ille abundaret, earumque rerum omnium facultates, quæ ad bellum uſui erant, multa, magnaque auxilia ſubminiſtrari ſibi ad id bellum intelligebant poſſe. Eo Galliæ, Britanniæque Reges legatos miſerunt cum mandatis homines nobiliſſimos; idem & ii, quibus Pontificis maximi ſalus privatim curæ erat, fecerunt, & Mediolanenſis Dux Franciſcus Sfortia. Eodem Veneti CONTARENUM mittunt; maxime enim eorum reipublicæ intererat eam confici rem, propterea quod cum Pontifice, quemadmodum dictum eſt, ſocietate, & fœdere conjuncti, continentibus bellis non longe a ſuis finibus cum Cæſare contenderent. Eo concilio peracto, atque haud ita multo poſt Pontifice liberato, ad eum CONTARENUS ſuæ civitatis juſſu legatus profectus eſt. Magna erat eo tempore omnium rerum perturbatio, magni Galliæ, Italiæque totius videbantur motus impendere; quod, & Clemens ipſe iniquiſſimo animo contumeliam, quam acceperat,

rat, ferre exiſtimabatur, quod per pacis ſimulationem circumventus in hoſtium poteſtatem veniſſet, quod ſuperbe, crudeliterque tractatus, & in ditionem receptus, tandiu in cuſtodia fuiſſet retentus, atque ad extremum quod non dimiſſus, ſed elapſus e manibus, & catenis eſſet, quod omnia exempla, cruciatuſque in ſuos editi Romæ, atque in omnibus vicis, & oppidis eſſent. Accedebat, quod Florentini Hippolytum, atque Alexandrum Pontificis fratrum filios, qui ipſius potentia in ea urbe imperium antea obtinuiſſent, e civitate ejecerant. Quod ille graviſſime, atque indigniſſime ferebat; ejus dolor quam in partem erumperet, expectabatur ab omnibus. Eadem Galliæ Regis cauſa erat, atque conditio; nam & bello ſuperatus, captuſque, tantum ſe de vetere virtutis opinione, deque bellica gloria deperdidiſse, maximo erat illi dolori, & ſui, liberorumque ſuorum mercatu, ut ipſe exiſtimabat, nundinationeque illa Cæſaris, hoſtili ſcilicet in eum odio exarſerat. Tum Veneti multis de cauſis Franciſcum Sfortiam in regnum reſtitui volebant, atque eam rem ad ſuam rempublicam magnopere pertinere arbitrabantur. Quibus omnibus rebus efficiebatur, ut in tanta animorum incitatione, & diſcordia renovari in Italia bellum neceſſe eſſe, omnibus videretur. Interim Clemens cum Cæſare in gratiam redierat, amicitiamque conciliaverat; & quo liberius in patriam iracundiam exercere poſſet, juſtiſſimas ſuas in Cæſarem minuerat inimicitias, & ſuas illi injurias aut condonaverat, aut viciſſim pacis ſimulatione, idoneum ſui doloris ulciſcendi tempus expectabat. Atque cum Cæſaris duces, exercituſque illius nomine Florentiam oppugnarent, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut propius ipſe accederet; itaque Bononiam ſeſe contulerat. Eo Cæſar quoque ex Hiſpania venit, ut a Pontifice maximo, cujus unius ea poteſtas eſt, diadema, ceteraque Imperii inſignia acciperet. Atque ei advenienti cum obviam CONTARENUS extra urbem proceſſiſſet, dicitur eum Cæſar per quam longo ſane intervallo a ſe viſum agnoviſſe; atque iis oculis, eaque vultus hilaritate eum aſpexiſſe, ut id a multitudine, quæ vi-

viſendi cauſa prodierat, & omnes vias oppleverat, animadverteretur, atque ex ea re conjectura fieret, rem inter Cæſarem, & Venetos conventuram, id quod exitus comprobavit. Nam præter omnium opinionem in tanta animorum incitatione, & diſcordia, tot ultro, citroque illatis, acceptiſque injuriis, ac detrimentis, cum pacificationi locus vix ullus videretur eſſe relictus, receſſum tamen ab armis eſt, paxque inter omnes conſtituta. Quæ res per Contarenum acta magna ex parte, & confecta cum ſuæ civitati graviſſima, atque optatiſſima accidiſſet, mirifice ejus & gloriam, & auctoritatem auxit, ut nullam rem tantam, aut tam difficilem eſſe cenſerent, quin eam ille animo, & cogitatione ſuſcipere, & conſilio tueri, & auctoritate, atque induſtria conficere poſſet. Memoria teneo (inquit laudatus Caſa) me Romam illis temporibus veniſſe, tantus erat omnium, qui in ea urbe tunc aderant, de Contareni doctrina, prudentia, continentia, pietate conſenſus, tantaque admiratio, ut non amarent modo eum, qui tunc erant civitatis principes, ſed etiam vererentur, & colerent. Nec mirum; nam Contarenum eæ civitates, apud quas magna cura, ſummaque fide, ac diligentia rem ſuam publicam geſſit, præclariſsimis muneribus donaverant; tot enim, tamque variarum gentium conſtantiſsimo conſenſu mirifice probatum, ſummoque laudatum opere, maxima dignitate, exiſtimatione, gloria muneratum, dicatumque domum ſemper dimiſerant. Severiſsimis legibus Venetiis ambitus conſtrictus eſt ſuffragium ne per ſe, neve per alium quenquam roget, interdictum eſt; itaque cum a civitate ipſa univerſa, non a ſingularibus civibus nominatim petendi magiſtratus ſint; idque ſæpe (iidem enim eoſdem magiſtratus, certis intermiſsis temporibus crebro gerunt) una virtute nixam, omnium civium ambitionem eſſe oportet; ut qui ſæpiſsime ampliſsimas dignitates adepti ſint, ii non amicorum, aut propinquorum diligentiæ, aut tenuiorum hominum officii, aut etiam fortaſſe avaritiæ, ſed ipſius reipublicæ certiſsimum de ſe teſtimonium habeant. Nam multis locis reprehendendi ſui erroris civi-

ta-

tati facultas datur; itaque ſæpe uſuvenit, ut qui ſemel primo aliquem honorem cunctis ſuffragiis aſſecuti ſint, iidem iterum petentes repulſam ferant. Quo major eorum civium ſplendor eſt, qui omnium dignitatum curſum, ac tanquam ſpatia, & circuitum iterum, & ſæpius ſine ulla offenſione confecerint; ii clariſſimi apud civitatem ſunt, iis honos ab omnibus ætatibus, omnibuſque ordinibus habetur; ii cum opibus, & potentia, ne infimos quidem cives antecedant, dignitate, exiſtimatione, auctoritate, gloria anteferuntur omnibus. Eadem eſt enim civium omnium parque ſpecies, una toga, eaque ſimplex, nullus omnino non modo comitatus ſed ne comes quidem; ut primi civitatis (ſi quis illorum conſuetudinis ignarus intervenerit) uni de multis facile videri poſſint. Sed ii quoquo venerint, ſalutantur, appetuntur, iis in via deceditur, obviam itur; in curia, in foro aſſurgitur; ut mihi virtus nudata phaleris omnibus, adventitiis ornamentis exuta una ea civitate, ſua ipſa pulchritudine, & lumine nitere, ac ſplendeſcere ſemper ſit viſa. Prorſus viſendæ Venetiæ ſunt non propter urbis modo eximiam pulchritudinem, novitatemque antea inauditam: etenim maximam, formoſiſsimamque urbem in mediis excitatam æſtibus, ſeſe e fluctibus erigere quis non miretur? naves onerarias maximas paſsim ad privatorum januam religatas; triremes in plateis navigantes, quis ſine magna admiratione, ac voluptate aſpexerit? Mihi quidem ſic videtur, haud profecto urbem, ſi conſpicata modo eſſet antiquitas, Neptunum nimirum aliquem ex profundo, ac latebris excitaſſet, atque eum celſiſsima illa tecta ſtruentem, ac fabricantem fecitſet; qui tametſi nullus ſcilicet unquam fuit, tamen ſi ſit, aut eſſe ſi poſſit aliquis; nullum illi attribui munus, aut opus illa urbe præclarius poſſet, aut quod magis divinæ conveniret naturæ. Sed hæc oculorum, illa animi ex ejus urbis cognitione voluptas capitur, ut equidem ſentio, vel maxima, quod unæ dominantur apud eos leges; iis & magiſtratus obtemperant, & cives æque ad unum omnes, atque eo uſque mihi potentiam execrata prudentiſſima civitas videtur,

tur, ut neminem ullum ulli magiſtratui præeſſe paſſa ſit. Terni, quini, ſeni, deni imperia, poteſtates, ſingulos magiſtratus gerunt, ut non ſolum domini os, quo nulla tetrior, nulla oculis deteſtabilior objici ſpecies poteſt, aſpiciendum civibus non ſit, ſed ne Domini quidem imago, & ſimilitudo, aut effigies. Quamobrem ſpectatum exteræ nationes alacri animo Venetias eant, nec urbis modo cauſa, quod dicere inſtitueram, ſed vel maximæ civitatis pulcherrimo totius Orbis terrarum ſpectaculo ſeſe ad eam diem caruiſſe profecto intelligent. Poſtquam Roma CONTARENUS rediit, confeſtim ad ſummos honorum gradus ſine ulla dubitatione, vel controverſia elatus eſt; nam & maturius quàm civitatis conſuetudo antea tuliſſet, Sapiens magnus factus eſt, & Conſiliarius: qui duo magiſtratus ſummi apud Venetos ſunt. Neque dubium erat, quin ſiquis ex D. Marci Procuratorum Collegio demortuus eſset, ejus CONTARENUS in locum ſubſtitueretur: ea una procuratio perpetua Venetorum legibus eſt, id unum ad honorum perfunctionem CONTARENO abfuit. Itaque ſic in republica verſabatur, ut etiamſi litteras omnino non didiciſſet, illuſtriſsimum tamen civitatis locum obtinere eum neceſse eſſet. Sic autem doctrinæ gloria celebrabatur, ut tametſi rempublicam attigiſset nunquam, civium omnino, qui fama ac nomine excellunt, clariſsimus ſuo tamen nomine fuiſset futurus. Accedebat Chriſtianæ Theologiæ ſingularis quædam, atque exquiſita cognitio, eaque non ſcientiæ modo, aut oſtentationis diſceptationi ſuæ, ſed vitæ, ac diſciplinæ cauſa comparata. Ad ejus enim præcepta animum, mentemque referens, omnes ſuas cogitationes, conſilia, actiones, vitam denique omnem conformaverat, atque direxerat; ut non modo ad Philoſophorum regulas bene, beateque, ſed etiam ad Chriſtianorum divinum hoc præſcriptum piè, ſancteque viveret. Eſt Venetiis quidam quaſi Romanorum, qui quondam fuit, campus ille, atque comitium, quod magnum ab illis Concilium appellatur: ad id Concilium omnes, quibus ferre ſuffragium per ætatem licet, ſtatutis diebus conveniunt. Ibi cum CONTARENUS forte eſſet Conſilia-

liarius, cuſtoſque poſitus ſortibus, quibus Veneti in petendis magiſtratibus utuntur; nam quorum ſors exiit, ii pronunciant, quem potiſſimum ſua ſententia ei magiſtratui, de quo comitia habentur, gerendo idoneum eſſe exiſtiment. Itaque mirifico caſu accidit, ut ibi cum eſſet, in univerſæ civitatis conſpectu, atque oculis, publice allatæ Roma litteræ ſint, in quibus res omnibus nova, omnibus inopinata, illi quidem certe ipſi prorſus incredibilis, ſcripta eſſet, cooptatum Contarenum a Paulo Pontifice maximo in Cardinalium Collegium eſſe. Legerunt eas inter ſe litteras primum ejus collegæ, a quibus ſatis magno interpoſito ille intervallo ad ſortium urnas, ut dixi, aſſidebat. Itaque excepta inter legendum vox ab iis, qui proximi conſederant, ſuſurro primum & rumore dubio, bonam evenire felicem, fauſtamque eam illi dignitatem precante, ad aures Contareni profluit. Ille vero reſpuere, nec adduci poſſe, ut eam ſibi rem narrari ſaltem pateretur, atque omnino ne aures quidem ad audiendum præbere. Verum recitatis palam litteris magna univerſæ frequentiæ approbatione, ac lætitia inter ſe collocuti conſurrexerunt collegæ, atque ad eum cum magna tum lætitiæ, tum etiam obſervantiæ ſignificatione adierunt. Quod ille cum vehementer commotus recuſaret, ac ſeſe id ætatis ad aliud vitæ genus negaret poſſe traduci, ad curiæ veſtibulum ab iis univerſo eo Conſilio comitatus deductus eſt. Cumque collegæ hominis cohoneſtandi ſtudio, domum reducere cum ſumma contentione pergerent, prorſus non tulit. Erat eo tempore inter collegas Aloyſius Mozanigus, grandior natu vir, qui apud civitatem gratiſsimus cum eſſet, Princepſque Conſilii publici haberetur, ſæpe a Contareno de republica diſſenſerat; is ad eum gratulatum cum aliis non adiit, credo, quod pedibus erat admodum infirmis. Hic clara voce, ut a cuncto exaudiretur Senatu, rei novitate percitus, adjurans, cum frontem feriret, ac Paulo malediceret, affirmaſſe dicitur, maximam ab eo civitati injuriam fieri, quod eam cive privaret, quem illa unum omnium habuiſſet optimum. Conſilio dimiſſo, id enim is conventus nomen habet, uni-

verſa civitas demum ad Contarenum læta, atque alacris confluere cœpit; ille vero ſuſpenſo animo, incertuſque etiam nunc quid ageret, multo minus erat, quam ceteri, hilaris, nec mehercule injuria. Quid enim honos ille homini in re ſua familiari, ampla, atque illuſtri in republica principi, in toto Orbe terrarum claro, atque nobili afferebat, præter moleſtias, ac labores? Nova enim vitæ ratio, nova & conſuetudo, ſuæ civitatis dediſcendi mores, alienæ ediſcendi, haud parum quidem ab ea, ad quam ille ſeſe exercuerat, diſciplina abhorrentes; vivendum ad unius hominis pene arbitrium, atque nutum; comitatus magni alendi, ſæpe diu eodem cenſu; aliæ cogitationes, conſilia, inſtituta, officia, actiones, perſona ſuſcipienda prorſus alia ſunt. Sunt hæc homini æquabilitatis, ac dignitatis potius, quàm potentiæ, atque opum cupido incommoda vehementer odioſa, gravia, ac moleſta, præſertim ſi quis ante partis honoribus tanquam exaturatus, & parta jam gloria contentus eſt. Sæpe mihi narravit, inquit Joannes Caſa, vir omnium clariſſimus, atque graviſſimus, quem Romæ his paucis annis a ſua civitate Legatum, ſumma apud duos Pontifices maximos auctoritate, ſummaque gratia vidimus, Paulum, & Julium Tertios (in utriuſque enim tempora ejus legatio incidit) Matthæus Dandalus; ſeſe cum vehementer auctor Contareno fuiſſet ejus honoris accipiendi, qui non ab eo expetitus, ſed ad eum delatus eſſet, magna contentione, ratiocinandoque vix ægre ad extremum homini perſuaſiſſe, ne committeret, ut Pauli conſilium, in quod non ille temere incurriſſet, ſed ſine ulla dubitatione duce Deo deveniſſet, aſpernari videretur, præſertim his reipublicæ Chriſtianæ temporibus. Multos enim fore, qui eam rem aliorſum acciperent, atque ille faceret; quippe in Romanam Eccleſiam impietatis, ſceleriſque nefarii Gasparem Contarenum, virum unum omnium maxime pium, maximeque religioſum, ſubſcriptorem habere gloriaturi, ſeſeque in eo impudentiſſime jactaturi eſſent; quippe qui cum a Pontifice maximo ne beneficium quidem accipiendum ſibi eſſe ſtatueret, quid de cauſa illa

to-

tota judicaret, nemini dubium relinqueret. Hæc cum Dandalus diceret, adderetque, eos qui Contareno æquiſſimi futuri eſſent, ſuſpicaturos tamen eſſe, non ob animi magnitudinem, atque æquabilitatem, tantam illum dignitatem a ſe removiſſe, ſed propter imbecillitatem, atque ignaviam defugiſſe. Pervicit homo gravis, atque eloquens, omnique neceſſitudinis genere cum eo ab adoleſcentia conjunctus cum propter affinitatem, tum præcipue propter morum, voluntatum, ſtudiorum ſimilitudinem, ut dubitantem confirmaret, atque in ſuam ſententiam diu multum cunctantem, ac tergiverſantem perduceret. Omnino verum id eſt, quod ait apud Euripidem Theſeus, cum Herculem, quo tempore ille Athenas in exilium venit, multis honoribus, ac beneficiis proſequeretur; Sic enim, ait, laudem feremus omnium pulcherrimam univerſa a Græcia, feciſſe commemorabimur bonis bene; quod ille Græce, optime, nos Latine, ut potuimus. Verumtamen is eſt virtutis ſplendor, ut non modo ii, qui ejus compotes ſint, honore digni habeantur; ſed etiam ſi qui honorem illis, qui adepti eam ſint, habeant, honorati ipſi, & clari ob eam rem evadent. Id quod Theſeus de ſe ſperabat, Paulus etiam aſſecutus eſt; nec enim dici poteſt, quantum in Contareni dignitate amplificanda, ſuam ipſe gloriam propagarit: quanquam fuit ille ſuo quoque nomine inſignibus laudibus ornatus, Virque egregie magnanimus, & plane maximus. Diaconum S. Mariæ in Aquiro Contarenum a Paulo initio inſtitutum ex Codice ms. didici: ex Diaconatu gradum fecit ad Presbyteratum; Felix Contelorius Presbyterum Sanctæ Balbinæ primo, deinde S. Apollinaris, ac S. Vitalis, demum S. Praxedis dixit; Paulus III. in litteris indictionis Concilii Tridentini Cardinalem S. Praxedis nominavit. Nec bene Cabrera titulum S. Praxedis primum Contareno datum fuiſſe ſcribit; certo enim ſcimus ex monumentis Vaticanis, die 30. Maji poſt adeptum galerum Contarenum Diaconiam habuiſſe S. Mariæ in Aquiro; mox ea dimiſſa die 17. Septembris ejuſdem anni S. Vitalis titulum accepiſſe, quem anno 1537. dimiſit, & factus eſt

 Pre-

Presbyter tituli S. Apollinaris, poſtremo anno 1542. die 11. Februarii ex eo titulo ad alium S. Praxedis translatum eſse. Anno ſequenti, ſeu ut alii volunt, anno, quo Collegio Cardinalium adſcriptus eſt, die ſcilicet 11. ſeu 23. Octobris Epiſcopatum Bellunenſem ſub Patriarcha Aquilejenſi obtinuit. Loco Bellunenſis Bergomenſem alii legunt, ſed male; nam poſt Joannem Baptiſtam Caſalium, Bellunenſem Eccleſiam regendam ſuſcepit, ut ſcribit Joannes Nicolaus Dolionus in Hiſtoria Bellunenſi, & teſtantur monumenta Vaticana. Ferdinandus Ughellius tomo 5. Italiæ ſacræ in ſerie Epiſcoporum Bellunenſium affirmat, Gasparem rexiſſe Bergomenſem Eccleſiam, his verbis: *fuit Epiſcopus Bergomas, de quo ibi plura*. Egerat ille de Epiſcopis Bergomenſibus tomo 4. nullam tamen ibi Gasparis mentionem fecerat; nam ab anno 1484. uſque ad annum 1542. quo vita Gaspar migravit, Eccleſiæ illi præfuerunt Laurentius Gabriel ab anno 1484. uſque ad annum 1512. huic ſucceſſit Nicolaus Lippomanus, qui anno 1516. Epiſcopatu illo ſe abdicavit: poſt Nicolaum Eccleſiam eandem ſuſcepit regendam Petrus Lippomanus Nicolai nepos, quam non dimiſit niſi anno 1544. quo jam, ut diximus, Gaspar e vita exceſſerat.

Ab hoc tempore, quo Gaspar renunciatus eſt S. R. E. Cardinalis, aliud tanquam vitæ exordium, & quaſi origo Contareno naſcitur. Antiquiores habentur Venetorum mores, propterea quod inquinari ſe externis conſuetudinibus ea civitas paſſa non eſt; victu, & cultu non modo a luxuria longe abſunt, ſed etiam de lautitia hac, quæ pleraſque Italiæ civitates nuper invaſit, permultum circunſcripſerunt; quippe qui priſco more eſſe ſe Principes, quàm videri malunt. Conſuetudo autem eorum, moderatioque vitæ quotidiana diſcrepant illæ quidem fortaſſe nonnihil, ſed ita ut ad ſummam expolitionem deſit forſitan aliquid: aptiores enim in convictu, & congreſſionibus Romani homines ſunt, ſed acceſito quodam interdum genere, minimeque vernaculo. Vitæ autem cultus lautior eſt, atque, ut video nonnullos exiſtimare, etiam delicatior. In Prin-

ci-

cipibus quidem luxus pene regalis, magnus equorum, jumentorumque numerus, multitudo familiarium, lauta, ſplendida, ſumptuoſa ſupellex, ut dediſſe mihi operam videantur, non modò re magni ut eſſent, atque clari, ſed etiam ſpecie, ac pompa. Neque ego hoc dico, quod exterarum rerum, quæ ad dignitatem, ac decorem pertinent, rationem non habendam eſſe exiſtimem, aut quo mihi id arrogem, ut utrius civitatis ſtudia rectiora ſint, dijudicare me poſse profitear; ſed illud affirmo, hanc quaſi migrationem e ſua in alienam, non illam quidem deterius, ſed longe, longeque aliter moratam civitatem, Contareno, ingraveſcente jam ætate ſubitam, ac repentinam neceſsario moleſtam fuiſse. Verumtamen ita vitæ, victuſque mutatio facta ab eo eſt, ut ingenium tamen, inſtitutaque illa ſua priſtina retineret, nec ullos ſpiritus tanta facta acceſſione dignitatis, atque fortunæ ſibi ſumeret, ſed probitas, affabilitas, & eadem, quæ in privato fuerat, facilitas, atque humanitas (quanquam invidioſa illa, tantoque opere a multis expetita, purpura recens induta erat) integumentis involuta, & quaſi perſonata, elucebat tamen, & agnoſcebatur ab omnibus. Nam cum intempeſtivi ipſi complures, moleſtique ſæpe eſſent, propterea quod omnibus præſto ſemper ille erat, admonitus eſt a ſuis, non tam faciles ejus ordinis ceteros ſeſe præbere conſueviſſe; ſed certam diei horam conſtitutam habere, ante quam adiri ad ſe non paterentur, neque ſui cuique poteſtatem facerent. Quibus ille reſpondit, ſe non putare honorem illum ſibi ſoli eſſe datum; ſed ejus partem amicos, partem inopes homines, & egentes jure ſibi optimo vindicare, ad quorum arbitrium vivendum ſibi eſſe ſtatueret, non ad ſuum. Nec enim æquum eſſe amicorum, clientumque negociis tempus idoneum, quod ſit, a ſe præſcribi, ſed ab iis ipſis quid rerum ſuarum occaſiones, ac momenta exigant, ſtatui oportere. Itaque ut quique ad eum veniebant, ſtatim admittebantur, ac quibus operam ſuam ſemel eſſet pollicitus, fidem in eo religioſiſſime ſervabat, ut ſæpe tenujum, aut miſerorum hominum cauſa ad ſummos Reges iterum, & ſæpius

pius adire non dubitaverit; cum id præcipue Chriſtiani eſſe officii contenderet, id maxime hominum genus auxilio juvare, quod maxime opis, & auxilii egeret. Quod judicium ipſius etiam faciebat, ut reliquias Græcæ nationis multis gravibuſque malis conflictatas foveret, ac quibuſcunque rebus poſſet, ſublevaret. Accedebat autem huic animi propenſioni erga illos, ut miſeros, & duriſſima ſervitute oppreſſos, quod memor erat veterum beneficiorum, quæ univerſi mortales ab erudita ea gente accepiſſent; inde nanque, & bonas artes, & cuncta ingenua ſtudia profecta per omnes terras manaſſe affirmabat. Nam quin majores eorum pietatem Chriſtianam, cultumque hunc optimum noſtræ vitæ ſtrenue adjuviſſent, dubitari non poſſe dicebat, cum Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, quaſi ſigniferi hujus ſanctiſſimi doctorum hominum gregis fuiſſent, qui pectora noſtra excoluerunt, ac ſcriptis, laboribuſque ſuis veros ritus, exploſis inde falſis opinionibus, expoſuerunt. Quare oportere nos, ſi grati eſſe velimus, lapides etiam, ſtipeſque ejus telluris amplexari, nedum homines, cum quibus tot arctiſſimis vinculis conjuncti ſumus, omni amore proſequi non debeamus. Vigebat autem eo magis in animo ipſius hæc opinio, quia illos ipſos ſummos Theologos, quos appellavi, ut Philoſophos quoque ejuſdem gentis quotidie in manibus habebat, & eorum laboribus, vigiliiſque ſe inſtructum eſſe recordabatur. Fidem diligentiſſime præſtabat, ut ad diem, quibus deberet, ſemper perſolveret, quæ res a potentioribus non paucis neglecta efficere ſolet, ut multis in locis ſit fides anguſtior; neque hoc tantum majoribus in nominibus cuſtodiebat, ad tempus his, qui ſe grandiore pecunia juviſſent, reſpondebat (quod tamen ut faceret, ægre, & urgente tantum aliqua neceſsitate committebat) verum etiam adverſus tenues homines, quibus aliquid deberet, ſe talem præbebat. Quæ culpa majoribus eorundem inhærens inquinat non parum eorum ſplendorem, miſeroſque illos creditores ad deſperationem, & laqueum aliquando adigit. Declarat quantopere maculam hanc fugeret, quamque omni in re juſtitiam coleret, vox edita

ali-

aliquando ab ipſo, cum forte audiſſet dicentem Œconomum ſuum jubere minutum quendam opificem cras redire, caſtigatum enim illum verbo aſperiori juſsit pecuniam eam ſtatim diſſolvere, addiditque, ſi unde id facere, non eſſet, ſumeret ex abaco vas, ipſumque divenderet; arbitrari enim ſe, tenuem illum hominem magis mercede ſua, quàm ſe argento illo, menſæque ornatu egere. Eodem pacto toto animo abhorrebat ab indignis gravi, & honeſto viro queſtibus; non pauci enim, ne deſit ipſis pecunia in minime neceſsariis ſumptibus, & ut inanem ſplendorem retinere poſſint, cogunt illam illiberaliſsima quavis ratione, ac ſordidiſsima. Cum igitur eo tempore, quo Bononiam Legati nomine obtinebat, qui, pars illius muneris obeundi, illatarum injuriarum cauſas audiebat, ita cum eo egiſset (putabat enim CONTARENUM ejuſdem animi eſse, cujus plerunque ſunt, qui negociis illis implicantur) Eſuribimus profecto; nullum enim emolumentum parit impoſita mihi cura, cunctaque in civitate concordiæ, atque ocii plena ſunt; inquit ille, Voluptatem magnam mihi nuncias, cupioque hunc ſtatum rerum permanere, videreque diem illum, quo ego, ut habeam ſumptum unde faciam, mulam etiam, qua vehor cum omni ornatu proſcribere cogar. Non putavi autem alienum eſse has etiam ipſius voces memoriæ mandare, cum præſertim hujuſcemodi brevia dicta, quia ab intimis ſenſibus proficiſcuntur, ſubitoque prolata ſunt in ſingulis factis, ac motibus animi, ut reliquis etiam caſibus humanis, videantur in primis mores voluntatemque eorum, unde erumpunt, indicare. Eædem voces multum valere non ſine cauſa ſemper exiſtimatæ ſint ad homines informandos, illoſque etiam emendandos, qui contrariis vitiis tenentur. Quam cauſam fuiſſe puto, cur plures, & docti, & prudentes viri ſedulo multas collegerint, & volumina etiam ex ipſis confecerint. Sæpe, multumque ineunte adoleſcentia, cum iracundia, quæ paulo ſibi conſueviſſet eſſe moleſtior, quaſi luctatum, ad extremum proſtratam illam, & domitam ajebat oppreſſiſſe; non modo enim turpe, ſed etiam miſerum ſibi ſemper viſum, ira incitatos a conſilio, at-

atque nobiſmetipſis abſcedere, quod de ſe Terentianus ille prædicaret, præ iracundia Menedeme non ſum apud me; Bibulum autem illum, qui cum L. Libone fuit ad Oricum (quanquam hoc de Scribonio ab inimiciſſimo homine memoriæ traditum eſt, & qui quacunque re potuit, exiſtimationem ejus ſemper violavit) ſibi nullius pretii hominem videri fuiſſe, qui cum de compoſitione agendum eſſet cum Cæſare, ad colloquium non prodiit ob eam rem, quod furenter conſueviſſet iraſci; ne res maximæ ſpei, maximæque utilitatis ejus iracundia impedirentur. Itaque non modo ſtomachantem, ſed ne commotum quidem viſum illum a ſe unquam eſſe, qui cum eo familiariſſime vixerunt affirmant. Ut nimirum prope patiens, ac lentus exiſtimaretur; neque iis, qui in epulis, in cubiculo ipſi miniſtrarent, ſæpe ceſſantibus, ſæpe etiam peccantibus, non modo non convicium faceret, ſed ne verbo quidem malediceret. Quod igitur de nonnullis doctis viris memoriæ proditum eſt, ut Socrate Stilpone Megareo, cum illi natura propenſi eſſent ad aliquod vitium, effeciſſe tantum eos ſtudio, ac diligentia ſua, ut nullum unquam in vita ipſorum veſtigium rerum illarum appareret. Id vero de hoc noſtro prædicari poteſt, in illiſque ſine dubio CONTARENUS enumerari debet, qui vitioſam naturam compreſſerint, ac quicquid illic aliquod majus malum, ſi creviſſet, ferre potuiſſet, tenerum adhuc, & imbecillum fregerint, & omnes ejus fibras extirparint. Superbiorem ipſum (de quo etiam ſupra nonnihil ſignificatum eſt) copia bonorum, quæ aut a fortuna acceperat, aut ipſe ſuo labore, induſtriaque quæſiverat, non fecerat. In quod vitium paſſim multi, minoribus multo ornamentis decorati ruunt, & ſane hanc culpam ille ut ſcopulum aliquem magnopere vitabat. Quod ſi unquam in ſermone aliquo aliquid a ſe forte prolatum intelligeret, quod tenuem modo umbram illius mali retineret, valde dolebat, ut contigit quoddam tempore. Cum enim Paulus III. loqueretur cum ipſo de augendo numero ſummorum Antiſtitum, oſtendiſſetque, ſe in animo habere quoſdam in eum ordinem cooptare CONTARENO minime

pro-

probatos (quod ille etiam præſeferebat, atque id palam tunc dicebat) videns ipſum ſuæ voluntati refragari Pontifex maximus, inquit iis ipſis verbis; Inſitum fuit ſemper Cardinalibus, ut novis repugnarent, ne ſibi alii dignitate exæquentur. Reſpondit igitur ille commodior quàm ſolebat; Noli ſanctiſſime Pater ita de me exiſtimare, cognitum enim tibi plane eſt, quot ego nominarim, idoneam prorſus materiam huic operi efficiendo, & unde fingi poſſint perſonæ tantæ dignitati ſuſtinendæ aptæ. Nam quod ad me attinet, non puto purpuram hanc maximum eſſe eorum, quos in vita aſſecutus ſum, honorum. Extrema hæc verba illa occaſione edita, ſtatim ut domum rediit, doluit ſibi excidiſſe; ut qui noluiſſet ſpecimen aliquod a ſe unquam datum, aut ſuperbi hominis, aut inanis hujus honoris, & gloriæ cupidi. Quin etiam dictitabat ampliſſima ſacerdotia plus in ſe oneris, quàm ſplendoris habere, quoque majora illa forent, eo moleſtiæ plus ſollicitudiniſque continere. Quare ſe ſæpe vicem dolere ſolitum eorum, qui Pontifices maximi creati forent; quia pondus Æthna gravius humeris ſuis ſuſtinerent. Cujus judicii Seleucus quoque Rex quondam fuit: ille nanque dixit (quæ vox ejus monumentis litterarum mandata eſt a doctis viris, ut errorem eorum coarguerent, qui falſo putant, opulentiſſimos quoſque homines beatos eſſe, magniſque ſemper voluptatibus frui, cernentes ſplendorem vitæ illius, ac florem) inquit ille igitur, neſcire privatos illius ſtatus incommoda, ideoque magnopere falli in judicio de illo faciendo: quod ſi ſcirent tantum quàm arduum ſit, ac moleſtiæ plenum tot epiſtolas ſcribere, ac legere, futurum prorſus, ut diadema abjectum jaceret ſine honore ullo, nec quenquam inventum iri tam ſtultum, qui ipſum tolleret, ac ſuo capiti imponeret; nec tamen non multo majoribus, gravioribuſque curis premi neceſſario illos, ſi munus ſuum fideliter obire vellent, qui vitam, moreſque eorum, quibus præſunt, regendos ſuſceperunt, animoſque ab omni labe purgandos, quàm qui in eo tantum eximio ſtatu rerum ſuarum, regnoque conſervando occupati ſunt. Cum igitur hoc cri-

crimen CONTARENUS vehementer reformidaret, ac, ſi quis vere exiſtimare poſſet, vacuus prorſus ab ipſo foret; non tamen penitus potuit ea ſuſpicione carere. Erat enim ille in omni ſuo ſermone, factoque integer, ac liber; remotus ab omnibus blanditiis orationis, acerrimus inimicus vanitatis illius, aſſentationiſque, quæ nunc in locum invaſit ſimplicis veritatis, libertatiſque loquendi, merito quondam magnopere probatæ; ob quod etiam ingenii bonum ferunt, eum Carolo Cæſari valde acceptum fuiſſe, cum ob alias etiam animi dotes ab eo diligeretur. Hæc igitur probitas nuda, experſque omnis fuci, ac fallaciarum, quæque uti eo venerat, ita ſe Romæ in longe aliis moribus, inſtitutiſque conſervarat, cauſa fuit, ut ſuperbiæ a nonnullis inſimularetur, quaſi ille contemnens ceteros præ ſe, quicquid ſentiret de omni re contra commoda illorum diceret, nec ſua quicquam intereſſe putaret potentioribus adverſari. Quam anſam quidam arripientes, ipſum ut contumacem, & inhumanum apud Paulum III. criminati ſunt; quod nimis libere in Senatu contra ipſum ſententiam diceret, atque honeſtiſſimos quoſque viros offenderet. Ipſe vero id diverſo conſilio faciebat, neque ut impediret commoda aliquorum, ſed ut religioni ſuæ, & ei quod rectum eſſe ſentiebat, ſerviret. Ut autem quod non verum eſſet, nec ordine factum, quamvis intelligeret, ſe apud aliquos offenſurum, accuſabat, ita gratiam aliorum aſtuta, ſimulataque oratione non aucupabatur. Cui rei oſtendendæ in utramque partem exemplum hoc ſatis accommodatum erit. Contigit aliquando, ut eo aſtante in Senatu ageretur de Camerino in poteſtatem tradendo uni alicui Pontificis maximi nepotum eo genere juris, quod Feudum appellant. Admonuit igitur CONTARENUS Paulum, ut antequam de tanta re quicquam ſtatueretur, colendæ juſtitiæ cauſa, vacuæque a culpa conſervandæ ſanctiſſimæ Sedis, mandaret, ut jura Varanæ familiæ, quæ diu in poſſeſſione ejus oppidi fuerat, diligenter noſcerentur, ne injuriæ aliquid ipſa in re acciperet. Hæc ſententia præſenti animo dicta, illa ipſa die per Urbem ſparſa, diſſeminataque eſt: quare Hercules Varanus, qui

qui Romæ tunc erat, ſtatim domum ad CONTARENUM venit, gratiaſque illi maximas egit, cauſamque ei ſuam totam commendavit. Cui quidem ille eadem animi ſimplicitate, quod tamen quidam ab agreſti, inhumanoque ingenio profectum potius dicerent, reſpondit: Non neceſse erat, te mihi iſto nomine gratias agere; quod enim feci tunc, ut æquitati officioque meo ſatisfacerem, feci; nec quicquam amplius cogitationis ſuſcipiam de iſta re præter id, quod mihi fides mea præſcripſerit, niſi aliquid a Pontifice ipſo, quod eo faciat, curæ meæ mandatum fuerit. Blandus aliquis illa occaſione uſus ſtuduiſſet gratiæ illi ſine ullo ſuo labore partæ novam gratiam addere, animumque honeſti viri inani ſpe, falſiſque pollicitationibus lactaſſet. Quare mihi venit in mentem arbitrari, non paucis in rebus ſimile fuiſſe CONTARENI ingenium naturæ, moribuſque Dionis Syracuſani; ut enim reliqua, in quibus ipſis inter ſe magnopere convenit, taceam, non deerant etiam in regia illa Dionyſii filii (ut ab eruditiſsimis viris memoriæ proditum eſt) qui caſtiſſimi illius, & integerrimi viri maximas virtutes, & ſane eaſdem has propinquis vitiorum vocabulis deformarent, ac gravitatem ſuperbiam eſſe dicerent, libertatemque loquendi contumaciam vocarent. Qui Dion, cum induci non poſſet, ut una cum aliis peccaret, qui ſe omni genere vitiorum contaminarent, eorum peccata videbatur diſsimilitudine vitæ coarguere; fertur tamen ille durior fuiſſe natura, triſtiorque. Unde temperare indolem illam ſummo ſtudio ipſum debere a doctiſsimo viro, ſtudioſiſsimoque gloriæ ipſius elegantiſsima voce dictum eſt; hortatus enim eſt Plato, ut gratiis hoſtias immolaret; ſuaſitque, ut aliquid etiam daret moribus ſuorum temporum, inſtitutiſque reliquorum mortalium: non quia id omnino verum eſſet; ſed quia ad congreſſus hominum frequentandos, benevolentiamque eorundem retinendam, obſequium ſæpe neceſſarium foret. Atque hæc privati officii ſunt. Illa publici, quod malas conſuetudines tollendas curavit, illas veteres renovandas, quod multarum legum præclariſsimarum auctor, ſuaſorque fuit, quod in dicenda ſententia nunquam invi-

diam reformidavit; multaque contra collegarum ſuorum commodum ſæpe ſuſcepit, atque perfecit. Vitioſa quadam conſuetudine duabus, ſæpe etiam pluribus civitatibus unus, & idem dabatur cuſtos, qui Græco verbo Epiſcopi appellantur, neque in iis ipſis ætatis progreſſus expectabatur, qui annalibus Pontificum maximorum legibus conſtitutus eſt; adoleſcentuli ſæpe pueri maximis adminiſtrationibus præficiebantur. Has, atque hujuſmodi alias pravas corruptelas ſua Contarenus ſententia delebat, moreſque Sacerdotum, hominum nimium nonnunquam deformatos emendabat, magnaque ſua ipſe offenſione communem reipublicæ levabat invidiam. Non eadem conditione eſt Collegium Cardinalium, ceterarumque civitatum Senatus, aut Conſilium; nam ille ex ea, quam habent civium copia, in ſuos Senatui, qui aptiſſimi viſi ſunt, legunt: in Collegium Cardinalium e toto terrarum Orbe, qui aut doctrina, aut nobilitate, aut prudentia, aut probitate, religione, pietate excellunt, ſi Pontifici maximo viſum ſit, eos cooptare licet; eoque factum eſt, ut ſumma is ordo amplitudine, ſumma auctoritate, ſummo ſplendore, omni ille quidem tempore fuerit, quippe e Chriſtianorum flore decerptus, atque collectus. Veruntamen iis, de quibus inſtitutus mihi ſermo eſt, temporibus præcipuum quoddam in eo lumen enituit; propterea quod Paulus Pontifex maximus magni, atque acris indicii Vir, eximia, ſingularique virtute homines nactus, ad eam illos dignitatem ultro ipſe evocaverat, ut ei Collegio, quod per ſe antea eſſet clariſſimum, ea re lucis tamen permultum attuliſſe videretur. Ex hac virorum clariſſimorum copia cum mittendus ad Cæſarem Legatus eſſet, Contarenus potiſſimum ad id munus delectus eſt; cauſa mittendi ea fuit. Vehementer erat Cæſar anxius, ſollicituſque, quod Germani, qui plurimum armis poſſunt, neque præſto illi in bellis erant, neque eum pecunia juvabant; propterea quod maximis inter ſe ſeditionibus de religione contendebant, atque inteſtinis diſſenſionibus diſtenti, nullo illi uſui eſſe poterant; abjecti quidem, perditique, ac deſperati homines quadraginta fere abhinc annis, jampridem

re-

receptas, rataſque diſciplinæ Chriſtianæ ſententias in controverſiam revocaverunt, multitudinique perſuaſerunt imperitæ, uti a Romano Pontifice, quod caput Chriſtianæ reipublicæ, atque Eccleſiæ eſt, deſciſcerent, ſe ſeque in libertatem vindicarent. Quod malum tarde initio ſerpens ab iis neglectum, a quibus opprimi id, & poterat, & debebat, paulatim infimæ plebis, vulgique mulierum, animis legum vinculis laxandis, & diſſolvendis, pollicendaque cupiditatum multarum licentia, in fraudem inductis, paucis annis opinione magis accrevit; idemque nefarius furor, poſtquam populare exiſtimari cœptum eſt pietatem evertere, multos quoque Principes invaſit. Alios metus impellebat veritos ne a ſuis deſererentur, ſi ab illis diſſentire pergerent, partim rerum novarum ſtudio, partim levitate, & ſtultitia, quod Deo immortali, legibuſque ſpernendis, fortitudinis opinionem facere ſeſe de ſe nonnulli arbitrarentur; partim etiam avaritia, quod ſacerdotum maximas, ampliſſimaſque poſſeſſiones publicatas, inter ſe partiebantur. Multi tamen, quibus eſſet Deus pro ſua ipſorum pietate propitius, veram, integramque pietatem conſtantiſſime complexi, nullis permulceri illecebris, nullis illici præmiis, nullo timore depelli ſeſe paſsi ſunt; eaque a majoribus, quæ acceperunt, inſtituta ad hoc uſque tempus fortiſsimo animo retinuerunt. Sed tanta inter utroſque extitit non modo contentio, ac diſceptatio, ſed etiam concertatio, ac pugna, tantumque exarſit odium, ut maximæ, bellicoſiſsimæ, florentiſsimæ, atque adeo ante hunc furorem, religioſiſsimæ, optimæque de republica meritæ nationis vires, opes, & copiæ aſſumptæ, in ſeſe ipſa conficienda, atque delenda, ſint. Quibus rebus permotus Cæſar animo, & cogitatione in ea cura defigebatur, ſi per compoſitionem minui id malum, ſedarique diſcordiæ poſſent; qua de re cum omni contentione cum Germaniæ civitatibus ageret, primo Chriſtianorum omnium Concilium in iis maxime locis indici poſtulaverunt; quò adire tuto ipſi poſſent. Is erat locus nuſquam gentium, quippe cum ab omnibus defeciſſent, nec ullis ſe gentibus committere auderent, præter-

terquam in eorum ipſorum finibus, ad id Concilium venturos, ejuſque decretis, judiciiſque ſtaturos ſeſe pollicentur. Id eo ab illis conſilio fiebat, quod Pontificem maximum nunquam eo deſcenſurum ſibi perſuaſerant; verum ubi probari a Paulo III. conditionem, ac ne de loco quidem, cujus iniquitate deterritum iri eum maxime ſperabant, recuſari ſenſerunt, paulatim regredi, neque in eo, quod ultro ipſi poſtulaverant, manere; dirimi controverſias per colloquium poſſe, id brevius, expeditius, certiuſque eſſe, dicere, longum eſſe expectare, dum ex ultimis terris conveniretur. Omnia ſibi Cæſar experienda exiſtimabat, ſi ulla ratione mederi eo tanto malo poſſet; itaque deliguntur homines docti ex utroque numero undeni. Ad colloquium venitur, magna contentione, magna pertinacia ab iis, qui ſe ipſi Proteſtantes appellant, diſputatur, atque in omni genere calumniæ deliteſcitur. Eos ii, qui ratas veteres ſententias eſſe volunt, Catholicique appellantur, acriter refellunt, conſtantiſsimeque in ſententia perſeverant. Ad extremum, cum concertationum exitus nullus reperiretur, nec quicquam inter eos conveniret, prorſus disjunctis, diſcordibuſque opinionibus infecta re a colloquio diſcedunt. Quod quoniam ſe abſente factum erat, Cæſar ſperans Germanos ſuum aſpectum, atque auctoritatem reveritos aliquid de pertinacia, atque calumniis remiſſuros, iterum deligi homines jubet, qui colloquendi cauſa Ratisbonam conveniant; atque eo ipſe proficiſcitur, ut majore auctoritate de concordia ageretur, ſimulque magnopere a Paulo III. per litteras petit, Legatum ut ad ſe mitteret, qui ad rem tantam, & tam gravem maxime eſſet idoneus. Paulus e tanta præclariſsimorum hominum facultate, & copia Contarenum ſine ulla dubitatione delegit, atque hominem in Germaniam mittit; quod is magnum jam antea ejus gentis propter eas cauſas, quæ commemoratæ a nobis ſunt, haberet uſum, & Cæſari eſſet gratiſsimus, idemque innocentiæ, doctrinæ, prudentiæ, facilitatis, animique moderationis, magna apud Germanos opinione excelleret: quique (id quod Cæſar magnopere poſtulaverat, maximeque ad rem pertinere arbitra-

trabatur) in diſputando minime eſſet ambitioſus, minimeque pertinax. Eò cum veniſſet mirabiliter acceptus in Germania eſt, & magno in honore apud Cæſarem fuit; nam cum omnes Germaniæ Principes, tum Rex Romanorum ipſe, officii, honoriſque hominis cauſa domum ad eum venit, & in ſacris, cæremoniiſque ſolemnibus datus ei locus eſt ſecundum Cæſarem primus; nihilque earum rerum, quæ ad homines magnos honeſtandos adhiberi conſueverunt, in eo prætermiſſum eſt. Quæ tametſi ordini ſcilicet debebantur, & dignitati, tamen cum alacrius aliquanto, tum etiam cumulatius, quàm antea ſolita ſint, perſonæ dicuntur eſse perſoluta. Accedebat quod Cæſar jucundiſsima ejus conſuetudine, & ſermonibus delectatus, ſæpe hominem ad ſe extra ordinem vocabat; cumque de gravioribus negociis, deque republica collocuti inter ſe eſſent, multa ad eum Cæſar de ſuis privatim rebus referebat, multa de Geometria, multa de Geographia quærebat, quibus ille ſcientiis, quod eæ ad rem militarem, quæ illi ſpectanda erat maxime, pertinent, operam multam illis temporibus dabat. Illa autem cum in promptu CONTARENUS haberet, quod puerili diſciplina erat in iis artibus ſtudioſe verſatus, omnia ſcilicet certa, dilucidaque reſpondebat. Quæ cum de CONTARENI apud Cæſarem familiaritate, ac gratia, apud omnem autem Germaniam auctoritate, & fama Romam eſſent allata; ventum eſt in ſpem fore ut res convenirent, mitigatiſque CONTARENI lenitate, & prudentia Germanorum animis teterrimæ diſcordiæ tollerentur. Quæ res, quoniam majorem in modum illi gloriæ futura erat, homini vehementer invideri cœptum eſt. Nec deerant etiam Romæ qui dicerent, nulla alia de cauſa ipſum Germanis gratum, acceptumque eſſe, niſi quia adverſariis indulſiſſet, ac decreta, quæ pugnaciſſime defendere debebat, iiſdem prodidiſſet. Hæ vero graves, acerbæque voces ab iis, qui æquo animo laudem, gloriamque CONTARENI non ferebant, emanabant; nec tantum illic, ubi plurimum ipſi obeſſe poterant, improbe mittebantur, verum etiam per omnem Italiam fuſæ, ac diſſeminatæ, magnopere illius exiſtimationem,

nem, ac dignitatem lædebant. Quas tamen ille magno animo præditus, reique ipſius naturæ non ignarus, primo contempſit; ad eum nanque malevoli hi ſermones invidorum in Germaniam uſque delati ſunt, ſimulque ſperabat exitum earum rerum innocentiam ſuam, fidemque patefacturum, cui ſane ipſe toto animo incumbebat. Contigit tamen tunc, quod ſæpe in magnis, arduiſque rebus uſu venit, ut negocium illud Chriſtianæ reipublicæ magnopere utile, atque adeo ſalutare, in medio curſu fractum, ac diſſipatum ſit. Id autem magna ex parte factum eſt malitia, fraudeque illorum, qui Cæſaris potentiam, quæ multum compoſitis rebus, Germaniaque pacata creviſſet, ſuſpectam habebant, ſuiſque rebus periculoſam exiſtimabant. Hi nanque non modo veterum diſcordiarum fibras, ut oportebat, communis utilitatis cauſa non evellebant; verum etiam novarum ſimultatum ſemina occulte jaciebant in aures eorum, quibus commiſſa res erat, inſuſurrantes, ac falſos quoſdam metus eo inſerentes. Ut autem aſtuta hæc conſilia rem remorabantur, & ne ad exitum adduceretur, impediebant, ita ſubito exortum eſt, quod animos Germanorum ad longe alias curas traduceret, finemque diſputationi illi, ac colloquio faceret. Hoc autem fuit incurſus Turcarum Regis in Pannoniam cum maximis copiis, communiſque hoſtis metus: nec enim effecit tunc timor ille, quod plerunque conſuevit, magnopere exacerbatis animis, ut ſtimulum periculum tantum admoveret ad odia extinguenda, & gratiam reconciliandam, ſed potius ſpem, quæcunque erat, malorum illorum ſedandorum eo tempore intercidit, ac ſuſtulit. Miſſis igitur ſermonibus illis, quod factum eſt extremo menſe Quinctili, ceperunt Germani arma, totoſque ſe ad impetum illum coercendum, fineſque ſuos tuendos contulerunt. Cæſar vero aliam rationem iniit ejus periculi callido conſilio propulſandi; quod a veteribus etiam ducibus non ſemel uſurpatum fuit, & ſatis tutum ſemper, utileque cognitum eſt; ſtatuit enim cum claſſe, quam maximam ædificaverat, ornaveratque in Africam navigare. Magno nanque ſpatio Solimanus inde remotus, auxilium il-

illis locis ferre nullo modo poterat; & ne majorem etiam aliquam plagam in Græcia acciperet, non ſine cauſa metuere debebat. Urgebant præterea Carolum, ut hoc faceret, aſſidue preces Hiſpanorum, crebraque damna ſtimulabant, quæ cuncta illa maritima regio quotidie accipiebat, ob frequentem irruptionem piratarum; adeo ut mare pene omne clauſum illic foret. Quare ut tam gravibus malis regnum illud ſuum liberaret, deleretque maculam, quam ſibi videbatur ſuſcipere ob tantam licentiam prædonum, ſtatuit, ut dictum eſt, apparatui illius belli non deeſſe, ſedemque nefariorum hominum, ſi poſſet, omni ratione evertere; quamvis inimici timoris ipſum arguerent, quod ferociſsimum hoſtem declinaret, ac tellurem, quam maxime tueri debebat, tanto periculo impendente deſtitueret; in Italiam igitur venit. Cum vero muneri, quod ſuſtinebat, non ſine magna animi ſui moleſtia finem factum eſſe vidiſſet Contarenus, nec ſe poſſe amplius navare operam reipublicæ, unà cum Cæſare reverſus eſt. Poſtea vero quàm Tridentum ventum eſt, Imperatorem, ut ſe dimitteret, rogavit; velle enim ſe, cum commode id facere poſſet, Eccleſiam ſuæ fidei commiſſam, quæ non longe inde abeſſet, inviſere, ac, poſtquam publice non poſſet, privatim religioni, officioque ſuo ſervire. Venerunt tamen eo tempore Roma a Pontifice maximo litteræ, quæ jubebant, ipſum perſona Legati retenta apud Imperatorem eſſe, Mediolanumque unà cum eo proficiſci. In quam urbem ille ut veteris Imperii juris non multo ante receptam, volebat (ut moris eſt) cum pompa ingredi, indeque Lucam accedere; quo in loco Pontifex ipſe, Cæſarque ſtatuerant ſimul congredi, ac de communibus rebus ſtudioſe agere. Accidit hoc in itinere res, quæ vehementer animum optimi viri commoveret; cum enim Brixiam ventum eſſet, civis ejus loci, honeſtus ſane vir, ac vetus amicus Contareni, qui ad ipſum ſalutatum venerat, quæſivit ex eo ſimpliciter, quæ mens ipſum impuliſſet, ut capita, quæ ferrentur prolata ab adverſariis, adeo abſurda, & a vera ratione aliena, in Germania comprobaret. Cui ſtatim re-

ſpondit ille; eas eſſe meras nugas, rumoreſque prorſus inanes, & quos omnium aures reſpuere deberent; ſe nanque, ne dum anceps quod eſſet, & in quo ſcrupulus aliquis reſideret, ſine auctoritate Pontificis maximi conceſſurus adverſariis fuiſſet, ea etiam, quæ rata in primis ſunt, & firma, aliter recepturum non fuiſſe. Non deſtitit auctor ejus ſermonis, ſed addidit, rem aliter atque ille putaret, ſe habere; neque enim incertam eſſe, ac nullo auctore prolatam famam illam; ſe nanque litteras vidiſſe ab ejus ordinis homine ſcriptas ſummo viro, quem etiam nominavit, quæ id commemorarent, ac verum eſſe contenderent. Non potuit tunc homo leniſſimus ſibi temperare, quin ſtomacharetur, exclamaretque: digna vero merces hæc eſt meorum laborum, ſi vera ſunt, quæ narras. Statimque ut innocentiam ſuam, exiſtimationemque tueretur, miſit epiſtolam ad Pontificem maximum, qua valde queſtus eſt de injuria illa, ſermoneque improbiſſimo, quem Roma profectum, ac per omnem Italiam ab iniquiſſimis diſſeminatum contra dignitatem ſuam comperiſſet; rogavitque ſimul, ut ſi penitus eum non aſpernaretur, ſaltem ſe indicta cauſa ne condemnaret, nec quicquam de illa re ſecum ſtatueret, antequam ipſe ad eum perveniſſet; ſperare enim ſe facile cauſam ſuam probaturum, oſtenſurumque, laude ſe ac prœmio, non reprehenſione, aut pœna ulla ob ea, quæ in Germania geſſiſſet, dignum eſſe. Cum Mediolanum perventum eſſet, quæ civitas omni genere lætitiæ, magnificentiaque apparatus Cæſarem excepit, mirifice ſuo quodam facto Contarenum Carolus decoravit, ac quid ſentiret de virtute, ſingularique probitate hominis, notum, teſtatumque omnibus eſſe voluit; lateri enim ſuo ipſum in omni ea pompa hærere voluit. Cumque hoc ille modeſtiæ cauſa recuſaret, ſequereturque aliquanto poſt, mandavit humaniſſimus Princeps uni e famulis, ut pene invitum ipſum traheret, ac prope ſe collocaret, omneque id tempus, donec eo perveniret, quò paratum illi hoſpitium erat, conſumpſit cum eo jucundiſſimis ſermonibus. Id vero eum perſonæ, dignitatique datum non ſine cauſa aliquis arbitrari poſ-

poſſet, licet tamen exiſtimare, multum etiam ad hoc valuiſſe judicium, quod fecerat de homine, quòd putaret, ut qui veræ gloriæ non ignarus eſſet, eam rem non minus ſibi, quàm CONTARENO laudi, & honori futuram. Et ſane litteris mandatum eſt, ejus nominis primum, Auguſtum Cæſarem, cum primum Alexandriam (quam bello ceperat) ingreſſus eſt, in magna copia honeſtorum, & clarorum virorum Areum graviſſimum, & eruditiſsimum hominem ſibi adjunxiſſe, familiariterque cum eo ſolo in tanta illa lætitia, fortunæque ſuæ magnitudine locutum eſſe. Quem etiam, ut magis eum cives ſui ſuſpicerent, ac fortunatum judicarent, manu teneret; erat enim philoſophus ille Alexandrinus. Sed aliæ quoque res, dum illic manſit, indicio eſſe potuerunt, quantopere CONTARENUM diligeret; id quod animadverſum ab aliis opulentis viris, qui in eo comitatu erant, fecit, ut omnes ipſum colerent, ac de illo celebrando, quaſi inter ſe contenderent. Cæſar, qui, ut ſupra oſtendi, mare tranſire ſtatuerat, quæ ad curſum illum neceſſaria erant, ſtudioſe parabat, imperatque, ut Genuam claſsis, propinquoſque in portus cogeretur. Quare ut id celerius fieret, ſtatuit, ſibi in eam urbem accedendum, indeque Lucam eundum, quo Pontifex maximus ſe venturum ſignificarat. CONTARENUS igitur breviore via ſe Lucam contulit, atque illic, quod maxime cupiebat, poſt paucos dies Pontificem maximum vidit, qui ſane hilari vultu, nulloque ſigno edito offenſionis ipſum accepit. Nec multo poſt eodem Imperator venit, qui non ceſſavit etiam in aliis magnis rebus, quas cum Paulo III. egit, multa prædicare de prudentia, induſtria, probitate Legati, quibus omnibus virtutibus in munere illo obeundo uſus fuerat in Germania; necnon queſtus eſt, quod Romæ multa falſo jactata forent contra fidem, & dignitatem ipſius, cum ille integre, ſincereque perſonam eam ſuſtinuiſſet, ac negocia cuncta cum fide adminiſtraſſet. Cui ſtatim ſapientiſsimus Senex, quique ignarus non erat artium malarum, quibus plerique Romæ utuntur, aut invidia commoti, aut ſi alios depreſſerint, ſperantes ſe in locum illorum invaſuros, re-

ſpondit, ſibi eximie cognitam eſſe, ac probatam CONTARENI virtutem; ſeque eam ob cauſam ipſum tunc in Germaniam miſiſſe, tantumque oneris ei impoſuiſſe; facturumque etiam brevi, ut nemo dubitare poſsit de benevolentia ſua erga illum, ac, quo denique loco eum haberet, ſe omnibus declaraturum. Non contentus autem de hoc Pontifex, ut omnem ſcrupulum ex animo CONTARENI evelleret, gauderetque ille ſecum tam prompto erga ſe animo fortunatiſsimi hominis, ac tam præclaro teſtimonio ſuarum virtutum, notum eſſe voluit ipſi eum ſermonem; ſimulque ſuaſit illi, ut contemneret malevolas voces improborum, nec putaret, eas quicquam valere ad exiſtimationem ſuam violandam, fontem etiam hujus mali aperire volens, teſtimonium citavit veterum Poetarum, qui naturam invidiæ verſibus ſuis expreſſerunt, moremque illam habere tradiderunt, ut ſumma loca feriret, non minus, quàm venti ediſsima quæque appetere, ac violentius verberare conſueverunt; omnique demum ratione, qua potuit, oſtendit, ſe eum valde charum habere. Cumque etiam gratias amanter egiſſet pro ſuſceptis laboribus, fecit ei poteſtatem, ut tot itineribus defatigatus, Romam reficiendi ſui cauſa, breviore via accederet; ipſe nanque vicinitate invitatus, Bononiam profectus eſt, indeque Ariminum venit, ac Flaminia denique via Romam reverſus eſt. Lauretanæ B. Virginis Ædi a Paulo illico Protector eſt datus; & paulo poſt a Canonicis ſæcularibus S. Georgii in Alga unà cum Hieronymo Aleandro ordinis Protector approbante Pontifice electus eſt. Et nondum duobus menſibus tranſactis, memor ejus, quod dixerat de augenda dignitate CONTARENI, Legatum ipſum Bononiæ declaravit; quæ publica cura, provinciaque reliquas omnes ſuperat, quas intra ſuos fines, imperiumque Status Eccleſiæ poſsidet. Ille igitur hoc novo onere ſibi impoſito, ut qui non minus rebus gerendis, quàm contemplandis factus erat, Martio menſe in provinciam ſe contulit; factumque eſt, ut VI. Kal. Aprilis in Urbem ingrederetur, qui dies apud eos maxime celebris agitur, conſecratus Genitrici ejus, qui ſalutem nobis dedit. Summa igi-

igitur lætitia totius civitatis exceptus eſt; conataque eſt illa, quam ſpem conceperat animo de probitate, & prudentia ipſius, externis etiam rebus, honoribuſque omnibus indicare; certo enim ſciebat, futurum ſibi eſſe illum potius optimum parentem, quàm durum aliquem, & avarum dominum, aut etiam fortunarum ſuarum expilatorem. In quo certe illi falſi non ſunt; ut primum enim res illas attigit, nullo negocio cognitum eſt, non minus ipſum in rebus judicandis clementia uti, & æquitate, quàm ſummo illo jure, quod ſæpe merito reprehenditur, ac ſi quis vere exiſtimet, quòd alio nomine appelletur, dignum eſt. Totos dies ille cauſis audiendis, controverſiiſque tollendis operam dabat, nec unquam moleſto ſane hoc, & odioſo munere præſertim homini in aliis curis, ſtudiiſque educato, deſatigabatur. Hoc autem faciebat; naturamque ille ſuam, conſuetudinemque flectebat; quia veræ gloriæ deditus erat, ac prodeſſe mortalibus quacunque re poterat, ſtudebat: quare quodcunque munus obiret, dignum viribus, operaque ſua in ipſum tota mente incumbebat. Hæ erant curæ, cogitationeſque hoc tempore Contareni; procurabatque ille commoda ejus nobiliſſimæ civitatis. Cum repente, inopinante illo Roma litteræ venerunt, quæ ipſum ad aliud munus traducerent, in quo ſane ille diutius verſatus fuerat, quodque omnes numeros honeſtatis in ſe habebat. Cum enim ſedari nunquam potuiſſent ulla ullius opera iræ inter Franciſcum Gallorum Regem, & Carolum V. Imperatorem, ſed quotidie magis novis injuriis inferendis inflammarentur eorum animi, gerereturque, aut pararetur ab ipſis ſemper bellum teterrimum, quod in ſingulos dies reipublicæ Chriſtianæ graviſſima vulnera imponeret, & ad internecionem denique redigeret maxime pias nationes, officii ſui eſſe ratus eſt Paulus Pontifex maximus tanto malo, ſi ulla ratione poſſet, mederi, tantumque, & tam ſævum incendium extinguere. Quare mittendos ſibi eſſe cenſuit ſeorſum ad ambos potentiſſimos Reges, Legatos, prudentiſſimos viros, ac tanto oneri ſuſtinendo pares; præclare, enim ſciebat, quanta vis eſſet in miniſtris ad unamquamque

que rem efficiendam; hancque curam omnium maximam requirere perſonas in primis ſapientia, & auctoritate præditas, atque ornatas, & non minus gratas, acceptaſque Principibus iis, quorum animos delinire, ac flectere deberent. Elegit igitur, quem ad Cæſarem in Hiſpaniis tunc degentem mitteret, GASPAREM CONTARENUM, & ad Gallorum Regem ire voluit Jacobum Sadoletum; ambos viros probos, atque omni ingenii laude florentes, & ut collegas in ampliſſimo Sacerdotio, ita multis honeſtis artibus inter ſe conjunctos, ac maxime bonis omnibus probatos, quæ res geſta eſt Sextili menſe. Erat eo tempore Sadoletus Romæ; quare ſignificavit per litteras Pontifex CONTARENO, quid de illo ſtatuiſſet, mandavitque, ut quæ ad iter neceſſaria erant, expediret; ſocium nanque ipſius in honeſtiſſimo illo munere intra paucos dies in viam ſe daturum. Hoc accepto nuncio ille, qui nullum unquam utilitatis aliorum cauſa laborem recuſarat, quamvis ætate jam confectus eſſet, & ſatis imbecilla valetudine, æquo tamen animo tulit ſibi onus illud imponi. Quod ſi animam etiam in ea legatione ſe profuſurum eſſe certo ſciſſet; tanta erat pietate præditus, ut ipſam prorſus repudiaturus non fuerit. Appropinquabat ſane illi mors, quæ tamen longe alia ratione, & ubi minime expectabatur, ipſum oppreſſit; nec enim (ut a me nunc diligenter narrabitur) aut laboribus, aut defatigationibus novis accelerata eſt.

Agebat CONTARENUS ætatis ſuæ annum 59. in his curis, quas oſtendi, toto animo occupatus, partem tamen illarum jam in id munus, quod inſtabat, derivans. Incumbens igitur illis, quæ multæ profecto, ac graves erant, moleſto anni tempore, ut par eſſet ipſis ſuſtinendis, aliquando reficiendi ſui cauſa, ſe in propinquum urbi locum conferebat, ubi manens, & æſtum declinaret, quo conficiebatur domi, & aliquantulum a perpetuis ſuis laboribus animum relaxaret; nam ſi quid majoris momenti ſubito eveniſſet, facile illuc adibatur, ubi etiam poteſtatem ſui omnibus faciebat. Locus autem valde animo ipſius, temporique illi accommodatus, ac quo plurimum variis de cauſis de-

delectabatur, erat ſacellum D. Mariæ a Monte vocatæ, cujus poſſeſſio, procuratioque eſt ſodalium D. Juſtinæ. Acciderat autem, ut illis ipſis diebus, qui primi Sextilis menſis fuere, fratris filius, illius ſalutandi, & viſendi cauſa Bononiam veniret, qui ſuperiore anno Patavii inter ſodales illos receptus fuerat; vocabatur vero novo nomine, ut conſuetudo eſt eorum, qui ſacris ſe aliquibus initiant, Placidus. Cum autem probus adoleſcens eſſet, ſeminaque nonnullarum virtutum in ſe contineret, a CONTARENO diligebatur: ille igitur primo apud ſuos in urbe manſit in Divi Proculi dicato ipſi domicilio; ut tamen eo facilius frui poſſet CONTARENUS, ipſeque itidem ſitim ſuam expleret videndi virum, quem maxime optabat, ſecum ſanguine conjunctum, cujus etiam viſendi alienigenæ deſiderio flagrabant, impetravit a ſuis, ut ſe illic eſſe paterentur; quæ cauſa reliquis cauſis addita eſt frequentandi receſſum eum, diutiuſque illic commorandi. Hic collis ab urbe abeſt ſpatio mille paſſuum, amœniſſimus, & natura, & arte factus ad animum multis modis paſcendum, atque omni honeſta voluptate explendum. Et ſane, qui deſideria optimi hujus viri, gaudiaque cognita haberet, quod non magno negocio omnibus contingere potuit, qui familiariter cum eo vixiſſent, facile judicaret paucos illos dies, quos illic traduxit, jucundiſſimos ei fuiſſe omnium, quos in vita unquam deguſtaſſet. Vivebat enim cum ſui amantiſſimo fratris filio, cumque aliis nonnullis comitibus illius, eorundemque ſacrorum ſociis, honeſtis ſane viris, & eruditis; rem divinam crebro faciebat; omniſque ſermo illic erat de rebus, quibus maxime capiebatur. Cum igitur, ut traditum a me eſt, calores eſſent maximi, crebro in porticulam quandam declinandorum illorum cauſa veniebant; &, ut illic frequentius deambulabant, ita etiam aliquando poſita menſa cibum capiebant. Vergit enim illa ad Septentrionem, urbemque ipſam quaſi ante pedes poſitam proſpicit, planitiemque omnem, quæ ipſam cingit, quin etiam remotiores urbes illinc commode cernuntur Mutina, Ferraria, aliæque nobiles urbes. Quare non ſine cauſa expe-

petitur proſpectus ille, paritque oculis incredibilem voluptatem; quamvis tunc capto jucunditate illius CONTARENO, nihil tale timenti, exitium comparaverit. Aura enim illa lenis, quæ flabat, frigidiuſculuſque aer, cum temperamentum corporis ipſius rarius eſſet, parvoque momento ſæpe commoveretur, facile ad imas partes penetravit, ſanguineque inflammato abſceſſum in latere creavit. Quare ſtatim febris conſecuta eſt, quæ ſeptimo die ipſum conſumpſit; quamvis magna diligentia ſummorum medicorum curatus ſit; ſimul ac enim primum cognovit ſe ægrotare. Bononiam reverſus eſt. Ipſe autem in primis naturam, vimque ejus morbi mature perſpexit; tribus nanque diebus, antequam animam efflaret, omnem rem Ludovico Beccatello, uni ex familiaribus ſuis, quo plurimum in rebus majoris ponderis utebatur, enarravit. Dixit igitur, gravitatem ejus morbi non apparere; reconditaſque corporis partes magis ipſum oppreſſiſſe, quàm exteriores male habere; in promptuque eſſe: addiditque genus id morbi periculum magnum in ſe continere; quod ſi vires corporis eæ forent, ut ſpatio trium, quatuorve dierum reſiſterent, ſine dubio morbum ipſum, impetum ſuum remiſſurum, ſe tamen magnopere vereri, ne contra ipſe deficiat, naturaque penitus frangatur; intelligere enim ſe, venæ motum valde imbecillum eſſe. Cui ille, qui ſaluti ipſius omni ſtudio proſpiciebat, reſpondit rogans, ut abduceret pauliſper animum ab his moleſtis cogitationibus, rationemque omnem ſui curandi in prudentia, diligentiaque medicorum poſitam eſſe vellet: affirmans propterea Deum optimum maximum, quem ſemper ille pie coluiſſet, ipſi præſidio futurum. Eſſe autem accurate incumbendum valetudini recuperandæ, ut cito mandatum ſibi munus obiret, iterque ad Imperatorem faceret. Ille vero ſtatim hilari vultu ad alium longe majorem Imperatorem ſibi iter inſtare dixit, idque ipſos brevi cognituros; neque tamen ſe hoc dicere, quia mortem valde perhorreſceret, parumque animo æquo ferat, ſe e vita diſcedere: intelligere enim ſe præclare, quot, quantaque beneficia a Deo acceperit, quorum

rum etiam pleraque commemoravit non gloriæ cauſa, oſtentationiſque, cui tum locus minime erat; verum, ut ſe gratum eſſe erga auctorem illorum ſignificaret. Inquit igitur, ſe ortum eſſe in ea civitate, quæ nulli earum cederet, quæ in univerſo terrarum Orbe exiſtunt; e familiaque, quæ haud poſtremum locum in ea republica retineret; conſecutumque itidem illic eſſe honores non parvos, & ut domi, ita etiam foris gradus maximos dignitatis adeptum eſſe; utranque vitam ſe cum laude aliqua coluiſſe, & eam, quæ in contemplatione rerum verſatur, & eam, quæ rebus agendis incumbit; perveniſſe ad ætatis annum 59. quem terminum vitæ non multi attingere potuerunt. Quare ſecum quoque hac parte non male actum eſſe; canereque ſe debere una cum ſacro Hæbreorum vate carmen, quod ad æquum, gratumque animum ſignificandum pertinet; nomen illius laude gloriaque cumulandum: quia non tam liberaliter ſe geſſerit erga multos, neque tot bonis expleverit omnem populum, gentemque. Unum tantum ſibi moleſtum eſſe, quod, ut optat, commodis quorundam tenujorum hominum non proſpexerit, qui ſibi, poſtquam ad ſacrum illum honoris gradum aſcenderit, fideliter miniſtrarint: ſperare tamen ſe Deum optimum maximum, Pontificemque, cujus dignitati toto animo inſervierat, fortunas eorum ſublevaturos. Nec oblitus eſt ſuo opportunoque tempore mandare cuſtodi ipſius, ut privilegium, quod beneficii loco a Pontifice impetrarat, ad delicta penitus abſtergenda traditum ſibi legeret, dum mente, orationeque conſiſteret. Cum hæc animo verſaret, ſane conſtanti, ac forti, atque hoc ſermone ſemet conſolaretur, ſuos, qui præſentes aderant (ii autem erant, ut quiſque maxime illi acceptus, probatuſque fuerat) angebat, atque ita perturbabat, ut lacrymas vix tenere poſſent; a quibus tamen ſibi diligenter temperabant, quamvis intelligerent, ne magna quidem copia ipſarum ſpectante illo effuſarum poſſe ipſum commoveri, & e ſtatu illo animi dejici. Eadem vero hominis providentia in intelligendo, prædicendoque ſuis vitæ ſuæ fine exitu ipſo comprobata eſt, quæ in ceteris

rebus judicandis, ſignificandiſque ſæpe apparuerat; creſcente enim ſemper vi morbi, remediiſque omnibus ſuperatis, oppreſſus ille eſt, animamque efflavit Kalendis Septembris anni 1542. meridie. Quamvis autem horas circiter ſex antea voce orbatus eſſet, non tamen ſenſu animi, intelligentiaque extremo illo tempore caruit, ut certis quibuſdam notis, indiciiſque perſpectum eſt; confiditque clementia Servatoris noſtri, ut Chriſtianum virum decet, & cum aliter non poſſet, ſe ſpem omnem ſuam in eo collocatam habere, nutu, admonitus diligenter de hoc ſignificavit. Ut vero ſe conſtantem in hoc, maximeque pium prebuit, ita quæ moris ſunt, conſuetudiniſque non ſolum magno, verum etiam alacri animo geri, cuſtodirique paſſus eſt: quæ ſane ut nunciæ mortis perterrefaciunt pleroſque, ac valde omnes, qui non firmas radices egerunt in perſuaſionem Chriſtianam, perturbant. Menſe Auguſto refert Cabrera, CONTARENUM ex hac luce migraſſe; cum id accidiſſe ſcribat Joannes Caſa Archiepiſcopus Beneventanus, qui fuſe hujus præclariſſimi viri res geſtas narravit, Kalendis Septembris. In annum ſequentem 1543. CONTARENI obitum referunt alii.

Reliquit vero ille diſceſſu ſuo, ſuos omnes mœroris, ac luctus pleniſſimos, & univerſam quoque civitatem dolore magno affectam, quæ ſane, quacunque ratione potuit, funus illius honeſtavit, & quam moleſta ipſi optimi cuſtodis mors fuiſset, planum fecit. Die autem, quæ ſecuta eſt mortem ipſius, funus ductum eſt: Orationem de laudibus ejuſdem, & honeſte acta cuncta vita habuit Romulus Amaſæus, diſertus, & nobilis Orator, qui tunc in ea urbe, domicilio quodam vetere omnium diſciplinarum, & humaniores litteras docebat, & negocia publica reipublicæ adminiſtrabat. Corpus in Divi Petronii lateritio in tumulo depoſitum eſt eo conſilio, ut Venetias ad Divæ Mariæ ab Horto in familiæ ſacellum poſtea exportaretur, quod factum eſt, ibidemque collocatum in ſepulchro majorum ſuorum cum hoc epitaphio.

GASPARIS CONTARENI S. R. E. CARDINALIS OSSA
CUJUS ADMIRANDAM INTEGRITATEM, DOCTRINAM,
AC ELOQUENTIAM IN UTRAQUE REPUBL. ET APUD
SUMMOS REGES GESTA ET SCRIPTA TESTANTUR.
BONONIÆ LEGATUS PONTIF. NATURÆ CESSIT
MDXLII. VIXIT ANN. LIX.
ALOYSIUS EQUES, ET GASPAR EX FRATRE
NEPOTES TANTO VIRO. P.

Ejuſdem corpus in D. Petronii depoſitum cohoneſtavit Janus Vitalis hoc carmine.

Contarene *tibi pietas dum dia parentat,*
Et queritur longo amiſſum Reſpublica luctu:
Ite, ait, illuſtres animæ, vitalia ſecla
Heroum, & veſtro Athletæ exornate ſepulchrum
Floribus: Hic veris docuit rationibus eſſe
Immortalem Animam ſumma de mente creatam.

OBIIT NONDUM SEXAGENARIUS ANNO MDXLII.
JANUS VITALIS AMICO POS.

Paulus III. nuncio allato de obitu Contareni, ægre admodum illum tulit, declaravitque quanti hominem feciſſet, omni genere liberalitatis uſus erga domum illius; nec tantum Pontifex maximus, qui ſæpe opera ipſius fideli, & utili uſus fuerat, verum etiam Romæ ceteri probi viri morte illius vehementer conflictati ſunt: nam quantum luctum eadem in patria excitarit, non facile dici poteſt. Omnes denique, qui aliquando doctrinam illius guſtarunt, ſingularisque probitatis hominis ſpecimen aliquod acceperant, publicam illam cladem exiſtimarunt. Civis autem, collegaque ipſius in ampliſſimo Sacerdotio Petrus Bembus quantum dolorem cepiſſet ex gravi morbo Contareni, deſperataque jam a Medicis ſalute notum omnibus eſſe voluit. In epiſtola enim ad Flaminium Tomarotium, quemodo affectus animo eſſet audito caſu illo, & propinqua morte optimi, & honeſtiſſimi viri, diligenter narravit: verba

ipſa cum illuſtri loco poſita ſint , alioque ſermone edita , ſuperſedebo hic reſcribere . Poſſem etiam aliorum multorum , doctorum , & excellentium virorum teſtimonia citare , qui quantum damnum morte illius factum eſſet , ſcriptis ſuis teſtati ſunt , in quibus etiam nonnulli , qui ab eo vehementer diſſentiebant de ratione vivendi , veroque cultu Chriſtiani hominis , & acerrimi adverſarii opinionum , quas ille in Germania defendit , extiterunt ; magnifice tamen de eruditione , continentiaque illius in illis ipſis libris , quibus ſententias ipſius oppugnabant , locuti ſunt . Quod fere uſu venire non ſolet , ut a quibus de veritate homines diſſentiant , non eoſdem etiam conentur deformare , atque ita auctoritate omni ipſos ſpoliare . Et quoniam de dolore , quem illo tempore cepit Paulus III. mentionem feci , libet etiam commemorare , quod ab eodem illo familiari Contareni , & omnibus officiis cum eo conjuncto Ludovico Beccatello , honeſto in primis , & fide digno viro acceptum eſt ad id confirmandum vehementer accommodatum : declarat enim manſiſſe diu in animo Pontificis ægritudinem hanc , ac levi quoque momento refricari ſolitam tantam plagam . Niſi forte aliquis putet , ſapientiſſimum illum Senem quotidie magis in magna penuria talium virorum cognoviſſe quantum incommodum olim acceptum fuerit obitu ejus viri , qui ut quietorum temporum ornamentum ingens , ita perturbatorum præſidium firmum erat. Cum enim ad ſe illum evocaſſet , opera ipſius quibuſdam in rebus uſurus , diligenter ex eo quæſivit , an præſens forte ille affuiſſet , cum fato Contarenus functus eſt : rogavitque , ut diceret aliquid de inſtitutis , & vita illius . Cui ſtatim reſpondit id , quod erat ; mirificam fuiſſe Contareni integritatem , fidemque in iis omnibus rebus gerendis , quæ mandatæ illi ab ipſo forent , intelligeretve ipſe ſua ſponte , facere ad dignitatem Romanæ reipublicæ conſervandam , virumque illum vera probitate præditum fuiſse , non ficta , ac ſimulata , quam perſonam plerique , ut eo perveniant , quò cupiunt , ſibi callide imponunt : unumque omnium Contarenum veteres , ac maxime ratas opi-

opiniones, & animo probaſſe, & verbis etiam ſemper defendiſſe. Quo ſermone accepto commotum Pontificem maximum, qui deambulabat, ſtetiſſe, manuque iterum percuſſiſſe menſam prope poſitam, dixiſſeque non ſine gemitu quodam, ac ſuſpirio, quod indicavit, evulſam fuiſſe penitus omnem ex animo ipſius ſuſpicionem, quæ quondam eò inculcata de illo vocibus malevolorum fuerat: Amiſimus profecto magnum virum, ac valde utilem reipublicæ noſtræ civem; ſed ut alia; ita hoc magno, conſtantique animo ferendum.

Ludovicus Beccatellus ſupra laudatus intimus conſiliis Contareni, nec minus ſtudioſus famæ, exiſtimationiſque hujus optimi, ac prudentiſſimi viri, quem ſibi in vita, tanquam vivum quoddam exemplar probitatis propoſuerat, notam, quam improbe vitæ ipſius inurere præpoſterus amicus ſtuduit, hoc pacto delevit. Narrat enim forte eveniſſe, ut illo ipſo tempore, quo graviter Contarenus ægrotabat, Bernardinus Ochinus, ille novæ condendæ Franciſcanæ familiæ dux, & auctor, Bononiam venerit, Romam ad cauſam dicendam evocatus; inſimulabatur enim in iis concionibus, quas Venetiis habuerat, nonnulla dixiſſe, quæ veteribus decretis Romanæ reipublicæ adverſabantur: addiditque habuiſſe illum litteras ad ſe ſcriptas a Giberto Epiſcopo Veronenſi, quibus a ſe petebat, ut diligenter ageret cum Legato, ut hortaretur hominem ad ſiſtendum ſe in judicio, coramque ad ea, quæ ipſi objiciebantur, defendenda. Cum cognoviſſet ipſum timide ad id deſcendere, egereque ſtimulo quopiam, & auctoritate magni alicujus, &. gravis viri; neque enim adhuc Gibertus hominis levitatem, inconſtantiamque perſpexerat. Is autem veſperi venerat, cum jam cenaſſent omnes, Legatus tamen adhuc in lectulo vigilaret, qui cum ſperaret, morbum poſtridie leviorem fore, ut commodius eum audire poſſet, loquique cum eo familiariter, juſſit ut præberentur illi, quæ ad curandum corpus pertinerent. Contigiſſe vero contra, ut ea nocte morbus ingraveſceret, quare mane Legatum, totum fuiſſe diſtentum in remediis, quæ medici adhibenda juſ-

juſſerant, ſumendis noviſque curationibus; unde factum fuerit, ut neque de hoſpite illo, neque de ulla alia re agi cum eo potuerit. Bernardinus interim, cui in primis mala ſua mens, maluſque animus cognitus erat, atque umbras etiam, ut, ſi qui ſibi alicujus ſceleris conſcii ſunt, faciunt, reformidabat, cœpit vereri, ne aſtute illic detineretur, putabat enim fingere morbum Legatum. Quo metu homo oppreſſus non ceſſabat Ludovicum urgere, ut rogaret Legatum poteſtatem ſibi faceret abeundi; in quo ille ipſi non obtemperabat, putans, brevi fore, ut melius eſſet Legato; videbatur enim ſibi perſpexiſſe, cupere illum magnopere cum Bernardino loqui, qui ſane uſque ad id tempus magnum ſibi nomen ex facultate illa dicendi, & opinione ſanctitatis conciliarat. Cum autem magis, magiſque ſemper timore creſcente inſtaret, Ludovicus importuno ſane tempore coactus eſt, cum æſtu febris in lectulo Legatus jactaretur, eo irrumpere, rogareque, ut pateretur ipſum abire; in quo ſane humaniſsimus vir ei morem geſsit. Cumque ad eum Bernardinus introductus eſſet, hæc ipſa verba protulit: Vides quo in ſtatu ſim; excuſatio hæc apud te juſta ſit; & ora, ut Deus optimus maximus mihi propitius ſit, feliciterque inſtitutum iter perage. Cui ille tantum demiſſo, ut moris eſt, capite reſpondit, ſe prorſus ita facturum; illicoque abiit. Hic eſt ſermo, quem Bononiæ habuit cum ſanctiſsimo, & modeſtiſsimo viro Bernardinus; nec verbum præterea additum eſt. Qui tamen poſtea, cum ſuſceptam vitæ rationem deſeruiſset, acerrimumque ſe hoſtem Pontificiæ poteſtatis præbuiſset, ut ſe ſapienter id feciſſe oſtenderet, a prædictaque cauſa, & flagitiis multis contaminata merito defeciſse, habereque ſe multos ſocios ejus conſilii probare vellet, non veritus eſt criminari amicum, memoriæque, ac litteris prodere, queſtum ſecum eſse eo tempore Contarenum de moribus, inſtitutiſque Romanorum Antiſtitum, & inſectatione ſæva, atque injuſta bonorum; hujuſcemodique alia multa ſcribere prorſus inania, & quæ non ſolum a veritate abhorrerent, ſed etiam vitæ ejus, cui affiſta erant, nullo modo conveni-

nirent. Quæ cuncta Ludovicus (ut erat vir optimus, & omnis officii, quod in amicitia coli debebat, obſervantiſſimus) aſſeverabat refellendi ejus mendacii cauſa, & purgandæ innocentiæ viri illius mortui, quem vivum magnopere dilexerat. Nec tantum hoc ita ſe habere, teſtimonio ſuo confirmabat; ſed alios etiam teſtes hujus rei producebat, qui præſentes illic affuerant; in quibus etiam nominabat Julium Contarenum fratris Legati filium; qui poſt ejus mortem, & ob naturæ probitatem, & ob commendationem patrui creatus eſt Pontifex Civitatis, cui præfecturæ regendæ præpoſitus antea fuerat. Cum hoc tanti momenti ſit ad integritatem Contareni oſtendendam, abſtergendamque maculam illi falſo aſperſam, volui totam rem, ut factam eam accepi, ac pene iiſdem verbis, quibus mihi (inquit laudatus Caſa) expoſita eſt, commemorare.

Claruit enim Contarenus morum honeſtate, & virginali pudore, ut conſtans hominum opinio fuit, florens fœdas Veneris voluptates ſemper exhorruit; integritatem, innocentiam, juſtitiam, pietatem ſolidam, nudamque peramavit, ac nullis umquam deliciis delectatus eſt. Merito igitur Petrus Maffeus, clarus Societatis Jeſu ſcriptor graviſſimum *Senatorem, iiſque temporibus, ingenii, & doctrinæ facile principem, & ob egregiam virtutem, & ſapientiam Paulo Pontifici acceptum, ſuique Ordinis amiciſſimum*, dixit; nam per illum S. Ignatius univerſi inſtituti ſui formam ad certa capita dilucide redactam Apoſtolica auctoritate ſanciendam Pontifici obtulit, qui ea perlecta, *Spiritus Dei*, inquit, *eſt hic*. Aubertus Miræus in Chronico, *Catholicæ religionis propugnatorem*: Opemerus, *Virum doctiſſimum, & Doctorum Mecænatem*, Gasparem nominavit. Qui vero duodecim Cardinalium præſtantium elogia in Belgio edidit, non modo Contarenum elogiis ſuis eſt proſecutus, ſed etiam hæc Latomi carmina in illorum calce reſcripſit.

Lectus es in Venetum, Romanum deinde Senatum,
Firmior ingenio qui ſtat uterque tuo:

At

At nunc cæleſti fulges trabeatus in oſtro
Sceptra Magiſtratus ǽthereique geris.

Demum Hieronymus Platus in opuſculo non contemnendo, atque a S. R. E. Cardinalibus ad manum ſemper habendo de dignitate, & officio Cardinalis, CONTARENUM ſinceritate, conſtantia, & ſancta libertate ferendæ in Pontificio Conſiſtorio ſententiæ, atque ſuffragii egregie commendat his verbis. *Cardinalis* CONTARENUS *magna auctoritate*, *& libertate in dicendo utebatur*; *quod cum aliquando feciſſet in magna quadam cauſa*, *quæ inter duas Principes familias agitabatur*, *atque ipſum quoque Pontificem valde attingebat*, *ac deinde gratiæ illi agerentur*, *reſpondit*, *nihil eſſe opus*; *quod enim feciſſet*, *officii ſui gratia feciſſe*. *Quin etiam cum de quibuſdam ad Cardinalatum a Pontifice deſignatis ipſe publice reſtitiſſet*, *dictumque ei eſſet*, *morem hunc eſſe Cardinalium*, *ut moleſte ferant*, *eum honorem cum pluribus communicari*, *aperte negavit*, *id ſe facere ob hanc cauſam*, *neque ſe Cardinalatum ducere maximam omnium*, *quas haberet dignitatum*, ut narravimus ſupra. Nec tacendum ad gloriæ Cardinalis noſtri cumulum, quod etiam novatorum ore, & calamo, cogente veritatis vi, fuerit laudatus, maxime Theodori Bezæ Calviniſtæ, qui ei propriam ſedem, & iconem aſſignat in ſua Porticu Virorum illuſtrium. Rebus autem geſtis ab eo, dum vixit, enarratis; nunc quæ monimenta ingenii reliquerit, fructuſque ocii ipſius indicabo; prius tamen, quod adhuc valet aliquid ad confirmandam doctrinam hominis, teſtimonium de ea re graviſſimi, & eruditiſſimi viri citabo; quod additum ſuperioribus teſtimoniis, quæ prodidi de eximio ingenio ipſius, præſtantique cognitione omnium diſciplinarum, vera eſſe declarabit; ſimulque non ſinet quempiam dubitare quomodo ille in vita plerunque occupata, tot, tamque præclara opera efficere potuerit; quæ multum etiam poſteris proſint, perpetuoque teſtentur, qualis ille, quantuſque vir fuerit. Ludovicus igitur, cui cognomen Ferrei oris fuit, nobilis philoſophus, & qui multos annos in Bononienſi Gymnaſio ſumma cum laude, & ad-

admiratione omnium, qui aliquando ipſum diſputantem audierunt, matrem eam omnium optimarum artium coluit, mortuo CONTARENO, cum ſermo ipſi eſſet inſtitutus cum honeſtis quibuſdam viris de damno, quod eo tempore factum eſſet interitu illius, plurimiſque animi dotibus, ac maximis virtutibus unà cum eo extinctis, inquit doloris plenus (nam virum eum valde dilexerat, in familiaritatemque ſe ejus inſinuarat illo tempore, quo Legati nomine urbem eam rexit) ego, quod mihi videor meo jure facere poſſe; nec enim malum me omnino eſſe exiſtimatorem harum rerum arbitror; affirmo hunc hominem omnibus, quos aliquando cognovi in philoſophiæ ſtudiis merito laudatos, qui ſane non pauci fuere, præſtitiſſe, & ſcientia multarum rerum, & judicii firmitate, ipſumque vere philoſophi graviſſimo nomine dignum fuiſſe judico. Certe cum ego de aliqua re propria ejus ſtudii cum eo diſſerebam, videbar mihi præ illo minutus quidam philoſophus eſſe, vel potius novus quiſpiam auditor, & plane rudis ejus artis, quam profiterer. Quare ad ipſum ſæpe me conferebam, ubi locus aliquis obſcurior mihi negocium faceſſeret, in qua quæſtione cum paulo antea ipſe toto animo verſatus eſſem, & aliquas etiam horas, evolutis pluribus voluminibus, præterita die conſumpſiſſem: ille vero, ut exiſtimari poteſt ſpatio multorum annorum nullam cogitationem de re ipſa ſuſcepiſſet, ita tamen apte, & exquiſite nodos illos diſſolvebat, ut videretur diu, multumque non multo antea de ea cogitaſſe. Quare (inquit) ſæpe ego pene ſtupidus evaſi, mihique potius cum cæleſti aliqua natura, quam cum mortali homine viſus ſum loqui; idque nunc, quia res ita ſe habet, verumque id prorſus eſt, prædico nulla alia cauſa impulſus. Quis enim non videt, aſſentationi nunc locum non eſſe, quæ præterea a perſona, quam ſuſtineo longe ſemper abeſſe debet? Hæc aſſeveranter tunc ab illo prolata cum eſſent, auxerunt magnopere opinionem, quam qui aderant, de præſtanti CONTARENI ingenio antea in animis habebant. Sed etiam ſcripta, quanta fuerit eruditio ipſius aperiunt; quæ ſane ut ordine a me tradantur, hæc ſunt.

Edidit juvenis adhuc (trigeſimum enim tertium ætatis annum tunc agebat) libros duos contra Judicium Pomponatii doctoris ſui de Immortalitate Animæ ; nec tamen ea de cauſa minus pius , quamvis contra pietatem facere videretur , fuit : ille enim in omni ſermone ſuo affirmare ſolitus erat , ex opinione , ſententiaque Ariſtotelis exiſtimari debere , animos noſtros eſſe mortales , cum contra ipſe ſedulo adverſus eum diſputans , citatis multis locis , ac tanquam tabulis obſignatis , oſtenderit longe aliter principem Peripateticorum de ea re ſenſiſſe ; viderique potius immortalitate donatos ipſos Ariſtotelem voluiſſe , cujus opinionis antea Plato , unde didicerat , ſine ulla dubitatione fuerat . Argumenta autem illa firma ad probandum , & gravia fuiſſe , opuſque totum valde elaboratum perſpicitur , quia acutiſſimus ille phyſicus in libro , quo defendit opinionem illam ſuam , acriter oppugnatam ab eo , quem inſtruxerat , tradit , eum librum , & doctiſſimum omnium , & uberrimum eſſe , qui omni tempore materiam illam proſecuti ſunt ; additque , videri prorſus eum divina opera , & manu fabricatum fuiſse . M. Antonius Flaminius ſubjectis verſibus librum illum extulit .

Contarene *tuo docuiſti Magne libello*
Extinctis Animas vivere corporibus .
Ergo jure tui vivunt monumenta libelli ,
Et vivent ſeclis innumerabilibus .

Scripſit etiam de Elementis libros quinque , in quibus viam omnem , rationemque Ariſtotelis diligenter expreſſit : miſit autem illos ad Matthæum Dandalum ſororis ſui virum ; cujus ſupra mentio cum magnis , veriſque ipſius laudibus facta eſt .

Addidit his in altiore Philoſophiæ parte libros quatuor , quos dicavit Paulo Juſtiniano , nobiliſſimo , & clariſſimo ſuo civi , qui odio rerum humanarum , cum pertæſum eſset varietatis ipſarum , ut facilius divinas contemplaretur , Deoque ipſi toto animo ſerviret , in Hetruſcos montes , cœtumque Camaldulenſium ſe contulerat . Hi libri ei , qui attente legerit , nullo negocio patefacient , quæ fue-

fuerit vis animi ipſius, & quanta prudentia in rebus gravioribus tractandis.

Sed idem etiam (ut melius adhuc intelligatur, factum illum natura, & ſtudio fuiſse ad perſonam eam ſuſtinendam, quam ipſi multo poſtea ſapientiſsimus Pontifex, multumque ſemper omni in re providens impoſuit) juvenis adhuc, vitamque colens liberam, ac nullis ſacris aſtrictam, occaſionem hanc ejus rei nactus, quod familiaris ipſius Pontifex Bergomas deſtinatus fuerat, ipſum inſtituere cupiens, ſcripſit duos libros de Officio Epiſcopi; finxitque ita, atque formavit talem virum, quales ſi forent, quibus tantum hodie munus commiſſum eſt, non laboraremus. Quis enim non fateatur, pias in primis caſtaſque fuiſse cogitationes ipſius; totaque mente, ac ſtudio ſolitum eſse in illis volutari optimum virum; poſtquam alium inſtruere, & ornare in ea vita auſus eſt, quam ipſe adhuc non attigerat, nec unquam cogitarat, præcepta illa ſibi utilia aliquando futura? Præterea cum orta quæſtio eſset in Senatu de Pontificis maximi poteſtate, divinitus ne illa ſtabilita foret, an humanis conſiliis regeretur, cumque multum de ea re illic in utranque partem diſputatum eſset, domum reverſus, ut quid ipſe de eo ſentiret, oſtenderet, omnique errore cives ſuos liberaret, ſpatio unius noctis. Libros confecit duos, de Poteſtate ſcilicet Romani Pontificis, in uſu clavium unum, & alterum de poteſtate Romani Pontificis, quos Paulo III. & Nicolao Teupolo dicavit: quique nunc Venetiis excuſi, in manibus verſantur.

Sed ut iiſdem etiam in ſuo, proprioque ipſorum munere prodeſset; effigiemque ejus reipublicæ, in qua natus erat, exprimeret, quinque libros confecit de Magiſtratibus, reque publica Venetorum, qui itidem divulgati ſunt: de his libris ita cecinit Marcus Antonius Flaminius.

Deſcripſit ille maximus quondam Plato
Longis ſuorum ambagibus voluminum
Quis Civitatis optimus foret ſtatus:
Sed hanc ab ipſa ſeculorum origine

Nec ulla vidit, nec videbit Civitas.
At CONTARENUS *optimam Rempublicam*
Parvi libelli diſputationibus
Illam probavit eſſe, plus milleſima
Quam cernit æſtas Hadriatico in mari
Florere pace, litteris, pecunia.

Poſtquam vero in ampliſſimorum Antiſtitum Collegium cooptatus eſt, perlectis diligenter Synodis omnibus, quæ variis temporibus ob emendandum ſtatum Chriſtianæ reipublicæ coactæ ſunt, in breve quoddam corpus graviſſimas quasque ipſarum collegit ſervato temporum ordine, materiaque omni, quam perſecutæ ſunt, demonſtrata. Utile vero mirifice potuit eſse volumen illud ei Synodo, de qua tunc ſummis contentionibus agebatur, quanque Paulus III. adverſariis reconciliandorum animorum gratia proponebat; multumque opis afferre illis omnibus, qui in eo certamine verſari deberent. Miſit autem opus hoc multarum vigiliarum ad eum, cujus maxime intererat, quid de ea re fieret, & qui eo tempore tota mente in illam curam incumbebat.

Abſoluto autem illo, par huic opus, & quod eundem finem haberet, aggreſsus eſt. Scripſit enim quatuor libros de Ritibus, Cæremoniiſque noſtræ religionis, ac de Sacramentis Eccleſiæ: quibus libris complexus eſt materiam illam omnem, & quæ radix, viſque ipſarum fuiſset, declaravit; quidque demum pie credi, & cuſtodiri de illis deberet, veris rationibus, argumentiſque ſatis firmis comprobavit. Nam ipſum argumento hoc ſumpto, ſi quod pollicitus erat, præſtare voluiſset, debuiſse omnem quæſtionem, de quo nunc, tantæque lites, & concertationes inter diſſidentes partes reipublicæ exiſtunt, explicare planum, & exploratum eſt. Quare ſic quoque præclare inſtruxit, & armavit illos, qui pro veritate cominus congreſſuri erant cum hominibus magno errore inflatis, & cauſam eam malam obſtinate defendentibus. Ut autem libellum alium admodum utilem pravis opinionibus ex animis hominum evellendis conficeret, occaſionem hanc habuit. Factum eſt, cum ille Bononiam Le-

ga-

gati nomine obtineret, ut vir prudens, ſalutiſque gregis illius, qui fidei ipſius, poteſtatique commiſsus fuerat, ut Paſtorem bonum decet, valde ſtudioſus ad eum veniret, medicinam ab eo petens, rationemque accipere cupiens, qua ſalvum ipſum, incolumemque redderet, cum graviter ægrotare non parvam partem ipſius cognoviſset; quam tamen totam rem ille ita tractari volebat, cum honeſtam, nobilemque civitatem regeret, ut ne ignominia illa notaretur, ac tamen remedium cito adhiberet, ne malum magis ſerperet. Conſilium ipſius cum mirifice probaſset CONTARENUS, multa animo revolvens, ut erat ſummus, & accuratus medicus hujus peſtilentis morbi, ſtatuit demum ita rem eſse agendam.

Confecit tanquam Inſtitutionem quandam brevem Chriſtiani hominis; collegitque quæ magis mordere animum debent probra omnia; & itaut aperire ipſa oporteat cum dolore ſacerdoti, qui ſane liber non uni illi civitati ſanandæ factus videretur; ſed Chriſtianis omnibus in officio retinendis, & ab illa contagione liberandis. Eum vero ad ſuos ille vir gravis importavit, divulgatumque ſtudio quodam, & arte effecit, ut vulgo reciperetur, cunctique ſe viæ illi tenendæ, legibuſque ſervandis aſtringerent. Statim enim probatus fuit omnibus, exceptis paucis illis, qui plane perditi, ac deſperati forent; poſteaque & ipſe formis excuſus eſt. Cum autem, ut geſta tunc res eſt, temporique illi aptum fuit, nomen, & civitatis, & præfecti ipſius in ſacris illis curandis celaverim, illa poſtea patefacta, cum incommodi nihil jam amplius inde naſci poſſit, deberi puto perſonam etiam a me indicari. Moronus enim Mutinenſium Epiſcopus is fuit, qui, & ipſe non multo poſt ob ſingularem prudentiam in rebus gerendis, præclaraſque animi dotes auctus dignitate eſt a Pontifice maximo; cujus ampliſſimi ſacerdotji inſigne Bononiæ manibus ſuis Legatus capiti ipſius impoſuit.

Illuſtravit etiam Scholiis quibuſdam ſuis CONTARENUS multos obſcuros locos in Epiſtolis D. Pauli, cum ipſas accu-

curate legeret: quo ſane in ſtudio, toto animo occupatus erat, cum mors eum oppreſſit.

Epiſtolas etiam non paucas ipſe conſcripſit eruditas, & optimorum præceptorum plenas: ut libellos etiam nonnullos alios, aliquam occaſionem illorum conficiendorum nactus: præcipue autem ſtudiis amicorum, variiſque eorum temporibus ſerviens. In quibus eſt quæſtio diligenter explicata, perdifficilis ſane, magnique ſemper momenti habita ad vitam bene, beateque degendam; qua traditur, liberam eſſe poteſtatem noſtram, omnique nexu cauſarum, ac neceſſitate ſolutam. Eum vero librum miſit ad Victoriam Columnam fœminam lectiſſimam, & quæ ob eximium amorem erga virum mortuum, admirabilemque ingenii laudem in condendo carmine, maximo quoque honore digna eſt.

Sed etiam, ut ſorori ſuæ, quæ ſe in caſtiſſimum cœtum mulierum Muranarum conjecerat, morem gereret, animumque ipſius ſuaviſſimo cibo aleret in ea ſolitudine, cui ſe dicaverat, interpretatus eſt Hebreorum cantum: *Ad te levavi* &c. Italico noſtræ ætatis ſermone: cum enim ille doctrina, ingenioque ſuo prodeſſe quoque alienis ſtuderet, non viſus ſibi eſt poſſe ſuis ullo modo deeſſe. Quin etiam eodem honeſto deſiderio incenſus, ut utilitatibus fratrum ſuorum ſerviret, qui crebro mercaturis faciendis operam dantes, navigabant. Confecit libellum de Æſtu maris, & quam cauſam reciproca illa fluctuum agitatio haberet, diligenter monſtravit; qui tamen liber amico ipſius commodatus, magno adhibito ſtudio, recuperari nunquam potuit.

Scripſit etiam Tractatum, quo probat non dari quartam figuram Syllogiſmi, quæ dicitur Galeni: item alium de Homocentricis ad Hieronymum Fracaſtorium: de Ratione anni: Confutationem articulorum Lutheri: de Juſtificatione: de Libero arbitrio: de Prædeſtinatione: reſponſionem ad Apologiam Franciſci Georgii: & Epiſtolas multas. Sed ne omnia diligenter minutiora ipſius opera, quæ plu-

plurima ſunt, enumerem, in quibus tamen appareret ſpecimen illius doctrinæ, ac judicii, finem faciam. Poſſum enim vere affirmare quodcunque temporis vacuum a negociis nanciſcebatur, in his rebus ipſum conſumere ſolitum, omneſque vigilias ſuas eum conſueſſe temporibus amicorum, neceſſariorumque ſuorum conſecrare. Neque enim oſtentationis, & gloriæ cauſa hujuſcemodi ſcriptiones ſuſcipiebat, in hiſque ſe dies, atque noctes macerabat, quamvis juſtus inde honos, nec magnopere reprehendendus conſequatur; ſed ut dixi, voluntati amicorum, commodiſque indulgens; ſive ſtudiis ſuis, memoriæque ſerviens a ſcribendo nunquam ceſſabat.

CONTARENO Cardinali litteras dedere Jacobus Sadoletus Epiſcopus Carpentoractenſis, & Cardinalis: Petrus Bembus: Joannes Matthæjus: Nicolaus Ardinghellus, aliique. S. Ignatius Societatis Jeſu religioſiſſimus, & ſanctiſſimus Auctor illi ſpiritualis olim magiſter extiterat, ac ab illo ſacra acceperat Exercitia; quæ ſemper magni fecit, & ſua manu deſcripſit, ejuſque monitis, & conſiliis mirum in modum profecit. Quare a Bzovio in Annalibus primus recenſetur cum Jacobo Sadoleto, & Joanne Petro Carrafa, qui poſtea fuit Paulus IV. aliiſque ſolida probitate viris, qui ut labantem Eccleſiaſticum ordinem ad priſtinam dignitatem, puritatemque revocarent in ipſa Urbe Roma, Leone X. Pontifice ſedente ſodalitium inſigne ſundarunt, cui a Divino amore cognomentum impoſuere.

XXII. PETRUS BEMBUS Vicentiæ, ſeu potius Venetiis natus, annis poſt Chriſtum natum 1470. die 28. Maji, patrem habuit Bernardum Bembum Senatorem, hominem cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clariſſimum: nam res omnes Venetorum publicæ a certis nominatim familiis adminiſtrantur, eæque claræ habentur, reliqui cives quanquam ſint eorum multæ amplæ, honeſtæque familiæ, neque genus ſuum magnopere extollunt, & in ſua quiſque re gerenda occupati, civitatis procuratio-

tionem fere non attingunt. Inter eas familias Bembi antiquiſſima ſtirpe orti, cum omni tempore in republica floruerint, ampli in primis, illuſtreſque numerantur. Erat præterea Bernardus ſuo etiam privatim nomine, propter juris ſcientiam, qua plurimum excellebat, apud civitatem admodum gratioſus; & propter ſuam prudentiam, multiplicemque rerum uſum, propterque vitæ gravitatem magna in homine erat auctoritas. Hic cum a ſua civitate ad populum Florentinum legaretur, qua in legatione obeunda biennium, domo abeſſe Venetorum legibus cogeretur, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut Petrum filium jam Hieroſolymitani ordinis militibus adſcriptum, ut nonnulli referunt, quanquam admodum iſte puer erat, ſecum educeret; propterea quod Florentinorum inſtituta parum a Venetorum moribus illo tempore abeſſent; nondum enim ſub unius dominatione illorum erat republica, ſed nobilitatis fere arbitrio regebatur; & quod ea civitas præſtare ingeniis creditur, ac vi puerum, in quo jam tunc præclara indoles eluceſceret, volebat: tum Italicam linguam, qua non elegantiſſime Veneti illis præſertim temporibus uterentur, emendari in illo Florentinorum hominum conſuetudine exiſtimabat poſſe: nam omnium Italiæ nationum commodiſſime eam loqui civitatem autumant. Nec vero patris conſilium filii fefellit induſtria; ſic enim excitatum puerile Bembi ingenium Florentiæ eſt, ſic teneræ pueri aures, animuſque puro, ac dulci Hetruſcorum ſermone imbutus, ut jam inde a prima adoleſcentia multa cum Latine, tum vero Tuſce a ſe ſcripta ediderit; quibus nihil hominum auribus politius, nihil omnino elegantius, aut ſuavius accidere poſſit. Jacebat omnino temporibus illis eloquentia; inquinate enim loquebantur, nullus erat verborum delectus, nullum ſcriptorum diſcrimen; nam, & ifſe negligebatur Cicero, vel contemptui potius erat; & Cæſarem propter hiſtoriam modo curſim, & negligenter legebant; Terentium, Virgilium, bonos ceteros in ludo tantum, idque perpauci diſcebant; poſt puerilem illam diſciplinam ſumebat eos in manu nemo. Duros, obſcuros, aſperos ſcripto-

res

res adamabant; confectabanturque abditas, abſtruſaſque hiſtorias, aut fabulas, qui iis ineptiis referti eſſent auctores, ii eruditi numerabantur; itaque unus Ovidius de veteribus in honore erat. Ergo ſi verum quærimus, nihil ante Bembi ætatem Latine ſcriptum octingentis ipſis annis, aut eo amplius eſt, quod Romam illam veterem redoleat, aut magnopere lectione dignum ſit; ſolœciſmum enim vitabant, quantum quidem ex arte Grammatica didicerant, idque ipſum haud quaquam ſemper; id unum præſtare qui poterant, Latine loqui ſeſe putabant, nulli qui purus ille, incorruptuſque veterum Romanorum ſermo eſſet, noverant, ac ne ſuſpicabantur quidem. Par erat, atque idem eorum error, qui Italice ſcribebant, qui cum duos haberent ſcriptores, mea quidem ſententia, vel cum Latinis, vel cum Græcis conferendos: nam alterius verſus, & ſuavitatis plurimum habent, & dignitatis, & variis ingenii, aut etiam artis luminibus referti ſunt, & animum ſæpe permovent, atque impellunt, ut de amore ne Græcus quidem quiſquam melius; alterius oratio dulcis, copioſa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quæ legas, non narrari videantur. Hos cum haberent auctores duos, utrunque in ſuo maxime genere excellentem, ſcribebant ipſi inepte abjectiſsimis verbis, nullus erat orationis ornatus, nullæ homine erudito dignæ ſententiæ, nulla compoſitio, aut numerorum ratio. Licet in manus ſumere quæ tunc multi ſcriptitarunt, præter unum Politianum, illumque unum minus dulcem, minus omnino elegantem, quam ut legiſſe Petrarchæ dulciſsimos verſus videatur: ceteros ad unum indignos dicas, qui in ſcriptorum numero habeantur; unum ſcurrile vigebat genus: in eo ſane ridiculi nonnulli, ſed ipſi quoque multis in locis inertes, ac languidi. Hanc igitur inter erroris, atque inſcitiæ caliginem Bembus ad veterum ſcriptorum tanquam lumen, ac lucem reſpexit primus, primuſque ab omnibus, magnis quidem hortationibus, magno ſuo labore, multis reclamantibus, ac repugnantibus impetravit, ut Ciceronis, ut Virgilii, ut Cæſaris ſimiles ſeſe in dicendo, quam Apulei, Macrobii,

Statiique eſſe mallent ; cum contenderet , oportere , qui ſcriberent , eam dicendi formam , quæ optima eſſet , habere animo , & cogitatione comprehenſam , ad eam tanquam ad exemplum aliquod orationem , ſcriptionemque ſuam dirigere , Demoſthene , aut Cicerone perfectius in dicendo aliquid promere ſe poſſe , qui profiterentur , ſua quidem ſententia nimium ſubire oneris , nimium ſuis fidere viribus , quorum etiam jam olim errore , ac temeritate factum eſſe exiſtimabat , ut malos multos ſcriptores haberemus . Nam cum nonnulli a Cicerone diſcedere , ſuique plane eſſe vellent ; cum aliter atque ille , dicere ſtuderent , quoniam is perfectus , abſolutuſque eſſet , deterius dicere cogebantur . Hæc BEMBUS cum dictitaret , cumque etiam litteris mandaret , ægre ille quidem , ſed multis tandem perſuaſit ; ſpretos , ac repudiatos antea ſcriptores optimos illos , repeterent , propoſitoſque ſibi ad imitandum haberent. Quo quidem BEMBI labore , quibuſque præceptis quantum eloquentia adaucta ſit , cuivis facile eſt noſcere , ſi ea , quæ ante hanc illius diſciplinam ſcripta ſunt , cum hujus ætatis ſcriptoribus conferantur .

Ea obita legatione , domum BEMBUS cum patre rediit, jam bonarum artium ſtudiis incenſus , jam eloquentiæ , ac ſcribendi magno quodam amore flagrans . Itaque in Siciliam uſque ad Conſtantinum Laſcarem litterarum Græcarum cauſa profectus trienniumque ibi commoratus eſt , tantumque ingenio , labore , aſſiduitate profecit , ut Græce non modo optime ſciret , ſed etiam polite , luculenterque ſcriberet . Atque in Sicilia cum eſſet , Latine de Æthnæ incendiis ſcripſit ad Angelum Gabrielem : qui liber ab eo editus , in manibus hominum eruditorum non ſine aliqua laude verſatur . Poſt eam peregrinationem celeriter BEMBUS aſſecutus eſt , ut maxima apud omnes Italiæ civitates , tum apud exteras etiam nationes , ejus eſſet ingenii admiratio : ita enim , uti res eſt , ſic homines ſtatuebant , perdifficile factu eſse , unum , atque eundem duabus linguis tam ſcite , tamque ornate , copioſeque uti poſse , quodque pauci uno in ſermone unquam præſtiterunt , ut præcla-

clare ſcriberent; id ab adoleſcente Bembo, & in Latina, & in Italica oratione effici, omnibus qui de iis ſtudiis aliquid judicare poſsent, permirum videri neceſse erat; præſertim id ipſum in utraque lingua, & proſa, & verſibus, id quod Ciceronem ipſum expertum, ſunt qui negent, aſſequi potuiſse.

Poſt Sicilienſem illam peregrinationem, perpaucis interjectis annis, Ferrariam Bembus pater Prodominus miſſus eſt; eum magiſtratum magnum in primis, atque honorificum illis temporibus Veneti virtute belli partum, victoriæque tantum inſigne gerebant in aliena civitate; eo quoque cum patre filius exiit; ſicque eo in oppido perdiu fuit; ut cum ab omni juventute, ab omnique nobilitate plurimum coleretur; tum vero Herculi Eſtenſi maximo, ac fortiſſimo viro, qui in ea civitate imperium obtineret, & Lucretiæ Borgiæ, quam in matrimonio Alphonſus habebat, gratus in primis acceptuſque eſset. Per idem tempus cum annos natus eſset haud amplius 26. eos ſermones, qui *Aſulani* ab eo inſcripti ſunt, confecit, opus omnium pigmentorum flore, atque colore diſtinctum. Fœminas omnino cum adoleſcentibus de amore loquentes amœniſſimis quibuſdam in hortis facit, ita lectiſſimis verbis feſtive, ac venuſte, ita ſententiis copioſe, atque ornate, nihil ut ejus oratione cum uberius, tum vero ſuavius modulatiuſque eſſe poſſit. Eos libros tanta hominum, mulierumque etiam medius fidius approbatione, ac tanquam plauſu exceptos, receptos eſſe meminimus, ut exemplo cuncta eos Italia cupidiſſime lectitarit, atque didicerit; ut non ſatis urbani, aut elegantes ii haberentur, quibus Aſulanæ illæ diſputationes eſſent incognitæ. Erat per id tempus Urbini Dux Guiduſubaldus Feltrius, vir maxime ſpectata, maximeque nobilitata virtute: is ſuæ civitatis tenebat imperium; atque cum eo Eliſabetha Franciſci Gonzagii, qui itidem civitati imperabat, ſoror nupta erat, cujus de mulieribus laudibus mira quædam litterarum monumentis cum ab aliis multis, tum etiam ab hoc ipſo Bembo mandata fuerunt. Ac d atum eſt profecto Urbinatum civitati, ut

non ſuos domi modo Principes omni genere laudis claros, atque inſignes haberent; ſed etiam ut ex alienis civitatibus mulieres, quas illi in matrimonium duxerint, lectiſſimæ fere, præſtantiſsimæque illis fœminarum omnium obtigerint. Cum igitur Urbini quemadmodum dicere incœperam, Guiduſubaldus, atque Eliſabetha Gonzaga eſſent, hominum excellentium peramantes, perque hoſpitales conveniebant ad eos ex omni Italia, ut quiſque præſtanti aliqua in arte præcelleret. Eo cum Bembus quoque ſorte veniſſet, præcipuo præter ceteros in honore haberi cœptus eſt: multa enim habuit Bembus, quæ ad hominum animos conciliandos plurimum valere conſueverunt. Nam, & in forma quædam oris ſpecies, ac dignitas inerat, & in ſtatura, ac proceritace decor; mira præterea in moribus ſuavitas quædam, lenitaſque amabilis, dulciſque tum ſermo, tum tota vitæ, victuſque conſuetudo mitis, & clemens. Ad ea cum præclara ingenii vis, ac natura accederet, expetebatur ſcilicet unus omnium maxime ab illuſtri illo virorum, fœminarumque conventu; quibus rebus efficiebatur, ut multum domo abeſſet, Urbinique fere viveret, quam rem multum etiam vicinitas adjuvabat, atque ultro, citroque Piſaurum quidem uſque perfacilis, atque expedita navigatio; ita factum eſt, ut minus domi honores aſſueſceret admirari, minuſque ambitionibus implicatum animum haberet. At vero id pater reprehendere primo, deinde graviter ferre viſus eſt; volebat enim, ut rempublicam capeſſeret, atque ex ordine magiſtratus gereret; ad eumque curſum, quem tenuerat ipſe Bembus pater, quemque ſumma cum laude, plauſuque confecerat, filium inducebat, atque compellebat. Ille contra cum alia ſpatia, curſuſque alios animo agitaret, quamquam patri obſequi ſuadebat pietas, civium conſuetudo hortabatur, propinqui, neceſſariique efflagitabant; tamen ſic animo cogitabat, cujus ipſe gloriæ cupidus eſſet, eam ad ſe, non a ſuis modo civibus, ſed ab omnibus etiam gentibus ultro deferri, prehenſandum ſibi ejus rei cauſa neminem eſſe, ſupplicandum nemini, nullius ſuſcipiendas inimicitias; unam

enim

enim eſſe ex omni laudum genere, ingenii gloriam, qua ſine ulla cujuſquam querela perfrui, ad extremum uſque homines ſoleant.

Inter hæc Joannes Medices Cardinalis, ſummus Pontifex Romæ renunciatur, & Leonis X. nomen ſelegit. Mos, conſuetudoque Pontificum eſt, ut ſi quid publicæ, privatæque rei incidat, quod ſecreto per litteras agi oporteat, ſi quando, aut Regibus, aut Civitatibus reſpondendum, aut ſi quid poſtulandum ab iis ſit, ſi quid denique majoris negocii implicitum cum aliquo eſt, id quaſi per familiares epiſtolas tranſigant, eas litteras cera obſignant; nam publicis decretis in plumbo ſignum eſt. Earum litterarum ſcribendarum negocium datur hominibus ob ſcribendi prudentiam, atque elegantiam eruditiſſimis, ob muneris, locique dignitatem graviſſimis, atque honeſtiſſimis, ob rerum autem pondus, ac magnitudinem ſumma fide, ſummaque probitate præditis: ii magna cura, ac diligentia conquiruntur, magnis præmiis evocantur. Eum Leo morem cum vehementer probaret, cumque ad dignitatem pertinere arbitraretur, diligentiſſimeque cum retinere vellet, ſine ulla dubitatione BEMBUM accerſiri, eique muneri, negocioque præponi jubet. Magnam in ſpem, magnam in dignitatem vocabatur BEMBUS; munificentiſſimus enim Leo, liberaliſſimuſque, & habebatur, & erat; ipſi autem res erat familiaris pertenuis, vix ut neceſſarios ſumptus ſuppeditaret, idque ipſum magno Caroli fratris, quem ſui amantiſſimum, obſervantiſſimumque habebat, labore, atque induſtria. Confluebant præterea ad Leonis famam, ac bonitatem, ut quiſquis in quaque excellebat arte, aut diſciplina, ut propemodum homini erudito Roma abeſſe turpe eſſet. Huc accedebat reprehenſores ſuos convincendi ſtudium quoddam; cum quanti ſuæ illæ artes fierent, quas illi nulli rei eſſe dicerent, quaſque tanquam nugas, ac deliramenta ſæpe BEMBO objicerent, oſtendendi magna data eſt occaſio. Nec vero a ſuo vetere inſtituto, aut a litteris abduci ſeſe propterea arbitrabatur; quippe qui ad ſcribendum invitaretur, qua una in re omnis ſibi cura, atque

que opera poſita ſemper fuiſſet. Proficiſcitur Romam Bembus, cum annos natus eſſet tres, & quadraginta, præponiturque epiſtolis Pontificis maximi nomine ſcribendis; eoque in munere gerendo datur illi ſocius, ac tanquam collega Jacobus Sadoletus is, qui poſtea Cardinalis factus eſt. Scripſit eorum uterque eas epiſtolas cum plane Latine, quod ante id tempus acciderat nulli, nec adeo fieri poſſe ullo modo homines exiſtimabant, ac ſi verum quærimus, ne cogitabant quidem. Noſtri enim homines, ſæpe etiam tranſalpinæ nationes, ſic Latine ſcribebant, ut ſuæ quiſque civitatis tamen loquendi formam, conſuetudinemque retineret, ac Latinis verbis, quanquam ne id quidam uſquequaque, Gallice, nihilominus, aut Italice neſcio quo pacto loquerentur. Sed ex epiſtolæ cum plane Latine a Bembo, Sadoletoque ſcriptæ ſunt, tum vero ſumma a doctiſſimis, exercitatiſſimiſque hominibus adhibita eſt elegantia, ſummaque dignitas; id quod ex iis libris intelligere licet, qui a Bembo editi epiſtolas a ſe Leonis X. nomine ſcriptas continent. Cum itaque Pontifici Bembus homini nec natura hebeti, nec in ſcribendo rudi, cumulatiſſime ſatisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur; tantum porro in illum ſuæ liberalitatis Leo contulit, ut qui Romam pauper tandem veniſſet, Pontificis plane beneficentia dives factus ſit. Inter alia Prioratum Bononienſem, Militum Hieroſolymitanorum, & Canonicatum Eccleſiæ Patavinæ obtinuit, primum tamen alii non a Leone, ſed a Julio II. precibus Ducis Urbinatis habuiſſe volunt. Fuit ætas, tempuſque illud humanitatis ſuavitate nimia prope quadam perfuſum, ut delectationum multarum ſtudia ſæculi illius licentiæ propemodum omnium permiſſu conceſſa eſſent; nec enim ne voluptatum quidem quarundam blandimenta nimium ſevere aſpernabantur, ſed multa ad oblectationem, multa ad ludum data erant cujuſque ordinis, cujuſque ætatis hominibus. Nec vero religioni habebatur, honeſtos, graveſque homines in hortis viſos eſſe, aut paulo liberiore in convivio ſymphonia cum caneret, & mulieres accumberent, interfuiſſe. Quam quidem ſæ-

ſæculi illius nimium plane profuſam hilaritatem eorum temporum, quæ ſecuta ſunt, vehementer corripuit, magnoque opere caſtigavit; quo magis vereor, id quod dicturus ſum, ne multis ſecus atque eſt, de Bembo exiſtimandi aliquid det loci. Sed quoniam nobis ſuſceptum id eſt, ut de illius vita, non de laude dicamus, ne hoc quidem reticendum nobis eſſe arbitrati ſumus. Ac fit fere, ut mores, conſuetudineſque locorum, aut ætatum pro ratione ſibi, proque diſciplina homines habeant; denique quod fieri vident, licere putant, atque id, quod in præſentia reprehenditur, in poſterum quoque tolerabile, conceſſumque fore arbitrantur, atque omnino apud omnes gentes, etiam quæ natura gravia ſunt, fieri conſueverunt moribus leviora. In ea igitur morum, ſæculique licentia, eximia forma mulier quædam perpuliſſe Bembum dicitur; neque diu reſiſtentem continere eum ſe a lapſu potuiſſe, præſertim qui nullisdum ſacris initiatus eſſet. Verum ea ut temporibus illis lapſio, ut hac ætate fortaſſe labes, eum habuit eventum, ut magno, ſi modo naturam audire volumus, fructu compenſaretur: ſuſcepit enim ex ea muliere liberos tres, Lucilium ſcilicet, Torquatum, & Helenam Bembam fœminam lectiſſimam, quæ cum primario adoleſcente nupta eſt.

Nec vero in litteris modo ſcribendis Bembi fidem, atque eruditionem Leo periclitatus eſt; ſed etiam in rebus agendis hominis prudentiam, ſolertiamque plurimum adamavit. Itaque cum conſpirare adverſus Galliæ Regem, cum Cæſare Maximiliano, cumque Hiſpaniarum Rege Catholico, ita reipublicæ temporibus poſtulantibus cogitaret, miſit de ea conſpiratione Bembum ad Venetorum Senatum, qui eam magnopere civitatem hortaretur, uti a Gallorum, quibus cum conſenſerat, amicitia diſcederet, ac ſe ſe cum Pontifice, reliquiſque conſpirationis auctoribus, ducibuſque fœdere, & ſocietate conjungeret. Habita eſt a Bembo in Venetorum Senatu ea de re oratio pergravis ſane perque vehemens, quam etiam ſcriptam reliquit, perlegant eam noſtri homines apud Sanſovinum in Hiſtoria Veneta, & ni-

& nihil Italice ſcriptum gravius , ornatiuſque ea oratione dicent eſſe. Rediit ex illa Legatione feliciſſime peracta ad antiquum ſuum litterarum munus; ſed cum tenui Bembus valetudine , atque imbecilla eſſet , cumque noctu magnis lucubrationibus , magnis vigiliis ſcribere neceſſe haberet; nam interdiu, cum a Pontificis latere diſcedere veſtigium vix liceret, cumque multi audiendi, ſalutandi, deducendi, honeſtandique, ut Romanus mos ferebàt, eſſent, relinquebatur ocii nihil, gravem, diuturnumque in morbum incidit; ex quo cum ægre ac difficulter convaleſceret, nec recreari, reficique videretur poſſe de medici conſilio, ipſius Pontificis hortatu, cœli mutandi cauſa Patavium petiit , atque eo anno Leo moritur . Incredibile dictu eſt, quanta animi alacritate , quantaque lætitia Romanis laboribus, curiſque liberatus, longa ſane annorum novem ipſorum intermiſſione facta, optatum ad ocium, ſtudiumque ſuum vetus ſeſe Bembus receperit, nullum ut urbis , urbanarumque rerum, au deliciarum deſiderium in eo reſediſſe, liquido appareret.

Vixerat diu in illo dulci litterarum ocio; cumque Patavii multos jam annos eſſet , in civitate quietis , ac tranquillitatis pleniſſima, ab omnique contentione, ambitioneque longe, ac multum remota; cumque omnem curam, cogitationem , operam ad ea ſtudia , quæ a puero adamaſſet, celebranda contuliſſet , vel in iis jam conſumpſiſſet potius, magno quodam caſu clementem illam vitam quietam tranquillamque prope jam decurſo ſpatio, atque ætate jam fere exacta, licet recuſans coactus eſt mittere. Erat Romæ temporibus illis vir ſummus, atque clariſſimus, ſingulari prudentia , admirabili animi magnitudine præditus Alexander Cardinalis Farneſius, qui Paulus III. appellatus eſt, qui ſimul, ac Pontifex maximus factus eſt, extemplo tanto imperio, ac poteſtate accepta, ut initium rerum, actionumque ſuarum ab illuſtri aliqua laude duceret, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut qui quaque in civitate, quibuſque in terris homines eſſent illuſtri quadam, aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude celebrati , illos ul-

ultro ipſe eam dignitatem, haud quaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam ſuſpicatos, ampliſſimum in Cardinalium Collegium cooptaret. Ea re ſperabat cum Pontificatus, Collegiique tot clariſſimorum hominum accerſione facta, auctum iri majeſtatem, tum ſpecimen ſe quoque ſuæ virtutis maximum cum dediſſet magnam de ſe famam, opinionemque eſſe facturum. Itaque ſemel, atque iterum magna cura, magna adhibita diligentia ſummos viros perveſtigavit, atque delegit, quibus graviſſimam illam dignitatem nimio a pleriſque opere ſæpe fruſtra, ac nequicquam expetitam ultro mandaret; quo facto majorem eſt gloriam conſecutus. Sed, ut aliis ea res evenit, Bembo quidem perincommode cecidit, quod ex ſuo ocio, ſuaque ex ſolitudine dulci illa erutus, rurſum in eam turbam, moleſtiamque ſenex raperetur, a qua, vix dum inclinata ætate, ſeſe tamen cupidiſſime vindicaſſet. Etenim cum præſtante denuo gloria viros Paulus conquireret, atque indagaret, quos in Collegium legeret, occurrit in primis homini Bembus, qui forte tunc temporis Venetiis erat. Quare illum inter alios ſeligit, & die 20. Decembris anni 1538. Cardinalibus ſponte, ſeu, ut alii referunt, ad preces Venetæ reipublicæ, adſcribit, illum tamen, uti etiam Hippolytum Eſtenſem in mentis penetrali detinet, nec publicat, niſi die 24. Martii anni 1539. Volunt aliqui cum Ciaconio Petrum Bembum ex Epiſcopo Bergomenſi renunciatum eſſe Cardinalem; at Eccleſiam illam poſt purpuram regendam ſuſcepit, ut dicemus infra. Ad eum cum Carolus Gualterutius Fanenſis, vir apprime bonus, navuſque, & induſtrius (ſeu potius Octavianus Zeno a cubiculo Pontificio) veniſſet cum Diplomate, cumque ejus dignitatis inſigniis, ille enim vero recuſare, ac deprecari, neque abduci nunc demum ætate confecta pati ſe poſſe dicere a quiete, ac ſolitudine illa, quam unam rerum omnium jucundiſſimam, antiquiſſimamque jam inde a prima adoleſcentia habuiſſet; magnas tamen ſeſe Pontifici, magnas Collegio gratias agere, atque habere, quod ſenectutem ſuam honorificentiſſimo de ſe judicio, clariſſimoque decreto tantopere honeſtatam voluiſſent.

Cum in eo multos jam dies perſeveraret, neque de ſententia depelli poſſe videretur; nihil propius factum eſt, quam ut Romam Gualterutius (ſeu Zeno) re infecta reverteretur. Ab Octaviano Zeno purpureum biretum Pauli imperio delatum Bembo, litteraſque humaniſſimas, non autem a Carolo Gualterutio, ut refert Joannes Caſa, ipſe Bembus litteris, quibus Pontifici immortales gratias egit, teſtatus eſt. Præfuit primo Diaconus Cardinalis Diaconiæ S. Cyriaci in Thermis, poſtea Presbyter Eccleſiis S. Cryſogoni, tum S. Clementis; rexit Epiſcopus Eccleſiam Eugubinam primo, deinde Bergomenſem. Nam Federico Fregoſio Cardinale morte erepto, Bembus jam Cardinalis Eugubinam Eccleſiam regendam anno 1541. ſuſcepit: ab hac ad Bergomenſem eum translatum ex litteris ejuſdem Italicis ad Paulum III. die 23. Februarii anno 1544. Eugubii datis cognoſcimus. Hiſtoriæ Bergomenſis, quam *Vineam* dicunt, auctor, Bembum, illius Eccleſiæ poſſeſſionem procuratoris opera anno 1544. die 13. Maji iniiſſe teſtatus eſt: Cardinalis vero anno eodem III. nonas Maji Canonicis, & Societatis Eccleſiæ Bergomenſis ſcripſit, & de ſua ad eos profectione hæc habet. *De meo ad vos adventu, quem optare magnopere oſtenditis, quid dicam, non habeo, conſtituere enim de eo nihil poſſum homo, neque mei juris, neque propter ſenectutem ſatis firmus; ſed dabo operam, ut officium meum vobis præſtem etiam abſens, haud minus diligenter, atque amanter, quam ſi adeſſem.*

At redeamus ad purpuram Bembi, quam reſpuere, ut diximus, decreverat; attamen perinvidioſum futurum reſpui tantam dignitatem ſecum ipſe conſiderabat, præſertim quod non honoris modo ſplendorem, ſed etiam muneris contineret officium. Eam enim ob cauſam Collegium dicitur Cardinalium a majoribus inſtitutum, ut ii & adſint Pontifici, & ad omnia reipublicæ tempora præſto ſint; ægerrimeque eam rem Paulus laturus erat, quod minui Chriſtianæ civitatis majeſtas, cujus ipſe Princeps conſtitutus eſſet, videbatur; atque ejus præſertim, & conſilium condemnari, & auctoritas contemni, qui non beneficium modo

Bem-

Bembo a ſe datum exiſtimaret, ſed etiam onus quoddam officii pro ſua poteſtate impoſitum, ut ſi de ſuo ille honore putaret ſibi liberum eſſe recuſare, dicto certe Pontificis audientem non eſſe; in eo vero, & Collegium, quod ſanctum eſſet, ac Pontificem violari. Itaque accurrunt ad eum undique amici, ac neceſſarii, agunt, hortantur, obſecrant, ſi ſua ipſe gloria minus moveatur, gentis, ac poſteritatis tamen memoriam, nomenque reſpiciat, ac tantam dignitatem in domum ſuam illatam ne ipſe ſe abjudicet. Parum primo Bembus eorum moveri oratione, utpote, qui eadem ſæpe numero audiſſet, jamque olim prope omnia refutaſſet; ubi vero ad eum Petrus Landus adiit, qui civitatis haud multo poſt Princeps fuit, qui unus apud Venetos Magiſtratus ampliſſimus eſt, idemque perpetuus; iſque longa, atque accurata oratione cum eo agere cœpit, cum oſtenderet, quantum ea re ſubiturus eſſet offenſionis, atque invidiæ, quàm indigne Pontificem maximum, quàm graviter omnem Sacerdotum ampliſſimum ordinem eam ignominiam ferre neceſſe eſſet; cumque adderet, nunquam hæc ſine nutu, atque conſilio Dei immortalis accidere ſolere diligenter videret, ne divino numini refragaretur, tum vero animo ſane ſuſpenſo, ac perturbato hominem Bembus dimittit in præſentia, rem in diem poſterum differt; & quoniam religionem ſibi injeciſſet, diligentius deliberaturum ſeſe pollicetur. Poſtridie ejus diei cum res homini in religionem plane veniſſet; fuit enim non verſuta hac, atque ad hominum opiniones captandas ſimulata, quam in multis videmus rugis, ſuperciliоque horridam, triſtitia; ſed vere, atque ex animo pietatis colentiſſimus, proximum in fanum mane ingreſſus eſt. Erat tum forte Sacerdos ad aram, atque hiſtoriam de iis, quæ a Chriſto dicta, aut geſta in terris ſunt, quod Evangelium appellamus, clara voce, ut mos ſacrificium offerentibus eſt, effari incœperat. Vix dum pedem in Templum intulerat Bembus, ac Sacerdos, *Petre*, ait, *ſequere me*: ea vero illi vox, Dei prope ipſius ore mitti viſa; itaque cum omnem ex animo dubitationem ſuſtuliſſet, quaſi Dei ac-

accitu Romam proficiſci ſtatuit. Magnus fit domum ejus omnium hominum, atque ordinum concurſus, frequens gratulatio, maximus totius civitatis plauſus; ille vero paucis poſt diebus ſilvas, receſſuſque ſuos, in quibus pacatam, tranquillamque vitam prope omnem traduxiſset, atque exegiſset, crebro appellans, atque identidem reſpectans, Romam ire perrexit. Vere hoc dicere poſsum, ſic homini hoc diſceſsu hilaritatem prorſus excuſsam, ut ejus priſtinam jucunditatem, ſuavitatemque amici, familiareſque ex illa die deſideraverint, atque in omne tempus amiſſam eſse doluerint.

Cultus eſt Romæ Bembus cum a bonis pleriſque omnibus, Contareno, Sadoleto, Corteſio, Morono Cardinalibus ampliſsimis, hominibuſque eruditiſsimis; tum vero præcipue a Reginaldo Polo, homine Dei immortalis proculdubio beneficio ex ultima uſque Britannia ad nos vecto, vel de cœlo potius, ſi modo dictu fas eſt, lapſo, cujus de laudibus, quanquam de tam præclara, ac plane divina virtute nemo ſatis digne unquam loquetur, alius mihi profecto dicendi locus fuit; hoc certe, haud facile in præſentia dijudicare audeam, plus ne eam inſulam multis vulneribus Chriſtianæ reipublicæ per ſummam impietatem infligendis, nocuiſse dicam; an quod in illo ſolo talis, tantuſque vir ortus, & procreatus ſit, unde veræ, planeque Chriſtianæ pietatis, vitæque exemplum peteremus, profuiſse. Is igitur cum Bembo familiariſsime vixit; cumque ſenis optimi multas, magnaſque animi dotes maximi fecit, tum vero apertum, ſimplexque hominis ingenium ſuæ ipſius voluntati, atque naturæ conſimile, ac par plurimum ſemper adamavit. Sed cum diligentiſsime coleretur a multis, ſummo etiam a Paulo honore afficiebatur, tantaque apud eum fuiſſe gratia dicitur, ut nullam unquam rem ab eo poſtulaverit, quin perfecerit, atque abſtulerit. Sed enim hoc non ſolum auctoritatis gratiæque fuit, ſed etiam moderationis, ac pudoris: tum ea erat Bembi in dicenda ſententia libertas, ea ſimplicitas, eaque in omni vita clementia, atque ingenuitas inerat, ut ſi ante eum Paulus mor-

mortem obiiſſet, quod natura poſtulare videbatur (aliquot enim annos illum Paulus anteceſsit ætate) creatum iri eum Pontificem maximum plerique compertum haberent. Sed cum equo Bembus forte veheretur, leviter in oſtio ad parietem latus offendit, qua ex plaga homo ſenex, ac debilis in febriculam incidit, atque ex ea, cum ſenſim extenuari, conficique ſe intelligeret, cumque mortem multos dies quaſi præſtolatus eſſet, animo non modo forti, ſed etiam æquo, ut de ſua illa migratione cum amicis interdum etiam jocaretur, diem ſuum pie, ſanctεque jam ſenex die 16. ſeu 18. Januarii anno Chriſti 1547. ætatis 77. obiit. Hominem, & funus quamplurimi celebrarunt, inter quos Speronius Speronius Venetiis mandante Senatu, funebri oratione. Funeratus jacet in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam inter Leonis X. & Clementis VII. monumenta cum hoc epitaphio.

PETRO BEMBO PATRITIO VENETO
OB EJUS SINGULARES VIRTUTES
A PAULO III. P. M. IN SACRUM COLLEGIUM COOPTATO
TORQUATUS BEMBUS POSUIT.
OBIIT XV. KALEN. FEBR. MDXLVII.
VIXIT ANN. LXXVI. MENS. VII. DIES XVIII.

Hic Bembus *jacet Aonidum laus maxima Phœbi*
Cum Sole, & Luna vix periturus honos.
Hic & fama jaces, ſpes & ſuprema galeri,
Quam non ulla queat reſtituiſſe dies.
Hic jacet exemplar vitæ omni fraude carentis,
Summa jacet ſumma hic cum pietate fides.

Alii eidem Bembo tumulum inſcripſere, inter quos Auguſtinus Beatianus ſequenti carmine.

Bembe *jaces, tecumque jacet, quæ prima canendi eſt*
Gloria, ad extremos non reticenda dies.
Bembe *jaces, tecumque jacent cæleſtibus apti*
Mores, quos poſt hac ſæcula nulla ferant.

Bem-

Bembe *jaces*, *tecumque jacet ſincera voluntas*,
Et qui nos prohibet dicere falſa, *pudor*.
Bembe *jaces*, *animique jacet laudabile tecum*
Quicquid habet Latium, *Græcia quicquid habet*.

Tum Franciſcus Swertius eundem ſequentibus ornavit inſcriptionibus.

Hic situs est Bembus, satis hoc, nam coetera clarent,
Quo se cumque decus protulit eloquii.

Item.

Aurata, pariaque alii conduntur in urna,
Sunt hominum Bembo pectora sarcophagus.

Cultus erat jampridem omni officio Bembus ab Hieronymo Quirino Iſmaelis filio, homine partim genere, ac nobilitate, partim fide, munificentia, humanitate, morum ſuavitate, ac dulcedine clariſsimo. Is illi ſtatuam mortuo poſuit nobili artificio factam ex marmore, atque eam celeberrima in D. Antonii Æde Patavii locavit, inſcripto in baſi hoc elogio.

PETRI BEMBI CARDINALIS IMAGINEM
HIERONYMUS QUIRINUS ISMAELIS F. IN PUBLICUM PONENDAM CURAVIT UT CUJUS INGENII MONUMENTA
AETERNA SUNT EJUS CORPORIS QUOQUE MEMORIA
NE A POSTERITATE DESIDERETUR.
VIXIT ANN. LXXVII. DIES XVIII. OBIIT XV. KAL. FEBR.
MDXLVII.

Quirinum hunc Patritium Venetum Bembus ita dilexit, ut moriens eum in ſecundis hæredibus ſcripſerit, ac teſtamenti ſui executorem inſtituerit. Fuit autem Petrus frontis ſerenitate venerabilis, oriſque configuratione protenſa valde, ſed ingenua placiditate ſpectabilis, imo barba ipſa etiam procera, & ad pectus uſque graviter expanſa. Eugubina civitas, & ipſa Bembi memoriam inſigni marmorea ſtatua in Cathedrali exornavit; illam enim Eccleſiam per aliquot annos ſanctiſsime rexerat, ac variis donis ornaverat; ex qua ad Bergomenſem translatus eſt, ut indicavimus.

Fuit

Fuit omnino perpolitum Bembi ingenium, perque acre, maximeque perſpicax, acutumque judicium, plurima in alios, in ſe nimium pene multa inquirens, in ſeligendis, collocandiſque verbis multum ponebat operæ, atque in ea re magnam cum prudentiam, tum vero etiam diligentiam adhibebat. Hoc enim unum ſibi perſuaſerat eſſe, quod in oratione novitatem, & quaſi patriis moribus conſervatis, peregrinitatem quandam effingeret; quæ cum multum omnibus in rebus admirationis habeat, ob id ipſum plurimum etiam non modo dignitatis, ſed etiam jucunditatis afferre ſolet. Ac profecto, quantum intelligere nos poſſumus præclare hoc, quod difficillimum ſemper habitum eſt, Bembus præſtitit, ut cum minus fere uſitate loqueretur, hoſpitis ſpecimen tamen effugeret. Quod ſi qui ſunt, qui vulgi opinione ducti, quotidianam hanc tritam, communemque dictionem in hominum eruditorum, aut verſibus, aut proſa oratione, vel poſtulent, vel expectent, atque ob eam cauſam Bembi oratione, quæ a plebejo, ac pervagato hoc tabernariorum, atque opificum ſermone longe diſſonat, minus delectentur, ii erunt ex eorum numero, qui de iis ſtudiis exiſtimare, aut leviter aut nihil poſſint. Jure igitur Bembus majore quadam cura in verbis eligendis torquebatur, præſertim cum hetruſce ſcriberet; itaque nova, ſplendida, decoraque in primis ejus oratio eſt. Parum enim fidei conſuetudini ſemper habuit, quod ea partim varia, atque inconſtans, partim etiam vitioſa, atque corrupta eſſet, & quoniam ne Romam quidem, nec adeo Athenas illas ipſas Atticas, quibus temporibus eloquentia maxime floruit, diutius tenere illud potuiſſe ſcriptum legerat, ut ne barbarie earum infuſcaretur, atque inquinaretur oratio; repudiandum ſibi hunc ſermonem, qui nunc eſt, ſtatuebat eſſe, atque eum, qui fuerat in Hetruſcis olim hominibus purus, atque emendatus, cum minus dum exterarum nationum in Italiam confluxerat, adſciſcendum; qui cum illi non de populo, futili, inanique doctore diſcendus eſſet, ſed e veterum libris, graviſſimis auctoribus percipiendus; illud etiam eadem opera aſſequebatur, ut

ut ejus dignitatem, gravitatemque haberet oratio; nam quotidianus quidem, vulgariſque hic hominum ſermo e ſordidis artibus maximam partem ductus, multum ex officina, multum e taberna, e ſellaque redoleat, neceſſe eſt.

Scripſit igitur Latina lingua hiſtoriam Venetam libris duodecim digeſtam, quæ ſevere, & acriter ab Ammirato judicatur; incidit certe, dum illam ſcripſit, in aliquas reprehenſiones minutulas, quas conſulto prætereo, ut maxime notas, & minime neceſſarias; eſt tamen cum patriæ, tum argumenti amplitudine ſpectabilis.

De Imitatione Sermonis librum unum ad Joannem Picum.

Poema Heroicum, quod *Benacus* dixit.

Epiſtolarum Leonis X. Pontificis Maximi nomine ſcriptarum libros ſexdecim, quos in prima editione Paulo III. dicavit.

Epiſtolarum Familiarium libros ſex. De Æthna Dialogum.

De Culice Virgilii. De Guido Ubaldo Feretrio, & Eliſabetha Gonzaga Urbini Ducibus librum unum.

Caſtigationes in aliquot loca Terentii.

Epiſtolas Selectas ad Longævum.

Hymnum ad S. Stephanum.

Pro Goritio votum ad Sanctos, quibus ædiculam exædificaverat.

Julii quoque II. Pontificis Pontificatum carminibus deſcripſit.

Carmen aliud edidit, cui nomen *Galathea*.

Item aliud ad Melinum.

Item aliud ad Nymphas; & aliud ad Faunum.

Longolii, Leonici, & Sannazarii Epitaphia.

Quæ Bembi Carmina Scaliger ſeverior Judex carpit.

Patrio idiomate ſcripſit Aſolanos, opus amœniſſimum.

Tres de ratione hetruſce loquendi libros in Dialogo mirabiliter ſcriptos.

Litterarum volumina plura; quorum primum continet litteras ſummis Pontificibus, Cardinalibus, aliiſque Eccleſia-

ſiaſticis Viris datas: ſecundum litteras primariis Mulieribus, tertium vero Principibus, aliiſque ſcriptas habent.

Sunt etiam Epiſtolæ familiares ad Matthæum Bembum nepotem ſuum miſſæ.

Litteras BEMBO dederunt plures, videlicet: Jacobus Sadoletus, Joannes Matthæus Bembus, Hieronymus Fracaſtorius, Franciſcus de la Torre, Triſon Gabrielis, Paulus Jovius, Gregorius Corteſius, Petrus Aretinus, aliique quamplurimi, quos percurrere quis poterit in libro Venetiis anno 1560. edito, cum hac inſcriptione. *Litteræ Regum, Principum, Cardinalium, aliorumque Virorum Doctorum* PETRO BEMBO *datæ*. At memoraſſe ſufficiat Joannem Planerium, qui de excidio patriæ ſuæ Brixienſis (eidem PETRO BEMBO Hiſtorias Venetas compilanti) tranſcripſit compendium; eundemque invitat, ut in ſua veluti appendicem contexat Hiſtoria.

Bibliothecæ inſigni Reipublicæ Venetæ præfuit aliquando BEMBUS, ut ipſe litteris Benedicto Accolto Cardinali iij. Idus Septembris anni 1531. Patavio ſcriptis fatetur. Nobile Muſæum BEMBUS habuit; in quo inter alia ænea tabula Ægyptiorum notis ab erudito, & perhumano viro Laurentio Pignorio ſcite explicatis inſignis extabat. Hieronymus Fracaſtorius, Jacobus Sannazarius, & alii viri celebres miro eruditi, BEMBI judicio ingeniorum ſuorum partus ſubjiciebant; Fracaſtorius tres miros Siphilidis libros ei inſcripſit, & initio libri primi iis uſus eſt verbis.

BEMBE *decus clarum Auſoniæ ſi forte vacare*
Conſultis LEO te a magnis pauliſper, & alta
Rerum mole ſinit, totum qua ſuſtinet Orbem,
Et juvat ad dulces paulum ſecedere Muſas
Ne noſtros contemne orſus, &c.

Qui duodecim clariſſimorum Cardinalium Imagines, & Elogia ſoluta, & numeris aſtricta oratione conſcripta Antuerpiæ edidit, a Fracaſtorio prima Epigrammatis verba mutuatus eſt.

BEMBE *decus clarum Auſoniæ, te Roma diſertum eſt*
Mirata antiquis, eximiiſque parem.

Dd Hip-

Hippolytus, & Camillus Capilupi præſtantis viri laudes iis verſibus inde extulerunt; Hippolytus primo.

Adria BEMBE *tibi Patria eſt, & Roma Sepulchrum,*
Imperat hæc Terris, imperat illa Mari.
Fgregie, & lingua Tuſca, Latinaque locutus;
Non hac, non illa dulcius ulla ſonat.
Sunt teſtes Muſæ Tuſcæ, Muſæque Latinæ,
Magnanimûm Venetûm teſtis eſt Hiſtoria.
Nobiliore ſolo, haud poteras naſci, nec obire
Nec poteras lingua candidiore loqui.

Tum Camillus.

Morte tua fluxit lachrymis, & Tibris, & Arnus,
BEMBE *ſed Aoniis aruit unda vadis.*
BEMBE *jacet, Muſæ ſecum periere Latinæ,*
Et Tuſcæ, & Venetûm concidit Hiſtoria.
Jure quidem BEMBUS *tumulatur in Æde Minervæ.*
Doctiloquo natus Pieridum in gremio.

Joannes Matthæus Toſcanus Poetarum BEMBI mortem lugentium carmina collegit. Eo tumulo quidam delectatus.

O *Tuſcæ, o Latiæ Muſæ decus optime Vates,*
Et Venetæ Scriptor nobilis Hiſtoriæ.
Flens tibi purpureos flores, ſpargitque recentem
Adriacum Pelagus, Tibris, & Arnus aquam.
Et Nymphæ inſcribunt tumulo hoc miſerabile carmen:
MORS RAPUIT BEMBUM DELICIAS HOMINUM.

In libro inſcripto, Carmina quinque Poetarum, Venetiis edito anno 1548. hoc extat de BEMBO Epigramma.

Tu quoque Virgilio certabis BEMBE *Latino,*
Magnanimum Heroum carmina facta canens:
Audiit, & Muſæ captus dulcedine, Tuſcos
Ad cytharam verſus condere juſſit amor.

Celebratur ab Areoſto, aliiſque Scriptoribus primi nominis; & merito quidem; nam meretur magnas laudes ob multiplex eloquentiæ genus, ob varia, & complura Opera, ob litteraturam politiorem, quibus ornamentis ita excelluit, ut pares utinam ſemper haberet multos Senatus Purpuratorum. A Taſſono par Boccaccio hetruſca lingua judica-

Digitized by Google

catur; a Gyraldo optimus imitator optimorum Auctorum, & ſummus habetur in carminibus latinis: quare a præcipuis ſui ævi Scriptoribus, ſummis laudibus celebratur. Cynthius Gyraldus, Joannes Ambroſius Perſona, Hieronymus Burgus, Julius Cæſar Scaliger, Germani Audeberti Aurelii, Jo: Aurelii Mutii, ac Reſtaureus Antonereus apud Gaddum, aliique ejuſdem Cardinalis laudes cecinere.

Petri Bembi vitam ſcripſit, ut refert Victorellus, Ludovicus Beccatellus quam M. S. ſe vidiſſe affirmat in Bibliotheca Vaticana, in qua etiam extat volumen Epiſtolar. Eccleſiaſticar. pariter M. S.

XXIII. ANdreas Cornelius junior, ex patritia Corneliorum ſtirpe Venetiis clariſſima, Franciſci Cardinalis ex fratre nepos excelluit ingenio, prudentia in rebus agendis, & liberalitate, Archiepiſcopus Spalatenſis Lateranenſi Synodo ſub Leone X. celebratæ, & Congregationi Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Sacello Palatii Apoſtolici ad excutienda, quæ in undecima Seſſione pertractanda erant, ex Andrea Victorello interfuit. At Andreas ille, alter ab hoc noſtro, pace ſua dixerim, fuit; nam ille Marci Cornelii frater, hic nepos; ille Leonis X. temporibus Archiepiſcopus Spalatenſis; hic Eccleſiam illam jam purpura donatus defuncto Andrea patruo a Julio III. obtinuit, & Concilii Tridentini Seſſionibus ſextæ, ſeptimæ, & octavæ Præſul Spalatenſis, & Cardinalis affuit. Ex Cameræ Apoſtolicæ Clerico annos tantum viginti tres natus, Brixienſis Epiſcopus primo, deinde Diaconus Cardinalis S. Theodori a Paulo, poſtea S. Mariæ in Dominica a Julio ſucceſſore, & Archiepiſcopus Spalatenſis, ſub quo etiam legationis munere functus eſt in provincia Patrimonii.

Dum adhuc virili ætate floreret, e vita migravit Romæ ſub eodem Julio III. cujus Comitiis interfuerat, die 30. Januarii anni 1551. corpus ad S. Auguſtini delatum, poſtea Venetias translatum in majorum ſuorum tumulo in Eccleſia S. Georgio ſacra reconditum fuit prope patruum.

Ex Ciaconio habemus ANDREAM CORNELIUM S. Theodori; ex monumentis vero Vaticanis S. Mariæ in Dominica Diaconum Cardinalem obiiſſe. ANDREÆ CORNELIO Cardinali litteras Italico ſermone dedit Claudius Tolomejus.

XXIV. FR. ALOYSIUS CORNELIUS patritius Venetus, Georgii filius, Catharinæ Cypriæ Reginæ, a qua reſpublica Veneta regnum illud dono accepit, pronepos; Marci Alexandri VI. & Franciſci Clementis VII. Cardinalium ex fratre nepos; Andreæ item Pauli III. Cardinalis conſobrinus, Federici Sixti V. item Cardinalis germanus frater, ac tandem Franciſci Clementis VIII. pariter Cardinalis patruus, pridie Idus Februarii anno 1516. natus eſt. Is habitu, & cruce militaris religionis S. Joannis Hieroſolymitani ſumptis, poſt præclara in patria patrata facinora, dignus, cui regni Cyprii Prioratus commendaretur, a Magno religionis Magiſtro dijudicatus fuit; qua dignitate ad majores aditu ſibi patefacto, electus primo Archiepiſcopus Jaderenſis, deinde a Julio III. ad Cardinalatus faſtigium evectus, Eccleſiæ S. Theodori Diaconus primo, deinde Presbyter præfuit; mox Franciſco Cardinale Piſano cedente ſub ea conditione, ut ſibi dum viveret, in D. Marci ædibus habitare liceret, ad titulum S. Marci gradum fecit. Epiſcopatum Bergomenſem, Archiepiſcopatum Traguri enſem, ac Tranenſem ſumma prudentia adminiſtravit; Pius enim IV. Bergomenſis Epiſcopatus Adminiſtratorem, die 13. Martii anno 1560. allegit: quam ille Eccleſiam cum breviori mora adminiſtraſſet, in Federicum nepotem illam tranſtulit. Sub eodem Pontifice Caroli Cardinalis Carrafæ rei capitis judicio præfuit: Reipublicæ Venetæ nomine Pium V. ſupplex oravit, ut eidem contra Selimum Cypri regni occupare minantem ferret opem, quam paulo poſt inito cum Philippo Hiſpaniarum Rege, & eadem Republica impetravit. Cui idem Pius, ut pecuniam uberiorem pro eo bello colligeret, Camerariatus officium Fr. Michaeli Cardinali Alexandrino poſt obitum Vitellotii Vitellii conceſſum, ſolu-

lutis ſeptuaginta millibus aureis contulit; eundemque anno 1571. ad alienandos cenſus bonis Eccleſiaſticis impoſitos, cum aliis octo Cardinalibus deputavit. Sæpe ſæpius Comitiis Pontificiis interfuit, illis videlicet, in quibus ad ſummum Pontificatus apicem, Cardinalium ſuffragiis evecti ſunt, Marcellus II. Paulus IV. Pius V. & Gregorius XIII. ſub quo anno Pontificatus duodecimo, ſalutis 1584. die Jovis, feſto Aſcenſionis Domini, VI. Idus Maji hora decima quarta, ſeu decima nona ex hujus fluctuantis vitæ procellis ad pacatam cœli quietem tranſivit. Sepultus in S. Mariæ Trivii olim Cruciferorum Miniſtrorum Infirmorum Eccleſia, in pavimento marmoreo lapide, & ſequenti elogio.

D. O. M.
ALOYSIO CORNELIO VEN.
TIT. S. MARCI PRESB. CARDINALI
S. R. E. CAMERARIO
VIXIT ANN. LXVII. MEN. II. DIES XXVII.
OBIIT VI. IDUS MAJI
MDLXXXIV.

Fuit ALOYSIUS quartus ordine inter Purpuratos Corneliæ gentis Patres, qui ad ſuam uſque ætatem non minori virtutum, quàm majorum nobilitate inſignes, ſacri Collegii Senatores optimi floruerunt. De tanto viro Janus Vitalis hæc ſcripſit.

Ocia non melius laſſis indicere Muſis
Quàm poteram auſpiciis Stirps generoſa tuis.
CORNELI *claros Atavos de gente vetuſta*
Nam tibi Scipiadum maxima ROMA *dedit.*
Majoreſque tui Adriacas coluere lacunas,
Publica quæ VENETUM *res viget inter aquas.*
Hinc tibi mox genus, atque domus, patriique penates,
Hinc vitæ hauſiſti prima alimenta tuæ.
Deniqu: ROMA *ſibi te mater priſca popoſcit,*
Purpureoque tuum cinxit honore caput:
Ut quæ per gentis horrentia fulmina veſtræ
Disjecit Libyam fortis, & Heſperiam

Non

Non omnino ingrata fuit, tibi reddet honores,
Quaſque aliis laudum parca negavit opes.
Pluraque non dederit tibi, plurima danda, reponit
Præmia ſplendori luminis apta tui.

Marius Petruſcus Julii filius Aloysio Cornelio Orationem, quam in æde S. Euſtachii de litterarum ornamentis, ac laudibus habuit, inſcripſit. Eidem litteras dedit Julius Petruſcus Marii pater, quæ Romæ in lucem editæ anno 1571. inveniuntur.

XXV. Marcus Antonius Amulius patritius Venetus, natus anno ſalutis 1505. pridie Idus Februarii hora poſt meridiem, eximiam eloquentiam, civilium rerum ſingularem peritiam, & multiplicem doctrinam jam inde a prima ætate aſſecutus, pro patria Reipublicæ civitates prudenter rexit, Legationibuſque apud diverſos Principes diverſis temporibus functus eſt, & præſertim apud Carolum V. Cæſarem, Philippum II. Hiſpaniarum Regem, & Pium IV. Romanum Pontificem, apud quem auctoritatis, & honoris locum illum obtinuit, ut nihil prorſus Pontifex niſi de Amulii conſilio ageret. Cujus ſingularia merita ampliſſimis dignitatibus remuneratione digniſſima cum gratus Pontifex judicaſſet, Veronenſem Eccleſiam ipſi Marco Antonio conferendam ſtatuerat, ſed Senatus Venetus re perſpecta, id graviter ferens, quod antiquiſſimis legibus, quibus Oratores ullam dignitatem accipere prohibebatur, adverſaretur, Hieronymo Soranzo illi ſucceſſore decreto, Marcum Antonium ab officio revocat. Ob id commotus, & offenſus Pontifex ad Senatum litteris manu propria ſcriptis affirmavit, quæ in Amulii perſonam agere ipſe propoſuerat, omnino illi ignota fuiſſe, atque ob id nil contra patrias leges egiſſe; quare, ut priſtinæ dignitati reſtitueretur, etiam, atque etiam eundem Senatum rogabat. Obtinuit quod petierat Pius a Senatu, qui eundem priſtinæ dignitati reſtituit, & honorifico quingentorum aureorum dono donavit. Hunc paulo poſt idem Pius nil tale co-

cogitantem, imo invitum, ut in publico Conſiſtorio Pius ipſe affirmavit, S. R. E. Diaconum Cardinalem, poſtea Presbyterum S. Marcelli pronunciavit. Quod ægre tulit reſpublica Veneta, quæ AMULII propinquis prohibuit, ne ullum lætitiæ ſignum publicum darent, neque quoad vixit, cum ipſo, & ejus gente reconciliari, licet ipſe enixe multoties tentaverit, voluit: tota tamen reſpublica Chriſtiana de nova tanti viri dignitate lætata eſt. Epiſcopus poſtea Reatinus ab eodem Pontifice, mox Apoſtolici Palatii Bibliothecarius, atque ad coercendas Tyberis inundationes cum aliis Cardinalibus electus, cum Cardinale Alexandrino, poſtea Romano Pontifice, Abdiſu Patriarchæ Muzale Orientalis Aſſyriæ, qui, ut Apoſtolorum limina, & Pium Pontificem ſalutaret, Romam venerat, Romanæ, & Catholicæ fidei profeſſionem excepit, eumque Romæ agentem fovit, ac in patriam redeuntem, ut a Pio pretioſis muneribus liberaliſſime donaretur, auctor extitit. Editurus Pius Conſtitutionem contra Apoſtolicæ ſedis Nuncios litteras a Principibus extorquentes ad Vaticani Senatus dignitatem aſſequendam, a Cardinalibus Morono, S. Clementis, & AMULIO conſcribi præcepit. Quem etiam cum Morono, Farneſio, Ferrarienſi, ac ſororum ſuarum filiis delegit, ut neceſſaria ad Turcas repellendos compararent; caverentque, ne eorum claſſis oram noſtram maritimam læderet. Eidem a Pio V. cujus Comitiis interfuerat, uti etiam Simonettæ, & Vitellotio Cardinalibus Agriculturæ cura demandata eſt.

Romæ anno Virginei partus 1570. Pii Pontificatus quinto, ætatis 65. iij. Idus Martii, die Lunæ e vita migravit: corpus in S. Jacobi Hiſpanorum depoſitum, Venetias poſtea translatum, in S. Job, ordinis fratrum Minorum de Obſervantia in Sacrario ſine ulla ſepulchrali inſcriptione conditur.

Scripſit AMULIUS Epiſtolas plures familiares, quarum aliquæ editæ inveniuntur inter litteras Virorum illuſtrium, ut ſunt illæ ad Aloyſium Melchiorum.

Orationes item Italicas, & Latinas.

Tra-

Tractatum de ſublimi genere dicendi.

De Amulio Cardinali præclarum teſtimonium extant Epiſtolæ familiares Petri Cardinalis Bembi inter ſuas lib. 2. & altera Julii Petruſci.

De illo Marianus Victorius Reatinus in nuncupatoria Epiſtola operum S. Hieronymi ad Pium IV. hæc habet: *Ut Sanctorum veterum libri Romæ excuderentur, magno cum judicio addidit Pius IV. ad hanc rem præter alios ornatiſſimos Proceres*, M. Antonii Amulii *ampliſſimi Cardinalis, patriæ meæ Epiſcopi, viri omni laude cumulati vigilantiam pariter, & protectionem. Ita enim is ad hoc opus ſuſtentandum, promovendumque intentus, & aſſiduus eſt; ut deſiderari in eo non poſſit amplius.*

Patavii hic, ut refert Victorellus, ad Pratum vallis Collegium Venetæ nobilitatis adoleſcentibus erexit: Hujus Cardinalis numiſma extat cum ipſius effigie, & nomine tantum ſic expreſſo: M. Antonius Amulius Card.

FINIS I. PARTIS DECADIS TERTIÆ

CARDINALIUM VENETORUM.

TIARÆ ET PURPURÆ
VENETÆ

PARS SECUNDA

ELOGIA COMPLECTITUR

CARDINALIUM VENETORUM

Ex Ciacconii & Guarnaccii fundo deprompta,

A BERNARDO NAVAGERIO ad CAROLUM REZZONICUM.

Qui in Guarnacciano Opere ex Venetis Cardinalibus ultimus eſt, quique ad SUMMI PONTIFICATUS *apicem Divino plane conſilio evectus, univerſam feliciter moderatur Eccleſiam.*

Digitized by Google

III. DECAS CARDINALIUM

AB AN. 1561. AD AN. 1585.

XXVI. BERNARDUS NAVAGERIUS patritius Venetus, Andreæ filius, natus anno 1507. optime educatus a puero cum jam humaniores litteras in patria didiciſſet, Philoſophiæ, quam Marcus Antonius Genua, & Vincentius Madius publice docebant Patavii, diligenter operam navavit. Adoleſcens Venetiis cauſas cum laude egit: & ad publicas res animo adjecto, ordinum Sapiens creatus, eo in munere magnam eloquentiæ laudem eſt adeptus. Andreas Grittus Dux Venetorum inſignis laudari ab illo in funere petiit, & conſcriptam laudationem non ſemel audire voluit. Cum Marco Antonio Amulio ad Dalmatiam ſublevandam miſſus a Senatu, tum ſolus ad Herculem Gonzagam Cardinalem Mantuam mortuo fratre dum hæres adoleſceret, regentem. Militiæ etiam Conſultor, deinde ad Carolum V. Orator, a cujus colloquio ſe prudentiorem ſemper redire affirmabat: ab illa reverſus legatione præfuit annonæ, legum cuſtos fuit, & Patavinos Prætor rexit. Annum agens 38. ad Henricum Galliæ Regem Taurinum profectum, nondum abſoluto Prætoris munere Legatus; tum Byzantium miſſus, ut Reip. nomine cum Rege Turcarum ageret, opes inde non retulit, pecuniæ enim non erat cupidus, quamvis uxorem, & filios haberet, nec dives eſſet; Delatam Angliæ legationem moriente Rege non obivit: e Collegio Decemvirum unus aliquando fuit, & Patavino gymnaſio præfuit. Apud Paulum IV. Romanum Pontificem Reip. Oratoris munus geſſit; abſens Conſilii Sapiens, & Conſiliarius, mox Legatus ad Ferdinandum Imperatorem, deinde ad Franciſcum II. Galliæ Regem cum Nicolao Pontio. Reverſus Conſilii Sapiens erat, cum inopinato, & præter omnem cogitationem ex

Caroli Card. Borromæi litteris agnovit, ſe a Pio IV. Romanæ additum purpuræ, obierat enim ante aliquot annos uxor. Vocatus a Pio, menſe Majo Romam ſe contulit, ubi S. Pancratii Eccleſiæ Diaconus primo, mox Præsbiter præfuit: e S. Pancratii titulo ad S. Nicolai in Carcere, tum ad S. Suſannæ gradum fecit, & anno 1562. jubente eodem Pio Epiſcopatum Veronenſem adminiſtrandum ſuſcepit. In ſacro Cardinalium Senatu tam egregie ſententiam dicebat ſuam, ut Carolo Card. Borromæo teſte, Patres, & Pium in admirationem adduceret: gratiſſimus erat eidem Pio; a quo anno 1563. ad Concilium Tridentinum, non in Seripandi Cardinalis, & Legati Defuncti, ut aliqui ſcripſere, ſed in Marci Sitici Cardinalis Altaempſi loco, de Latere miſſus IV. Kalend. Maii ejuſdem anni ingreſſus eſt. Cui Concilio impoſito fine, indulgente Pio, ſponſæ deſiderio captus Veronam, Venetorum Patriarcha Coadjutore Aquilejenſi Daniele Barbaro, & decem Epiſcopis comitantibus adiit; conſpectis Veronæ mænibus dixit: *Hæc requies mea hic habitabo*. Die 9. Decembris anni 1563. urbem ingreſſus eſt ingenti omnium lætitia, altera vero die in Cathedrali exceptus eſt oratione, quam Cleri Veronenſis nomine habuit Vincentius Ciconia.

Civitatis nomine aliam habuiſſe orationem Franciſcum Morandum Adamus Fumanus Canonicus Veronenſis in ſuis monumentis retulit, quæ cum multa ſcitu digna mihi videantur continere, hic ad verbum ex Ughellio ſubjungo.

Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Bernardus Navagerius Card. tit. S. Nicolai inter Imagines, & Sedis Apoſtolicæ ad Concilium Tridentinum Legatus, eo abſoluto, die 4. rediens Veronam hora 22. ingreſſus eſt, & una cum eo venere infraſcripti duodecim Rev. Prælati Patr. Aquil. Daniel Barbarus, Joannes Treviſanus Patr. Venet., Petrus Landus Archiepiſcopus Cretenſis, Antonius Juſtinianus Chien. Archiepiſcopus Naxienſis, Dionyſius Græcus Melipotanen. Epiſcopus ſenior, Thomas Caſella Epiſcopus Cavenſis, Timotheus Juſtinianus Epiſcopus Calamonenſis, Marcus Laureus Tro-

Tropienſis Epiſcopus Campanienſis, Jacobus Surretus Græcus Epiſcopus Melipotanenſis junior, Jacobus Naclantus Epiſcopus Clodienſis, Hieronymus Nicheſola Epiſcopus Theanen.

Die Veneris 10. *menſe Decemb.* 1563.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Card. Navagerius ſupradictus, & perpetuus Adminiſtrator Eccleſiæ Veronenſis mane ingreſſus eſt Eccleſiam Cathedralem, & ex ſuggeſtu ipſius publico nomine totius Civitatis habita eſt ad illum oratio pulcherima ab Excellentiſſimo Doctore D. Franciſco Morando, qua finita ingreſſus eſt chorum, & Miſſam ſolemnem celebravit Reverendiſſimus in Chriſto P. Fr. Hieronymus Nicheſola Epiſcop. Theanen. præſentibus infraſcriptis Reverendiſſ. Prælatis Daniele Barbaro Pat. electo Aquilejen., Petro Lando Archiep. Cretenſi, Antonio Juſtiniano Chien. Ord. Prædicatorum Archiep. Naxienſi, Sigiſmundo Sarraceno Neapolitano Archiep. Materanen., Dionyſio Græco Epiſcopo Melipotanenſi ſeniore, Thoma Caſella Ord. Prædic. Epiſcopo Caven. juniore, Julio Cappellata Placent. Epiſcopo Laquéduſien., Annibale Sarraceno Epiſcopo Liccienſi, Auguſtino Loſco Hiſpano Abbate S. Benedicti de Ferraria Cong. Caſſinen., Stephano Cattaneo Novarienſi Abb. Gravar. Placentin. diæceſ. Cong. Caſſinen. omnibus a latere dextro. A ſiniſtro autem Joan. Triviſano Patriarcha Venetiarum, Jo: Baptiſta Caſtaneo Romano Archiep. Roſſan. qui poſtea fuit Urbanus Papa VII, Gaſpare de Foſſo Archiep. Rhegien., Antonio Canco Archiep. Corcyr., Jacobo Naclando Ord. Prædic. Epiſc. Clodienſi, Ægidio Foſcarario Bonon. Epiſcopo Mutinenſi, Timotheo Juſtiniano Chien. Ord. Prædicatorum Epiſcopo Calamonenſi, Marco Lauro Tropienſe Ord. Prædic. Epiſcopo Campanienſi, Jacobo Surreto Greco Epiſcopo Melipotanenſi juniore.

Die Sabbati 11. *Decemb.* 1563.

Mane orationem ex ſuggeſtu Dominico habuit ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Bernardum Navagerium Legatum, & Adminiſtratorem perpetuum Eccleſiæ Veronenſis nomine totius Cleri Don. Vincentius Ciconius Rector Eccleſiæ Parochialis S. Zenonis Oratorii. Qua fini-

finita, Miſſam celebravit ad altare majus Reverendiſſimus in Chriſto Pater D. Petrus Landus Archiepiſcopus Cretenſis, ſedente ipſo D. Cardinale in ſede ſua Pontificali, a cujus dextris aſtabant Reverendiſſimi infraſcripti, Daniel Barbarus Pat. Aquil. electus, P. Ant. de Capua Neap. Archiepiſcopus Hydruntinus, Paulus Æmilius Verallus Romanus, olim Archiepiſcopus Roſſanen. nunc Epiſcopus Caputaquen., Dionyſius Græcus Ordinis S. Franciſci Conventualium Epiſcopus Melipotanen., Thomas Caſella Ord. Prædicatorum Epiſcopus Caven., Jo: Antonius Bononien. qui poſtea fuit Innocentius Papa IX. Epiſcopus Nicaſtrienſis. A ſiniſtris vero Joannes Triviſanus Pat. Venet., Antonius Juſtinianus Chien. Archiepiſcop. Naxienſis, Jacobus Naclantus Florent. Epiſcopus Clodienſis, ambo Ordinis Prædicat., Marcus Lauretus Epiſcopus Campanienſis Ord. Præd., Timotheus Juſtinianus Chien. Ord. etiam ipſe Præd. Epiſcopus Calamonen., Jacobus Surretus Græcus Epiſc. Melipotanenſis Ord. Minorum de Obſervantia.

Die Dominico 12. menſ. ſupraſcript. Miſſam celebravit peracta prædicatione Revedrendiſſ. Patriarcha Venetus; a dextris autem Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Card. aſtabant Patriar. Aquil., Archiepiſcopus Panormitanus Ord. Franciſcanorum, Epiſcopus Pientinus, Dionyſius Græcus Epiſcopus Melipotanenſi ſenior; Epiſcopus Campanienſis, Epiſcopus Groſſetanus. A ſiniſtris vero Archiepiſcopus Cretenſis, Archiepiſcopus Naxienſis, Epiſcopus Clodienſis, Epiſcopus Calamonenſis, Epiſcopus Melipotanenſis junior, Epiſcopus Cluſinus, Epiſcopus Alexanenſis, Epiſcopus Capuanus, Epiſcopus Pennenſis.

Die Dominico 19. menſ. ſupr. 1563. Illuſtriſſ. & Rev. Don. Cardin. Navagerius perpetuus Adminiſtrator Eccleſiæ Veronenſis audita prædicatione ingreſſus eſt chorum, in quo celebravit Miſſam Hon. D. Paulus Julianus Manſionarius Eccleſiæ, & a dextra D. Card. in ſedibus Canonicalibus aſtabant Reverendiſſimi D.D. Oſſenſis, & Ilerdenſis Epiſcopi, fratres ambo germani, & a ſiniſtra itidem Reverendiſſimi Epiſcopi Barchionen. & Uſellenſis.

Ber-

Bernardus ergo inita poſſeſſione, Diæceſanaque Synodo celebrata, erudita oratione Clerum adhortatus eſt ad obſervantiam Decretorum Tridentini Concilii, totoque pectore in corrigendis Sacerdotum moribus, diſciplinaque Eccleſiaſtica inſtauranda incubuit. Majora quoque patraſſet, ni ſubita oculorum cæcitate oppreſſus Eccleſiæ regimen relinquere coactus fuiſſet. Coadjutore igitur ex permiſſione ſummi Pontificis ſibi facto cum futura ſucceſſione Auguſtino Valerio patritio Veneto, ſororis filio, quem vitæ integritate, litterarum cognitione celeberrimum Gregorius XIII. merito in Purpuratorum Patrum numerum adſcivit; ipſe ſubita oculorum cæcitate preſſus, pauloque poſt ſubita morte correptus, Veronæ pridie Kal. Junii, ſeu ut alii volunt, VII. Kal. Julii anno 1565. Pontificatus ſexto, ætatis 59. die Jovis obdormivit in Domino: Cujus corpus in pavimento Eccleſiæ Cathedralis ante chorum ſepulturæ traditum, marmoreo lapide, in quo inſculptum legitur ſequens epitaphium, cooperitur:

BERNARDI NAVAGERII CARDINALIS
PERPETUI ECCLESIÆ VERONENSIS ADMINISTRATORIS
OSSA.

Ut ponerentur in majore Templo Veronenſi juſſu Bernardi Valerii factus eſt hic titulus:

BERNARDUS NAVAGERIUS CARDINALIS
VIRTUTE SPECTATISSIMUS, ET SANCTITATE
HIC POSITUS EST.
V. ANNIS LIIX. M. IV. D. XIIX.

Vincentium Ciconiam in funere laudatorem habuit: floruit enim Bernardus præſtanti ingenio, acri judicio, ſingulari prudentia, ſuaviſſimis moribus, uſu rerum, & eloquentia: Diæceſanam Synodum habuit, Clerum inſigni oratione lacrymas a nonnullis exprimente ad decreta Concilii Tridentini ſervanda hortatus eſt. Petrus Valerius Auguſtini Cardinalis nepos Vitam Navagerii Cardinalis ab eodem Auguſtino ſcriptam edidit, ſed ante purpuram.

Scripſit Bernardus ex Petramellario carmina multa, quo-

quorum aliqua habes in Illuſtrium Poetarum Italorum tomo primo: & Orationes nonnullas, inter quas eſt illa ad Paulum IV. habita, cum Reipublicæ Venetæ nomine obedientiam exhiberet.

Scripſit etiam relationem de reditu legationis ſuæ Romanæ, ac Senatui Veneto dedit quam extare Mss. Patavii in Bibliotheca Nicolai Treviſani ex Bibliothecis Patavinis Jacobi Philippi Tomaſini refert Ludovicus Jacobus a S. Carolo in libro ſecundo Bibliothecæ Pontificiæ. Deſcripſit etiam Relationem Vitæ Pauli IV. quæ an alia ſit a ſuperiori, prorſus ignoro: illius meminit, ut diximus, Tomaſinus, ac Ludovicus Jacobus a S. Carolo, & Sfortia Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini.

Extat ejuſdem Relatio redeuntis a legatione Conſtantinopolitana anno 1552., in qua fuſe, prudenter, ac libere diſſerit de Solymano Turcarum Imperatore, de ejus filiis, & primariis Conſiliariis. Illuſtratur Epiſtola nuncupatoria Caroli Sigonii.

XXVII. ALOYSIUS PISANUS patritius Venetus, Franciſci Piſani Cardinalis ex fratre nepos, admodum juvenis, cum nulla in eo deſideraretur virtus, patruo Cardinale renunciante, Patavinam Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit anno 1528. quam dum vixit, ſumma prudentia, ac felici auſpicio rexit. Ad Concilium Tridentinum cum aliis doctrina præſtantibus Epiſcopis ſub Pio IV. ex Petramellario miſſus; at illum in ſerie Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ejuſdem Concilii recenſitum non invenio. Ab eodem tamen Pio non multo poſt Apoſtolicæ Cameræ Clericus, Præſidens, & intercedente eodem Patruo, atque in virtutum ſuarum ubique patentium præmium, contra illos, qui ſcripſere, Aloyſium corporis obæſi, atque ingenii docilis, præter id, quod erat Franciſci Cardinalis, tunc temporis Sacri Collegii Decani nepos, nihil ad hanc dignitatem conſequendam attuliſſe, abſens, Presbyter Car-

Digitized by Google

Cardinalis titulo S. Vitalis, alias Veſtinæ renunciatus, dictus eſt Cardinalis Piſanus Junior, ſeu ab Eccleſia, cui præerat, Cardinalis Patavinus. Interfuit Comitiis Pii V., ſub quo, anno redemptionis humanæ 1570. Pontificatus quinto, ætatis 45. pridie Kalendas Junii, die Mercurii Venetiis ad Dominum migravit. Cadaver tumulatum in Æde S. Mariæ Gratiarum appellatæ, prope paternam domum, quæ extat in Inſula parva apud Urbem Venetam ante aram principem in pavimento, cum ſequenti epitaphio:

ALOYSIO PISANO CARD.
SORORES PIENTISSIMÆ
EX TESTAMENTO POSUERE
OBIIT ANNO MDLXX.

Patavii Sacrarum Virginum S. Marci Monaſterium condidit, uti Deo dicatæ Virgines alerentur. Cabrera in ſerie Cardinalium, qui interfuerunt Comitiis Pii V. Aloyſium Piſanum recenſet cum titulo S. Pancratii; in Catalogo vero Cardinalium, qui ſub Pio e vivis exceſſere eundem nominat ſub titulo S. Vitalis; quare S. Pancratii titulum per errorem, ſeu amanuenſium, ſeu typographi Aloyſio datum putamus.

XXVIII. JOANNES FRANCISCUS COMMENDONUS Venetus, anno ſalutis 1523. XV. Kal. Aprilis Venetiis natus, liberalibus artibus eruditus, Poetas, Oratoreſque avide ſectatus, Romana, vernaculaque facundia clarus evaſit; ut ipſius orationes utraque lingua conſcriptæ teſtimonium perhibent. Hic ſubtili excellens ingenio in difficillimis negotiis pertractandis, & ad optatum finem perducendis, animum multorum ſibi divinxit. Hunc Julius ſui nominis tertius Romanus Pontifex occaſione nonnullorum Epigrammatum, quæ Commendonus in laudem villæ a Julio ornatæ ſcripſerat, ita amplexus eſt, ut inter familiares aſcitum, in magnis rerum deliberationibus, præſertim obſignandis libellis apud Hie-

Digitized by Google

ronymum Cardinalem Dandinum ad Cæſarem in Belgium anno 1553. Legatum adhibuerit, paulo poſt in Angliam miſit, quando, mortuo Odoardo Fratre, Maria Regina renunciata eſt, ut eam ad regnum in Catholicæ fidei veritatem adhortaretur, ac de rerum ſtatu Pontificem Maximum commoneret; tanta eloquentia, ac prudentia rem totam apud Reginam peregit, ut ab eadem ſyngrapham, qua obedientiam Sedi Apoſtolicæ pollicebatur, & abſolutionem a ſchiſmate petebat, impetrarit. Qui Romam cum Reginæ Oratoribus veniens, cuncta Julio in ſecreto Conſiſtorio patefecit; quare Reginaldus Polus Cardinalis ad expiandum regnum miſſus eſt, ac Commendonus ex Protonotario Apoſtolico Epiſcopus Hadrienſis renunciatus, a Paulo IV. ad Epiſcopatum Zacinthi, & Cephaloniæ translatus eſt. Cum autem ad ejus præſtans ingenium ſingularem eloquentiam, ac non vulgarem doctrinam accederet diuturnus rerum publicarum uſus, & quod optime ſtudia externorum Principum, populorumque, & intimos eorum ſenſus bene cognitos haberet, teneretque, ab eodem Paulo anno ſalutis 1556. ad Venetam Rempublicam legatur, & anno 1561. a Pio IV. ad Ferdinandum electum Imperatorem, ut Epiſcoporum iter ad Concilium promoveret. Conventui Naumbergenſi a Proteſtantibus habito interfuit Electorem Brandemburgenſem, alioſque Germaniæ Principes pro Catholica fide convenit: Fridericum Daniæ, ac Svecum Reges adire juſſus eſt, ut Concilium indiceret: non potuit tamen juſſa adimplere; nam Hæretici impedimento illi fuere, ne optatum legationis ſuæ exitum impetraret. Fridericus enim Daniæ Rex Commendono, qui commeatum accedendi ad eum depoſcerat, neque cum parente ſuo Chriſtiano neque ſecum Pontifici quicquam unquam negotii interceſſiſſe, nec proinde legationis ejus audiendæ ſe cupidum eſſe. Quocirca multis aliis inferioris Germaniæ, nonnulliſque etiam ſuperioris provinciis percurſis, ubique honorifice receptus, cunctiſque illarum Epiſcopis ad Concilium invitatis, Tridentum

ſe

Digitized by Google

ſe recepit: inde ad Regem Romanorum, Legatorum Concilii nomine ſalutandum miſſus eſt.

Romam a Pontifice revocatus, anno 1563. in Poloniam ut legationis Pontificiæ munus apud Sigiſmundum Regem ſubſtineret, dirigitur: illi Synodo Diœceſanæ a Stanislao Hoſio Cardinali habitæ interfuit; piaque omnia inſtituta promovit. Cum verò ab ipſo Stanislao Card. Patres S. I. in Pruſſiam tunc primum accerſiti eſſent, illiſque in Branſbergenſi Civitate Collegium inſtituiſſet, ac dotaſſet, Commendonus Regem ob falſos de Patribus ab Hæreticis ſparſos rumores dubium, ita perhonorifica Patrum apud eundem facta prædicatione diſpoſuit, ut non modò permiſerit, ut iidem in Regnum ingrederentur, verum etiam Vilnenſe Gymnaſium Soc. aſſignavit. Auctor fuit Nicolao Sandero ejuſdem Soc. alumno, quo familiariter utebatur, ut opus præclarum *De viſibili Eccleſiæ Monarchia* inſcriptum conſcriberet. Dum ea fungeretur legatione, a Pio IV. abſens Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis renunciatus, ex Hoſii manibus inſignia Purpurati Patris ſacro Apoſtolorum Petri, & Pauli die ſuſcepit. In eadem tamen provincia remanſit; & poſt annum a Pio V. ſucceſſore in eodem legationis munere confirmatus, e Polonia Auguſtam Vindelicorum, ut Imperialibus a Maximiliano II. electo Romanorum Rege Comitiis, pro Concilii Tridentini Decretis, fidei propagatione, hæreſumque extirpatione, Sedis Apoſtolicæ nomine intereſſet, dirigitur. Juſſerat Pius, ne ſe inconſulto in Comitiis illis quicquam ad Eccleſiaſtica dogmata pertinens ſtatueretur, & Commendono mandaverat, ut Cæſari ipſi, ſiquid ejuſmodi permitteret, abdicationem ab Imperio, & aliis ditionibus denunciaret. A qua tamen ſevera denunciatione, quæ longe maximas turbas commovere potuiſſet, prudentiſſimus Commendonus omnino abſtinens, meruit etiam ab ipſo Pio rebus cognitis cum gratiarum actione laudari.

His peractis in Italiam reverſus, iterum in Germaniam Maximilianum Imperatorem rogatum, ne Augu-

ſtanam Confeſſionem duobus Archiducatus Auſtriæ ordinibus, qui eam inſtantiſſime petebant, concederet, Legatus miſſus eſt. Inde cum Romam repetiiſſet, ab eodem Pio ad Vias publicas Urbis, & Fluminum, ac Tyberis portus inſtaurandos, cum aliis Cardinalibns deputatus eſt; & paulo poſt in Germaniam ad Maximilianum Cæſarem; & in Poloniam ad Sigiſmundum Regem legatur, ut eos adverſus Turcas commoveret. Inter hæc Rege Sigiſmundo defuncto, Cardinali Legato, ne ante electionem novi Regis e provincia illa diſcederet, imperatum eſt: cujus opera multis ſedatis ſeditionibus Henricus Caroli IX. Francorum Regis Frater, Andegavenſium Dux, acerrimus tunc Hæreticorum hoſtis Rex acclamatus eſt. Maxime aptum Commendonum ad Principes in Turcas commovendos Pius exiſtimabat, illique in primis confidebat. Ad eximium enim conſilium, ac præſtans & verſatile ingenium ad omnes magnas res tractandas aptum, ſingularis eloquentiæ, ac neutiquam vulgaris doctrinæ, virtuteſque animi, plurimus, ac diuturnus rerum Germanicarum uſus accedebant.

His legationibus peractis Romam reverſus, anno 1573. Gregorio XIII. Pontifice ex S. Cyriaci ad S. Mariæ Angelorum in Thermis, mox anno 1574. vita functo Aloyſio Cornelio ad S. Marci titul. translatus, Patavii VII. Kal. Januarii anni 1584. ex vigilia obiit, ejuſque corpus ibidem apud Capuccinos jacet cum hoc elogio:

JOANNI. FRANCISCO. TITULI. SANCTI. MARCI
S. R. E. PRESB. CARD. COMMENDONO
ANTONIUS, CAUCUS. PATRITIUS. VENETUS
AVUNCULO. B. M. M. P.
VIXIT. ANNOS. LXI. MENS. IX. DIES VIII.
OBIIT VII. KAL. JANUARII MDLXXXIV.

Præter orationes, & carmina multa, ſcripſit Jo: Franciſcus Relationem Curiæ Romanæ, quam MS. vidi apud plures.

Laudavit olim quoque celebrem hunc Cardinalem eleganti elogio Anton. Quærengus Poeta; laudavit præſtans Hiſtoricus Ubertus Folieta libro II. *De ſacro Fœdere*; &

vir

vir gravis, doctus, diſertuſque Antonius Maria Gratianus Præſul Amerinus libris quatuor de illius Vita nondum in vulgus emiſſis. Laudarunt Paulus Manutius epiſtola tertia libri ſeptimi, & Gabutius in Pio V. Sigiſmundus Poloniæ Rex litteris ad Pium IV. datis anno 1564. die 9. Auguſti Commendoni prudentiam, & dexteritatem commendavit; faſſuſque ſe ab illo librum Concilii Tridentini gratiſſimo animo accepiſſe, operamque ſe daturum promiſit, ut illius inſtituta in regni Templis, & in populi ſubjecti mentibus vigerent. In monumentis Vaticanis hæc de Commendono notata invenio: *Joannes Franciſcus Commendonus Venetus Zacinthi Epiſcop. vir litteratus in litteris humanioribus, modeſtus, & in negotiis gerendis exercitatus, per illud tempus Nuncium Apoſtolicum apud Poloniæ Regem agens, annorum quatuor.*

XXIX. AUGUSTINUS VALERIUS Venetus Patritius, Alberto patre, matre Lucia, Bernardi Navagerii, Pii IV. Cardinalis ſorore filius, Venetiis natus eſt die, qua Chriſti mortem S.R.E. anniverſaria celebritate colit, anno ſal. 1531. Valeria familia ſummi Pontificatus Tiara, & Imperatorio diademate, plurimumque Martyrum palmis antiquitus coruſcavit. Recens ex ea, ſi libet, ſcribit Victorellus, Cajum Pontificem, Gabinium Presbyterum, Claudium, & Maximum Tribunos fratres martyrio inſignes: Suſannam Gabinii, Artemiam Diocletiani filiam, martyrii, & virginitatis laureis coronatus, Præpedignam Claudii uxorem, Alexandrum, & Curiam utriuſque filios eodem martyrii honore cum matre auctos. Serenamque Diocletiani, Caii Pontificis patruelis uxorem, inter Cælites relatam. Græcis, Latiniſque litteris, & humanioribus, ac Philoſophicis ſtudiis ab adoleſcentia apprime excultus Auguſtinus, ſub diſciplina primum Lazari Bonamici, litterarum fere omnium laude noti, Baſiani deinde Landi, & M. Antonii Genuæ præſtantium

tium Philoſophorum, tantosque in ſcientiis omnibus fecit progreſſus, ut duodeviginti tantum annos natus, Lazarum Bonamicum præceptorem ſuum, & litteratorum ſui temporis facile principem Oratione funebri celebrarit: quæ inter alia ejus opera eſt edita; atque a Senatu juſſus, & electus Philoſophiam publice docuerit. Theologiæ deinde, ac Juris, Legumque ſcientiæ navarit operam, & Hebraicæ linguæ cognitionem adeptus eſt. Præterea Poetas, Oratores, & Hiſtoricos pene omnes, ac prudentia, doctrina, & eloquentia excelluit; nam in publico Reip. Conſeſſu ſæpius apte, diſerte, ac ornate diſſeruit, & rerum uſu percelluit edoctus in ſchola, & magiſterio Navagerii avunculi ſui, ſeu cum ille Senator & Orator Venetus Romam ſe contulit, ſeu cum Cardinalis & Legatus Apoſtolicus Concilio Tridentino præfuit. Quem ubique Auguſtinus noſter comitatus eſt, atque ab ejus diſciplina vivendi præcepta hauſit, unde poſtea vitam ejus conſcripſit, ac edidit, annos natus triginta Hebraicam linguam edidicit.

Fuit etiam illi magna, & intima cum S. Carolo Cardinale Borromæo conſuetudo, qui Auguſtinum norat caſtigatiſſimis moribus, & ſumma vitæ integritate præditum: ab illo Academiæ Vaticanæ adſcriptus, *Obediens* dici voluit. Quapropter illo in Conſiſtorio Pontificio referente dimitti a Navagerio Cardinale Veronenſem Eccleſiam, illico Auguſtinus Valerius nepos ei ſuffectus eſt ejuſdem S. Caroli interveniente ſuffragio. At viciſſim Auguſtinus S. Carolum mirifice coluit, dilexit, ac reveritus eſt. Cum enim vitæ duritiem, quamvis ex ſe jam ſatis magnam augere poſtremo ſtatuiſſet S. Carolus, omnemque vini uſum ſibi deinceps interdicere, multique amice, & tamen inſtanter ipſum dehortarentur, ne ſibi hoc modo maturaret, unus ex illis, ait Auctor Vitæ S. Caroli jam ſupra laudatus: *Auguſtinus Epiſcopus Veronenſis pro ſuo ſummo in eum amore ac pietate per epiſtolam ipſi fuſius eo de genere ſcriptam, aquæ potum vehementer improbavit*. Ejus in Epiſcopatu præclare geſta, hiſce fere complectitur verbis

An-

Andreas Victorellus: *Plura ſunt egregia facinora, quæ Auguſtinus Valerius Veronenſis Antiſtes in crediti ſibi populi bonum peregit: humanitate, charitate, concionibus ſacris, precibus, conſilio, officiis omnes piis largitionibus pauperes juvit; ipſorum parens, & tutor appellatus. Graſſante peſte, vitæ prodigus, S. Caroli Cardinalis ſecutus, ac fidelis æmulator languentibus, & morientibus opem laturus aderat; pudicitia, innocentia, juſtitia, animi fortitudine, liberalitate, vigilantiaque enituit. Diſcordiarum faces, & excitata odiorum incendia Veronæ extinxit: Romaque jam ſenex, etiam intempeſtivo anni tempore, ut diſſidia civium, aut nobilium inter ſe componeret, non ſemel, nec fruſtra Veronam properavit: ut merito Veronenſis Civitas tantis ab eo beneficiis affecta, & grata, æneo ſimulacro, laudibuſque inciſo marmore expreſſis, tantæ virtutis, ac vigilantiæ Præſulem publico decreto decorare conſtituerit. Sed & Academici Philarmonici, quorum ipſe Patronus extitit, eorumque diſſertationibus interfuit, ac favit, in quibus & ipſe primas partes tenuit, in eorum congreſſibus, e ditiſſimo reconditæ eruditionis ſuæ promptuario, in promptu, & e re nata depromens, viventem, ac mortuum ſummis laudibus celebrarunt.* Diœceſis vero ſuæ, & gregis Dominici ſaluti invigilans, Synodum quot annis habuit, qua Parochos ſuos per ſe ipſum erudivit ad Sacerdotale munus digne obeundum; Clericorum Seminarium erexit; Noſocomia, & alia pia loca inſtituit: Virginum, ac Viduarum pudicitiæ conſuluit: Judæos Veronæ Chriſtianis permiſtos ſecrevit, ſeptoque loco concluſit: Eam ob rem a populo Veronenſi ex publico decreto ob ingentia beneficia decreta ænea ſtatua cum inſcriptione, quæ Veronenſis populi, & memorem mentem, & Auguſtini Præſulis aſſiduum ſtudium promerendi mortales proloqueretur:

HABES POSTERITAS
QUOD PER TUA SÆCULA GLORIOSE NARRES
MUNICIPES VERONENSES
EX USU PUBLICÆ REI, DIVINÆQUE DIGNITATE
JU-

Digitized by Google

JUDÆOS PER URBEM PALANTES
HUNC IN LOCUM SEPTUM
CERTIS LEGIBUS, SANCTIONIBUS
CONCLUSERUNT.
HAUD ILLUBENTES
ANNO MDIC.
JULIO CÆSARE NOGAROLA COMITE
M. ANT. FONTANELLA JURISCONS. CURANT.
GRATIADEO RAMBALDO
FACTUM HOC IMMORTALE
AUSPICIIS, CONSILIIS, PRÆSENTIAQUE
AUGUSTINI VALERII CARDINALIS
PATRIS VERONÆ
ACCEPTUM REFERTO.

Societatis Jeſu, & S. Franciſci a Paula Religioſos Alumnos, & Clericos Regulares in urbem ſuam Veronenſem invexit: Oratorium in Æde S. Joannis in Fonte inſtituit. Quare tanti Præſulis virtutem a longe cernens Gregorius XIII. oculatiſſimus Princeps, tantaque illum Paſtoralis vigilantiæ cura præpollere, ipſum, ut Dalmatarum mores corrigeret, ac labefactatam in Dalmatia Eccleſiaſticam diſciplinam inſtauraret, elegit, atque in univerſo Venetæ Ditionis Imperio Viſitatorem Apoſtolicum conſtituit; qua de re ſcripſit etiam Paſtorales epiſtolas. De Viſitatione Venetiis peracta fuſe ſatis Auctor Annalium Gregorii XIII. qui etiam Reipublicæ Sapientiſſimæ prudentem Auguſtini induſtriam in eo munere gratam extitiſſe notat. At vertentem inter Canonicos, ac Cives Veronenſes de livellaria juriſdictione diſcordiam, ſumma prudentia, ſummaque charitate, Gregorii XIII. Senatuſque Veneti auctoritate fretus Auguſtinus ſedavit, mutuaque benevolentia, ac pacis vinculo innodavit.

His autem muneribus laudabiliter perfunctus, redditaque ipſi ſummo patrifamilias ſuæ villicationis ratione, ab eodem Pontifice inter Presbyteros Cardinales titulo S. Marci annumeratus eſt; eoſque gradu dignus multo ante a S. Carolo Borromæo judicatus, & pronunciatus: ſic enim

enim de eo ſcribit Carolus a Baſilica Petri in Vita S. Caroli Cardinalis: *Poſt Paſchæ celebritatem, cum Crucis feſtum appropinquaret; invitavit,* [*nempe Carolus*] *Auguſtinum Valerium Epiſcopum Veronenſem, qui paulo ante creatus erat Cardinalis, ad illa ſua ſacroſancti Clavi ſolemnia; propter quæ Duci Mantuano ſe tum excuſavit, ne ad ejus filii nuptias iret. Ita cupiebat optimi Antiſtitis, quem plurimi ſemper fecerat & ampliſſimo honore dignum judicaverat, ſpirituali conſuetudine paululum frui.* Et paulo poſt: *Ab Auguſtino autem, ut alias, ſic eo die impetravit, ut piam veſpere concionem ad Mediolanenſes haberet.* Hac autem dignitate accepta, illiuſque inſignibus Veronam ad ſe a Gregorio Pontifice traſmiſſis, egregiam quoque in majori Æde, ac Templo de Cardinalitiæ dignitatis onere habuit homiliam: qua ſe ipſum ad recte gerendum tanti Magiſtratus officium ferventius excitavit. Mox ab ipſomet Gregorio Romam evocatus, die 7. Januarii anni 1585. publico Conſiſtorio de more, primo affuit Congregationibus S. Officii, Librorum prohibitorum Indicis, & Examinis Epiſcoporum, ſingularis ejus doctrinæ intuitu adſcriptus eſt. At ne minimum quantumlibet detrimentum Veronenſis Eccleſia e ſua abſentia pateretur, quod ſe videret Summo Pontifici ad univerſalis Eccleſiæ negotia, ipſius voluntate affixum, Albertum Valerium fratris filium, Famaguſtanum Antiſtitem, Epiſcopalis Officii adjutorem, Gregorio Papa concedente, adhibuit. Loquebatur Latine expedite, ac dilucide; itaque ejus oratio nitida, profluens, ac ſedato amni ſimilis erat: at cum vulgari ſermone erat dicendum, inveniebatur ſui diſſimilis; nam hæſitabat, & in verbis inveniendis, collocandiſque cum ea ad voluntatem non ſequerentur, hærebat. Nunquam in eo, ſive privato, ſive Cardinali, ſeu Epiſcopo illud ita abſonum, ita abſurdum, ita diſcrepans extitit, quod tantopere reprehenditur, nimium diſſidium cordis, & linguæ.

E titulo S. Marci gradum fecit ad Epiſcopatum Prænestinum, in qua dignitate religioſiſſime Romæ ceſſit e vi-

ta anno Chriſti *1606.* Paulo V. Summo Pontifice, IX. Kal. Junii: ejus corpus in Divi Marci temporario tumulo depoſitum, Veronam inde translatum in primario Templo ſepultum eſt; brevique hoc epitaphio exornatum.

AUGUSTINUS VALERIUS CARDINALIS
EPISCOPUS VERONENSIS
H. S. E
V. T. F. I.

Vixit annos *76.* menſem 1. dies 17. ex quibus unum ſupra quadrageſimum in Epiſcopali Cathedra Veronenſi tranſegit. Franciſcus Pola Juriſconſultor Veronenſis, in Patavino Gymnaſio eruditus Pandectarum explicator, & Academicus Philarmonicus tanti Cardinalis laudes funebri Oratione, quam anno *1606.* Idibus Junii Veronæ in S. Euphemiæ habuit, complexus eſt: immo ejuſdem tumulum ſequenti ornavit elogio:

OSSA
AUGUSTINI VALERII CARDINALIS
SEMPER MEMORABILIS, ET UBIQUE
ROMA HUC TRANSPORTATA JACENT
VIX. ANNIS LXXVI. M. I. D. XVII.
EX QUIBUS XLI. IN HOC EPISCOPATU
OBIIT IX. KALEND. JUNII MDCVI.

Decurionum Veronenſium juſſu, ad ejus ſemiſtatuam marmoream cum gentilitio ſtemmate apud S. Nicolai ſacellum hoc inciſum erat elogium poſitum anno *1639.*

ACCEDE . VIATOR . ACCEDE
SPECTACULUM . ECCE . DIGNUM
AD . QUOD . TUO . INTENTUS . OPERI . RESPICIAS.
AUGUSTINO . VALERIO . CARDIN.
EPISCOPOQUE . VERONENSI
INTUS . QUEM . ET . DEUM.
VIRTUTE . CONCILIANTE . OMNI.
SUMMA . NECESSITUDO . FUIT . SUMMA . SIMILITUDO.
MAGNO . BONO . SUO . ET . DIUTURNO.
PATRONO . SUO . ET . PARENTI.
SPLENDIDISSIMUS . VERONENSIUM . ORDO
IDEMQUE . GRATISSIMUS
DECRETO . SUMPTUQUE . PUBLICO . P.

Quare

Quare merito tantus hic Cardinalis ſummis laudibus a doctiſſimis viris extollitur: & primum a Cabrera, & poſt eum ab Antonio Sandero his verbis in Elogiis Cardinalium: *Ingenio, eloquentia, civilium rerum uſu, & recondita ſacrarum litterarum doctrina, monimentiſque illuſtris, florenſque bis optimi Senatoris artibus, quibus Eccleſiaſtica libertas cuſtoditur, augetur gloria, & conſervatur auctoritas: per quem & Bernardi Cardinalis Navagerii avunculi ſui expreſſa, & adæquata.* Ac poſtremo a Spondano in Annalibus Eccleſiaſticis: *Videtur*, nempe Auguſtinus Cardinalis Valerius *egregius S. Caroli virtutum imitator eximius vir doctrina, & pietate, prudentia, atque humanarum divinarumque rerum ſcientia eruditiſſimus, ac plurimis editis ſcriptis clariſſimus, quem propterea Gregorius Papa XIII. in Cardinalium Collegium meritiſſime adlegit.*

Supra omnes tres inſignes Cardinales Valerium noſtrum miris, ſed meritis exornaverunt præconiis: Gabriel nimirum Palæottus, qui in libro de Sacri Conſiſtorii Conſultationibus: *Eruditiſſimum, & virtutibus, de quibus ſcripſerat, ornatiſſimum, præcipuumque Sacri Collegii Conſiliarium*, appellavit Cæſar Baronius: *Eccleſiam Veronenſem ſuo tempore Auguſtino Valerio, Viro integerrimo, digno Epiſcopo, antiqua probitate, antiquioribus prædeceſſoribus merito comparando, doctrina autem pluribus præferendo illuſtratam* dixit. Ac denique Guido Cardinalis Bentivolus in Diario rerum ſui ad Romanam Curiam adventus tempore geſtarum de Cardinale Valerio noſtro hæc habet: *Illuxit eodem tempore aliud in Eccleſia ſidus, cui nomen fuit Cardinalis a Verona, Epiſcopus Civitatis ejuſdem nominis. Luminis ſui radios ei contulerat Cardinalis Navagerius ejus avunculus, Veronæ olim Epiſcopus, qui a ſummis gradibus honorum Reipublicæ Venetæ evectus fuerat ad ſumma faſtigia dignitatis Eccleſiaſticæ, effeceratque ſumma cura, ut nepos dignus eſſet hæres ſuarum virtutum. Hic itaque factus Epiſcopus Veronæ in locum avunculi præter domeſtici exempli fulgorem, alterius luminis ſplendore fuit illu-*

illuſtratus, S. Carolum Borromæum intelligo, apud quem magno fuit in bonore: ita ut ejuſdem conſilio Veronenſis Epiſcopus creatus ſit Cardinalis a Gregorio XIII. propter eximias ejus virtutes. Quando Romam veni erat idem ille Cardinalis ætate provectus, jamque ſeptuageſimum attigerat annum, ſupervixitque adbuc ſex annis, præſtans forma corporis; morum integritate eximius, atque venerandus, pectoriſque admodum ſinceri, & candidi vir, totus Eccleſiaſticæ vitæ addictus. Erat is quaſi unus ex numero Epiſcoporum naſcentis Eccleſiæ, junxeratque cum pietate ſummam eruditionem in omni genere litteraturæ, politioris præſertim: ſcribebat ſtylo Latino ad perfectum Ciceronis exemplum, ſibique famam magnam fecerat librorum doctiſſimorum compoſitione.

Supra centum, ac viginti Opuſcula Latino ſermone Auguſtinus Cardinalis Valerius, atque eadem lingua undeviginti Dialogos ſcripſit. Complura alia tum Latine, tum vernacule, quorum argumentum nullum eſt aliud niſi de rebus ſacris, vel ad mores componendos: quæ autem a Cardinalium Nomenclatore referuntur, ſunt:

Orationes in funere Lazari Bonamici Præceptori ſui.

In funere Petri Landi, Marci Antonii Triviſani, Franciſci Donati Ducum Venetiarum.

Epiſtola conſolatoria ad M. Antonium Genuam in obitu ejus filii anno ætatis 20.

Libellus inſcriptus: *Petrus Franciſcus Contarenus Patriarcba*.

Somnium ad Marinum Grimanum.

Itinerarium poſt reditum Roma, ubi fuerat cum avunculo Legato a Rep. miſſo ad obedientiam præſtandam Paulo IV. Pont.

Libellus, qua ratione in Ariſtotele verſandum eſſet, ad Leonardum Donatum inſcriptus.

Contra Barbariem.

Panegyricus Reipublicæ Venetæ ad Aloyſium Contarenum, anno ætatis 25.

De

De ſtudiis, in quibus juvenis Venetus præcipue verſari debet, ad eundem Contarenum.

De moribus, qui in Veneto laudantur, ad Bernardum Zane.

De ſcribendis Epiſtolis, ad Gaſparem Contarenum.

Libellus hortatorius, ad Juſtinianum Contarenum.

De ratione ſtudiorum, ad Laurentium Priulum.

De Tempore Libellus. Alius de Loco.

Meditationes quædam anno ætatis 28. ſcriptæ.

Præfationes nonnullæ habitæ in Gymnaſio Veneto, cum delectus fuit a Senatu ad Philoſophiam nobilibus adoleſcentibus explicandam.

De recta Philoſophandi ratione libri 2.

De Commentariis conficiendis, ad Aloyſium Contarenum.

De ambitione Dialogus ad Joannem Grittum.

Epiſtola in laudem libri Hieronymi Oſorii de Juſtitia.

Libellus, quo probat, Argumenta Ariſtotelis pro Mundi æternitate refelli poſſe. Item de Animorum Immortalitate.

Alius hortatorius ad Nicolaum Barbadicum, ut more Majorum cauſas Venetiis ageret.

De Conſolatione ad eundem in morte fratris.

Opuſculum, quo Juris Cæſarei, & Pontificii ſtudium, ſtudiis Philoſophiæ præfert, ad Julium Guidam.

De Conſolatione opus non abſolutum.

Dialogus de fugiendis honoribus ad Bernardum Navagerium avunculum.

Convivium noctium Vaticanarum Romæ.

De utilitate, quæ ab illis, qui Romæ vivunt, percipi poteſt, ad Carolum Cardinalem Borromæum.

Epiſtola conſolatoria ad eundem in obitu ejus fratris.

Translatio in latinum Libelli S. Baſilii de virginitate non abſolutum anno 1562.

Sermones quamplurimi Italico ſermone habiti Veronæ in Congregationibus, in Synodis, in Viſitationibus ad Moniales &c.

Ser-

Sermones ad populum ex ſuggeſtu in Eccleſia Cath. Veronen.

De diſciplina Acolytorum libri duo editi.

Opuſculum de legatione ad Aloyſium Contarenum.

Libellus ad Nicolaum Thomiſcum Polonum quatenus cum Hæreticis eſſet verſandum.

Vita Cardinalis Navagerii avunculi ad Joannem Aloyſium ejus fratrem.

De Rhetorica Eccleſiaſtica libri tres editi.

Prælectiones tres ad Rhetoricam, editæ.

Libellus de nefario auſu in Cardinalem Borromæum.

Epiſcopus, ad Cardinalem Borromæum.

Homiliæ pluſquam centum in Evangelia ſecundum ritum Ambroſianum.

Libellus de amiſſa Nicoſia ad Philippum Mocenigum Archiep.

Cardinalis, ad Cardinalem Caraffam.

Libellus, in quo complexus eſt omnia, quæ acciderunt Veronæ tempore peſtilentiæ, editus anno 1575.

Liber de ſtatu earum, quæ virginitatem cuſtodiunt, ad Donatam ſororem. Item de Viduis, Italica lingua.

De ſtatu Monialium, ad Moniales Veronenſes, Italica lingua.

De conſcribenda Hiſtoria ad Aloyſium Contarenum Equitem, Italica lingua.

Libellus ad Nicolaum Barbadicum, qua ratione Bayli munus pro Republica Veneta Bizantii obeundum ſibi eſſet.

Libellus inſcriptus Memoriale ad Aloyſium Contarenum, Italica lingua.

Libellus ad Jacobum Surianum Congregationis Theatinorum, in quo oſtendit rationibus quamplurimis, Religioſorum vitam Senatoriæ vitæ præferendam eſſe, Italica lingua.

Epiſtolæ nonnullæ hortatoriæ ad Jacobum Fuſcarenum, totius Dalmatiæ Præfectum, Italica lingua.

Epiſtolæ aliæ, vel potius Libelli ad eundem Fuſcare-

num

num Præfectum inſulæ Cretæ.

Liber inſcriptus, Cur Conſtitutiones non ediderit.

Epiſtolæ Paſtorales Italica lingua initio Viſitationum Dalmatiæ, Iſtriæ, Venetiarum, Patavii, & Vicentiæ.

Conſtitutiones ad uſum Dalmatiæ. Aliæ ad uſum Iſtriæ.

Liber paræneticus Conſtitutionum Venetarum.

Opus magnum in novemdecim libros diſtinctum, ſeu Hiſtoria de rebus geſtis Venetorum. De adulterinæ prudentiæ regulis vitandis, ſive de politica prudentia cum Chriſtiana pietate conjungenda ex veterum potiſſimum hiſtoriis, ad fratris, & ſororis filios.

Homiliæ quadraginta & quatuor amplius in Paſſione Domini.

Libellus de Epiſcopis Veronenſibus.

Concio de onere Cardinalatus, habita ad Veronenſem populum in Eccleſia Cathedrali die ſanctorum Innocentium, quo biretum rubrum inſigne Cardinalatus ei allatum eſt.

De pernicioſis falſæ prudentiæ regulis.

De regula variæ prudentiæ.

Theſaurum piarum, & Chriſtianarum inſtitutionum.

Litteræ quamplurimæ ad Cardinales, Epiſcopos, Principes, Venetos Senatores, & alios quamplurimos.

Homiliæ in Paſſione Domini habitæ.

Vita Caroli Cardinalis S. Praxedis edita.

De occupationibus Diacono Cardinali dignis, ad Federicum Cardinalem Borromæum.

De conſolatione Eccleſiæ ad Aſcanium Cardinalem Columnam, libri ſex.

Opuſculum ad Federicum Card. Borromæum, quatenus fugiendi ſint honores.

De utilitate capienda ex corporali ægritudine ad Card. Sfortiam.

Opuſculum de cautione adhibenda in edendis libris, ad Sylvium Antonianum poſtea Cardinalem.

Opuſculum de inveſtigandis remediis tentationum Paſtora-

ſtoralium ad Nicolaum Sfondratum Cardinalem Cremonæ, qui poſtea fuit Pontifex Maximus Gregorius XIV.

Somnium in Conclavi, quando creatus fuit Urbanus VII. P. M.

De utilitate capienda ex Conclavi.

Somnium de Carolo Card. S. Praxedis.

Libellus Italica lingua ad Albertum Epiſcopum Famaguſtanum, & Coadjutorem Veronæ, qui inſcribitur Inſtructio.

Somnium in ædibus S. Praxedis ad Fed. Card. Borromæum.

De Benedictione Agnorum Dei ad Gregorium XIV. Pont. M.

Libellus conſolationis ad eundem Gregorium XIV.

De poſtremo ſermone Greg. XIV. P. M. ad Cardinales habito.

Dialogus de lætitia Chriſtiana.

Soliloquium in Conclavi, in quo creatus fuit Clementis VIII. P. M.

Commentarius Viſitationis Clementis VIII. Pont. Max.

An aliquid addi poſſe videatur libro de Sacri Conſiſtorii conſultationibus Cardinalis Palæotti.

De Senectute recreanda ad eundem Card. Palæottum.

Quod oporteat ſemper orare, præſertim pro Romano Pontifice Chriſti Vicario.

De ſenectute mundi.

De utilitate ex dono lacrymarum.

De comparanda & tuenda boni Principis exiſtimatione ad Ducem Urbinatem.

De occultis Dei beneficiis.

Qua ratione monendi ſint detrahentes Reipublicæ Venetæ.

De cautionibus adhibendis his temporibus a Clericis in diſputando.

Cavendum eſſe, ne quiſpiam ſibi ipſi nimium credat, ad Federicum Card. Borromæum.

De cauta imitatione Sanctorum Epiſcoporum ad eundem.

Libellus conſolatorius ad eundem de obitu matris.

De

De memorabili die 17. Septemb. anno 1595. ad eundem.

De paterna charitate Clementis VIII. Summi Pontificis erga ampliſſimum Galliæ Regnum.

Hiſtoria anni Jubilæi 1600.

Apologia ad Veronenſes.

Homiliæ centum ad uſum Parochorum Mediolanenſium, ſed duodecim tantum repertæ.

Homiliæ in feſtis S. Martini, S. Andreæ, S. Antonini, S. Cæciliæ, S. Romani, S. Ambroſii, S. Clementis, S. Nicolai : in nocte Nativitatis Domini. Item alia in aurora, & in Dominica 4. poſt Epiphaniam.

De eximia humanitate Clementis VIII. erga Rempublicam Venetam, ad Bernardum Valerium.

Manendum in vocatione, qua quis vocatus, cum animi tranquillitate, ad Auguſtinum Valerium fratris filium.

De reverentia, & obedientia erga Chriſti Vicarium.

Dialogi XIX. de æſtivo Canis ortu, diebus Canicularibus habiti, in aula magna S. Marci, Romæ.

Huic Cardinali ſuam de Chriſti Domini in Cœlum Aſcenſu Orationem habitam ad Sixtum V. inſcripſit Julius Benignus: eidem Antonius Paſinus Medicus nuncupavit Annotationes ſuas, & Emendationes in traductione librorum quinque Andreæ Matthioli in Dioſcoridem.

Pro eximio ſuo in Deiparam Virginem affectu, Veronæ in Templo S. Anaſtaſiæ Patrum Dominicanorum Sanctiſſimi Roſarii ſacellum erigi, & Romæ in Aula Palatii S. Marci ſuper januam ædium Cardinalis titularis, ejuſdem Deiparæ Virginis Mariæ effigiem depingi curavit. In Eccleſia vero S. Marci, cujus titulo, ut diximus, erat inſignitus, in choro a ſe pro Canonicis extructo, ſuper Cardinalitiam ſedem ipſius Sacratiſſimæ Dei Matris imaginem exprimi mandavit.

Placet tandem ſequentes duas inſcriptiones hic referre, quas Albertus Valerius nepos, Epiſcopus Veronenſis, in Divi Zenonis ſacello ex marmore excitavit, ut ibidem perpetua extaret memoria, ubi Maria Caroli V. filia, Maximi-

ximiliani II. uxore, ac Rodulphi II. Imperatorum matre aſtante, & in Inſula Scalarum Margarita Auſtriaca Philippo III. Hiſpaniarum Regi deſponſata ad Clementem VIII. Pontificem Maximum, Ferrariæ tunc agentem cum Maria matre properante, Auguſtinus Cardinalis ſacra olim fecerat: quæ ita legentibus proſtant:

IN HOC SACELLO REB. SACRIS INTERFUIT
CAROLI V. FILIA
MARIA AUSTRIACA MAXIMILIANI II. IMP. UXOR
RODULPHI II. MATER
CELEBRANTE AUGUSTINO VALERIO
EPISCOPO VERONEN.
ASSISTENTIBUS LUDOVICO MADRUCCIO CARD.
MAXIMILIANO ARCHID. AUSTRIÆ
ET QUATUOR LEGATIS VENETIS
KAL. OCTOB. MDLXXXI.

Altera inſcriptio ex altera ſacelli parte eſt hujuſmodi:

DUM MARGARITA AUSTRIA
PHILIPPO III. HISPANIARUM REGI DESPONSATA
AD CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.
FERRARIÆ TUNC COMMORANTEM CONTENDERET
UT AB EO PER ALBERTUM ARCHIDUCEM AUSTRIÆ
PROCURATOREM MATRIMONIO JUNGERETUR
IDEM AUGUSTINUS VALERIUS S. R. E.
CARDINALIS
IN INSULA SCALARUM ASTANTE
MARGARITA REGINA, CUM MARIA MATRE
ALBERTI RODULPHI IMP. FRATRE
MAXIMAQUE PRINCIPUM VIVORUM FREQUENTIA
SACRA FUIT
V. IDUS NOVEMB. MDIIC.

Placet hic denique reſcribere Epigramma, quod de illo evulgavit Vincentius Robardus in quinquennalibus geſtis Sixti V.

Nudus Acidaliæ genitricis in oſcula fuſus
Cur roſeo lachrymas imbibit ore Deus?
An quia vulnifico repetens tua pectora cornu

Vidit

Vidit in aerios tela retorta Notos?
Nam ſimul, ac ſuperas hauſiſti luminis auras,
Vota tibi caſtæ virginitatis erant.
Moxque vigens tenero jucundæ flore juventæ,
Vixiſti Clarii ſacra verenda Chori.
Hinc tibi tam docto ſapientia pectore fulget:
Hinc feris Aoniæ fila decora Lyræ.
Euge tuos igitur celebra, AUGUSTINE, *triumphos,*
Omnia quæ ſuperat, eſt tua præda Deus.

XXX. FR. FEDERICUS CORNELIUS, cognomento Senior, Joannis Cornelii Senatoris Veneti filius, natus, ſi Petramellario credimus, die Mercurii XVIII. Kal. Julii anno a partu Virginis 1531. & Aloyſii Cardinalis nepos, humanioribus litteris primo, deinde Legum ſtudio ab adoleſcentia vacans, poſt forenſes in patria ſua gradus, Ordini S. Joannis Hieroſolymitani addictus, Cypri Prior, Aloyſii fratris Cardin. renunciatione creatus, mox Epiſcopus Traguricenſis, deinde anno 1561. Bergomenſis, demum anno 1577. Patavinus, & ſub Pio IV. ad Tridentinæ Synodi conventum miſſus pietate, ac doctrina inter religioſiſſimos, ac ſcientiis præſtantes illos viros claruit. A Gregorio XIII. delectus eſt ut Venetum Clerum cum Apoſtolico Nuncio, & Auguſtino Valerio Veronenſium Epiſcopo inviſeret, ut Concilii Tridentini Decreta Bergomi, mox Patavii ad uſum revocarentur, effecit. Clericorum mores reſtituit, ſacrorum cultum auxit, Seminarium erexit; duo ſacrarum virginum Collegia, extra Patavina mœnia degentia, Patavium deduxit, unum S. Sophiæ, alterum Sanctorum omnium Cœnobium incoluit. Epiſcoporum Patavinorum imagines a S. Proſdocimo uſque ad ſua tempora in aula maxima Epiſcopali reſtituit, notiſque nomina, cognomina, patriam, & tempus exprimentibus inſignivit; Synodos celebravit; Conſtitutionibus Clerum inſtruxit, de-

ſudavit pro populo, Templa conſecravit. De Æde Sanctiſſimæ Dei Matris ſanctimonialium beati Peregrini eam refert Antonius Portinarius inſcriptionem,

FANUM MARIÆ VIRGINI BEATISSIMÆ
ANNO A CHRISTI NATALI MDLXXXI.
XVII. KAL. JUNII
FEDERICUS CORNELIUS PONTIFEX CONSECRAVIT.

Oſſa B. Beatricis Azzonis Marchionis Ateſtini filiæ ab Æde Genulæ ad S. Sophiæ Templum tranſtulit anno 1578. Ædiculam, & ſacellum in Eremo Rua, agri Patavini, pietati addictus ſibi in ſacrum ſacellum extruxit. Sub Sixto V. ex Cameræ Apoſtolicæ Clerico Preſbyteris Cardinalibus tit. S. Stephani in Cælio monte adſcriptus, præfuit annonæ frumentariæ totius Status Eccleſiaſtici. Romæ Conclavis tempore, quo Urbanus VII. Petri Cathedram aſcendit, anno 1590. die IV. Nonas., ſeu Nonis Octobris de vita exceſſit, & in Eccleſia S. Silveſtri in monte Quirinali Clericorum Regularium ad tempus ſepulchrum habuit, cum ſequenti elogio a Gregorio XIV. ſcripto:

GREGOR. XIV. PONT. MAX.
FEDERICO CORNELIO S. R. E. PRESB. CARD.
EPISCOPO PATAVINO
HOC CONJUNCTISSIMÆ AMICITIÆ
MONUMENTUM POSUIT
ANNO MDLXXXXI. PONT. I.

Patavii etiam, qua fuit poſtea ab hæredibus cadaver ejus tranſportatum, & marmoreo ſepulchro in Eccleſia Cathedrali conditum, ſequenti alio elogio cohoneſtatus eſt, ut ipſemet in ſupremis tabulis juſſerat:

FEDERICO CORNELIO S. R. E. CARD.
EPISCOPO PATAVINO
ADDUCTIS ROMA OSSIBUS HÆREDES
TESTAMENTO P. P.
VIXIT ANNOS LIX. MENSES III. DIES XX.
OBIIT NONIS OCTOBRIS MDXC.

Si-

Sixtus V. & Gregorius XIV. merito Federicum amarunt, & Jo. Franciſcus Maurocenus magnarum virtutum Cardinalis plurimi eundem fecit: hujus ad illum datas litteras ſe vidiſſe faſſus eſt Andreas Victorellus, quibus narrat quid cum Galliæ Rege tunc egerit, cum Cardinalis & Ducis Guiſii interitus accidit. Ad illum etiam litteras dedit Aldus Manutius nonnullas. In regendo Patavino populo Federicus Aloyſium nepotem ſingulari pietate, & liberalitate in pauperes ornatum, Paſtoralis muneris adjutorem adhibuerat, quem religioſiſſime morientem, & poſtrema hæc verba, optima ſpe plenum dicentem audivit laudatus Victorellus: *In domum Domini ibimus*. Præter domeſtica inſignia Federicus roſas clauſas in frutice, & nonnullas apertas geſtavit cum hoc verſu, *Una dies aperit, conficit una dies*.

Scripſit hiſtoriam translationis Eccleſiæ Cathedralis Bergomenſis ſtatim, atque ille ſolemniter in ea Eccleſia inauguratus eſt Epiſcopus, hoc ei accidit injucundum, quod nimirum Templum Cathedrale primarium D. Alexandro Martyri urbis titulari dicatum, vetuſtate, ac religione inſigne, in ſuburbiis poſitum, ad civitatem propugnaculis, & aggeribus muniendam funditus dirutum, & ſolo æquatum: Sacra Sanctorum Lipſana, Canonicos, Clericos, cæteraque vetuſtatis, & ſanctitatis monumenta, in alteram Divi Vincentii Cathedralem ſumma pietate, ac diligentia a Federico Præſule translata. Quam quidem hiſtoriam ex monumentis ejusdem Eccleſiæ reſcripſit in tomo IV. ſuæ *Italiæ Sacræ*, in ſerie Epiſcoporum Bergomenſium, Ferdinandus Ughellus.

Eccleſiam, quam Clerici Regulares, Theatini dicti, in urbe Patavina habent, jacto angulari lapide fauſte auſpicatus eſt Federicus Epiſcopus, & abſolutum Archiepiſcopus Urbinas inauguravit, ut inſcriptus in hæc verba teſtatur lapis:

HANC

HANC ÆDEM, CUJUS PRIMUM LAPIDEM
FEDERICUS CARDINALIS CORNELIUS
ANTONIUS JANNOTIUS URBINI ARCHIEPISCOPUS
DEO, EJUSQUE APOSTOLIS SIMONI, ET JUDÆ CONSECRAVIT
X KAL. NOVEMB. MDLXXXVIII.

IV. DECAS CARDINALIUM

AB AN. 1588. AD AN. 1660.

XXXI. JOAN. FRANCISCUS MAUROCENUS, vulgo Moroſinus nuncupatus, Petro Mauroceno clariſſimo Veneto, anno a partu Virginis 1537. natus, piis moribus, & honeſtis diſciplinis inſtitutus, Maurocenæ familiæ, & Reipublicæ Venetæ decus, multis animi, corporiſque virtutibus attulit. Primum enim cum Venetus eſſet Senator, in Sabaudiam, Poloniam, Galliam, & Conſtantinopolim Reipublicæ Orator mittitur: In Epitaphio etiam Hiſpanica legatio recenſetur. Et ſicut primis legationibus, concordiæ, paciſque officia conſilio, ac fide, Italiæ præſtitit, ita apud Turcarum Imperatorem Orator, *Bailum* vocant, pietate, religioneque floruit. Gregorii XIII. Annalium Auctor pietatem, integritatemque Mauroceni, & Gallici Oratoris laudibus, his verbis effert: *Gallicus Orator, & Maurocenus duos Gregorii XIII. ad Hieremiam Conſtantinopolitanum Patriarcham Internuncios perhumaniter exceperunt, ad eumque deduxerunt, nullumque ſtudium, laborem, induſtriam pro Apoſtolica ſede prætermiſerunt. Latinis autem Catholicis apud celebrem illam Conſtantini Urbem degentibus, ne hæreticorum illuc negotiorum cauſa confluentium veneno inficerentur, auctoritate, & conſilio faventes, auctores fuerunt, ut Religioſos Teologos, a quorum linguis, quaſi mammis Catholicæ doctrinæ lac exugerent, poſtularent. Annuens Gregorius nonnullos Societ. Jeſu viros ad eos*

eru-

erudiendos, *&* *ſpiritualibus præſidiis communiendos illuc direxit; iis autem S. Benedicti ædes tributa.* Conſtantinopoli dum degeret, cum primus Imperatoris Turcarum Dynaſta, ſingularis apud illum auctoritatis iracundia furens, Mauroceno aliquando dixiſſet: *Maurocene te obtruncabo.* Invicto ille ſtatim reſpondit animo: *Id ſi feceris, Veneta mea Reſpublica maximam auri vim impendet, ut palus mei ſanguinis ultor tibi necem inferat;* ad quæ barbarus abmutuit.

Inter hæc cum Eccleſia Brixienſis Paſtorem amiſiſſet, inter alios doctrina, & religione præſtantes viros, Maurocenus Orator Conſtantinopolitanus ad ejus Eccleſiæ gubernaculo Gregorio XIII. propoſitus fuit, quem ſtatim Pontifex Epiſcopum deſignavit, ante tamen Gregorii mortem in Italiam non venit. Sixtus V. Gregorii ſucceſſor in Pontificatu electionem confirmavit, perceptaque tanti viri in Eccleſiaſticis rebus induſtria, & pietate illum in Galliam, ut Catholicæ Religioni proſpiceret, Nuncium Apoſtolicum legavit, & dum mandata proſequitur, Presbyt. Cardinalem tit. S.S. Martyrum Nerei & Achillei, & raro at nullo potius exemplo, Legatum eodem die pronunciavit, ut motas inter Henricum III. Gallorum Regem, & Guiſiæ Ducem ſimultates componeret. Mauroceni robur animi virile erat, & invictum; mores ſuaviſſimi; ſermo illius verax, ſimplex, & ab omni fuco alienus; unde paucos ille alloquebatur, quos ſibi mirifice non devinciret. Galliæ Regem, Reginas, Regii ſanguinis Principes morum illius ſuavitate & ſermonibus captos dixiſſes; omnes enim ſingulari cum benevolentia proſequebantur. Quare cum Galliæ Rex, & Reginæ Federicum in Cardinalem poſtulaſſent, Sixtus eum ſolum pronunciavit, qui bireto Cardinalitio a Sixto miſſo ornandus in Gallia fuit. Rex cum Reginis, & regii Sanguinis Principibus ſolemni ſacro interfuit, ſuiſque manibus inſigni illo purpureo eum honeſtavit; eundemque duobus pinguibus aureorum duodecim millibus æſtimatis Sacerdotiis ditare voluit; at regale munus regio animo reſpuit Maurocenus. Interim Guiſiani

ni Ducis morte ſecuta Maurocenus Cardinalis ignaviæ inſimulatur, & quod minus ſincere negotium tractaverit apud Pontificem traducitur.

Romam igitur vocatus, cum nihil ſibi conſciret, nullo pallere metu, innocentiæ fidere, nullam apud iratum Principem gratiam captare; quin ab amicis rogatus, ut ad Sixti pedes ſuppliciter caderet, & admiſſi erroris veniam deprecaretur, conſtanter abnuit, *malle ſe innocentem plecti*, *quam turpiter liberari*, reſpondens. Ergo re diligenter excuſſa, & ſatisfactione Mauroceni a Pontifice probata, in priſtinam ejus gratiam & honorem rediit, tituloque S. Mariæ in Via honeſtatus, Hungariæ, Germaniæque negociis præfuit. Arctiſſimo neceſſitudinis vinculo aſtrictus fuit S. Philippo Nerio Congregationis Oratorii Fundatori. Brixiam ſe contulit, ut Eccleſiæ ſibi creditæ collapſam prope diſciplinam Eccleſiaſticam reſtitueret, & in ejus adventum Brixienſes erectis arcubus, & diſpoſitis triumphalis ritu pompæ fornicibus, ſymbolicis figuris, & aptis ſubſcriptionibus ſignificarunt.

De legatione Conſtantinopolitana hoc extabat carmen:

Ore catenato ſpirans immane Propontis
Dum fremit, & magno furiarum carpitur æſtu;
Te Duce ſpumantes ceciderunt faucibus iræ
Heſperioque Orbi fulſerunt pacis honores.

De Gallica vero:

Conſiliis ingens, Regnique aptiſſimus Heros
Mittitur, ut populos Divinis legibus æquet.
Dum belli rabies regnandi inſana cupido
Et cæde alterna crudeſcit Gallicus enſis.

De juſta vero criminum ſibi objectorum excuſatione, quam Sixtus V. non Mauroceni genus, aut purpuræ honorem reſpiciens, ſed veris adductus rationibus, & argumentis accepit, in arcu, quem juſtificationis vocabant, hoc elogium legebatur:

Non, Franciſce, genus, non te facundia, non te
Reſtituit pietas,

Sed

Sed de te Sixtus quæ fecit ſplendida, qualis
Æacus arbitria.

Quoniam vero incorrupta fide, & nuda veritate, hoſtium ſuorum invidiam, ac tantæ virtutis æmulos ſuperaverat, aptiſſimis rei imaginibus, & verſibus utrunque inſinuabatur:

Inculpata animi virtus, vis neſcia flecti,
Quot ſcelerum facies, quantos peſſundedit hoſpes?

In altera molis parte hæc legebatur inſcriptio:

Rectus in adverſis poſtquam ſibi conſtitit heros:
Hoc tantæ molis parili decoratur honore.

Hanc tamen communem Brixiæ civitatis lætitiam inexpectata Mauroceni Cardinalis, & Epiſcopi mors occupavit; nam anno ſalutis 1596. ætatis 59. purpuræ octavo, IV. Idus Januarii, die Mercurii, hora noctis quinta, ex apoplexia ibidem obiit, pauperibus ſupellectili, & domeſticis multis facultatibus relictis. In Eccleſia principe Brixienſi ejus exequiæ, ac juſta ſolemni pompa ducta unt, orante in ipſius funere Marcello Toloſa Clerico Regulari Teatino. Cadaver in eadem Cathedrali conditum jacet hoc epitaphio inſignitum:

D. T. V.

JOANNI FRANCISCO MAUROCENO
Patritio Veneto, priſca gentis Nobilitate, vitæ ſanctitate, Religione, omnique virtutum genere ac rerum geſtarum gloria clariſſimo: Qui poſt ampliſſimas in Sabaudia, Gallia, Hiſpania, Polonia, Conſtantinopolique Reip. nomine, ſingulari cum integritate, fide, prudentia, animi excelſi, atque invicti magnitudine, ac denique omnium approbatione obitas legationes a Gregorio XIII. primum ultro deſignatus, mox a Sixto V. creatus Brixienſis Epiſcopus, & ab eodem in Galliam iterum ad Henricum III. ſumma cum poteſtate difficillimis temporibus miſſus, re feliciter geſta abſens, extra ordinem S. R. E. Cardinalis, in-

ingenti omnium bonorum acclamatione factus eſt,
& ſimul Legatus a Latere, ad extremum omni-
bus vitæ ornamentis cumulatus in Eccleſiæ ſuæ
gremio, incredibile ejuſdem, ac totius Venetæ, atq.
adeo Chriſtianæ Reip. mærore, verus gregis Paſtor,
& liberaliſſimus pauperum pater ex hac vita ad æternam
demigravit
Anno M.D.XCVI. *Menſis Januarii, die* XIV.
Pauperes hujus Civitatis Brixiæ hæredes ab eo ex aſſe inſti-
tuti, ope Marini Georgii, ipſius Cardinalis Conſobrini, & in
Epiſcopatu ſucceſſoris, Parenti optimo grati animi
Monumentum P. P.
Vixit annos LVIII. *Menſes* III. *Dies* XV.
Sedit Annos X. *Menſem* I. *Dies* X.

Aliqui ex Petramellario Cardinalis Mauroceni cineres Brixiæ in Cathedrali ad tempus tumulatos, Venetias inde translatos ſcribunt. At cum ſepulchralis inſcriptio, quæ Brixiæ legitur, translationem hanc non indicet, horum ſententiam, ut a veritate alienam, rejicio.

Interfuit Comitiis Urbani VII. Gregorii XIV. Innocentii IX., & Clementis VIII. Hujus Cardinalis, & Epiſcopi Brixienſis juſſu Doctrinæ Chriſtianæ Regulæ in ordinem redactæ, ac in lucem Brixiæ editæ.

XXXII. LAURENTIUS PRIULUS patritius Venetus Joannis filius, humanarum divinarumque litterarum, nec non gentis ſuæ nobilitate, & Reipublicæ regendæ artibus excellens, præter alia ſuæ patriæ ab illo bene geſta, Oratoris partes apud Franciſcum Magnum Hetruriæ Ducem, Philippum II. Hiſpaniæ, Henricum III. Galliæ Reges, necnon apud Pontifices Gregorium XIII. & Sixtum V. egit. Patriarcha deinde Venetiarum renunciatus, ſedente in Petri Cathedra Gregorio XIV. anno ſalutis 1591. in ea dignitate fungenda priſtinam ſolertiæ ſuæ, ac pietatis famam roboravit, atque in omni-

bus,

bus, quæ ſunt boni Paſtoris officiis exequendis mirabilis emicuit; pietatem enim coluit zelo ſacro fervens, divinæ gloriæ propagationi mirum in modum inſervivit. In collabente Clericorum diſciplina reſtituenda conſilium, pietatem, religionem, prudentiam, & conſtantiam oſtendit; ſacrarum Virginum Venetarum diſciplinam inſtauravit, adauxit, ac ſpirituali earum profectui mirifice proſpexit. Synodos Diœceſanas bis celebravit, conſtitutiones ſaluberrimas edidit; Clericorum Seminario ædes attribuit, eorumque ſtudia vigili cura promovit. His aliiſque egregiis optimi Præſulis facinoribus laudes collegit, Clementiſque Pontificis, cui Antiſtites, vigilantia, & laboribus pro Dei gloria illuſtres placebant, apprime oculos in ſe rapuit. Quare abſens inter Presbyteros Cardinales ab illo cooptatus, titulum S. Mariæ Tranſpontinæ obtinuit. Petrus Columbus in promotione Laurentii Priuli ad Cardinalatum Orationem Italica lingua Venetiis habuit, ac typis edidit; Archangelus Riccius Carmina diverſa ſcripſit. Singulari quadam magnificentia, ac pompa, conceptis ſolemnibus rite precibus Venetæ Eccleſiæ Patrum Theatinorum primarium lapidem dedicavit. Ibidem Patriarchalis Templi faciem marmoribus extruxit, ornavitque; in ejuſdem Templi facie ſequentes ſunt notæ:

DOMUS DEI ÆDIFICATA SUPER FIRMAM PETRAM
IN LATITUDINE DIERUM
ANNO SAL. MDLXXXXVI.

B. Laurentii Juſtiniani ſacra lipſana ex urna ad inſignem aram Eccleſiaſtica pompa religioſe tranſtulit, effecitque, ut a Sacerdotibus ſibi ſubjectis Moralis Theologiæ Exercitationes ſæpiſſime haberentur. Sacerdos propoſiti tenax, & ſeverus cultor juſtitiæ alia inſtituit creditarum ovium commodis utiliſſima. Cum ſedem ſibi commiſſam annis novem adminiſtraſſet, e vivis obiit Venetiis anno Jubilæi 1600. die Mercurii, ſecunda Januarii, in Patriarchali æde ſepultus, ubi hæc in marmore leguntur verba:

LAURENTII S. R. E. CARD. PRIULI
PATRIARCHÆ VENETI PIUM MONUMENTUM
ANNO SUI PATRIARCHATUS SEXTO
MARINO GRIMANO DUCE VENETIARUM.

XXXIII. JOANNES DELPHINUS nobilis Venetus pro Republica ſua apud Sedem Apoſtolicam Oratorem agens, laicalem togam in Eccleſiaſticam commutare ſtatuit. Hac de cauſa exquiſito ſtudio in Pontificis, & Aldobrandinorum ſe gratiam intrudere conatus eſt. Quod ipſi feliciſſime ſucceſſit, legatione dimiſſa redux in patriam coram Senatu, ut ibi moris eſt, rationes legationis ſuæ prolixa oratione in biduum protracta exponit. Procurator S. Marci renunciatur, Vicentinam deinde Eccleſiam, demortuo Michaele Priolo Epiſcopo aſſecutus anno *1603*. mox Romam evocatus ſacro Presbyterorum Cardinalium cœtui a Clemente adſcribitur, cum titulo S. Matthæi in Merulana, quem titulum poſtea commutavit cum illo, ſub Paulo V. S. Marci. Vicentinam Eccleſiam adminiſtravit uſque ad annum *1606*.

Mira prædicabantur de Viri hujus prudentia, & rerum experientia: ſub Paulo V. patriam opitulari conatus eſt. Fuit magni nominis Cardinalis, & habitus inter prudentiores ſacri Collegii, Gallicarum partium director præcipuus. Ægrotans aliquando ad mortem penſiones Eccleſiaſticas tranſtulit in familiares; at convaluit, & ſic liberalitas iſta eum fere inopem fecit. Senio confecto, & ad decrepitam vergenti ætatem, placuit Urbem deſerere, & exceſſum in patria, ubi vivere inceperat præſtolari: Vir aſpectu, ſtatura, & prolixiori barba venerandus.

Moritur Venetiis die 25. Novemb. anno a partu Virginis *1622*. ſepelitur in Æde D. Michaelis Murani, in veteri ſuæ gentis ſepulchro hac inſcriptione exornatus:

JOAN-

Digitized by Google

JOANNI DELPHINO
Venetæ, Romulidumque Urbis ſplendore rutilanti
Cujus Virtus vixit
Memoria vivit, Gloria vivet.
Hic
Ad Regem Poloniæ deſignatus Orator,
Ad Reges Hiſpaniæ, & Galliæ pluries
Ad Cæſarem
Ad Clementem VIII. præradianti nomine
Legationibus optime functus
Divi Marci Procurator aſſumptus,
Vicentiæ Epiſcopatui præficitur.
Et ab eodem Pontifice Maximo
Inter Purpurati Collegii Cardinales adſcribitur
Omnes
Ita laudes omnium tulit
Ut ipſius ſapientiæ fulgori nitidiſſimo ſeſe
Galliæ Rex, Regnumque, tradere non trepidavit.
Obiit in Patria longe majora adornans
MDCXXII. *Æt. ſuæ* LXXVII.
Nicolaus Delphinus Nepos & Hæres
Patruo ampliſſimo, atque opt. de ſe merito P.C.

Ad inſigne gentilitium Cardinalis Delphini, hanc ſcripſit epigraphe Franciſcus Pola Juriſconſultus Veronenſis:

Quicumque ſiet
Virtute optimus, Fælicitate maximus
Facile Merito
Optimus Maximus
Poteſtate is Eſto
Tu Delphine Tu Cardinalis
Ille es Is eſto.

Pluries interfuit Comitiis Pontificiis, illis videlicet, in quibus Petri Cathedram aſcenderunt Leo XI. Paulus V. & Gregorius XV. Manu ſua firmavit Clementis litteras de erectione Archiepiſcopatus Bononienſis editas.

Hujuſce Cardinalis laudes cecinere plures, quorum ope-

opera Ludovicus Maſottus Academicus Vicentinus in unum collegit, publicique juris fecit anno 1604.

XXXIV. FRANCISCUS VENDRAMINUS, quem alii Vendromenum, ſeu Vendramenum nominant, patritius Venetus, pro patria plura ſubivit munera: Oratoris nempe munus pro Republica obivit apud Ducem Sabaudum, Hiſpaniarum, Gallorumque Reges, apud Cæſarem, & apud ſupremum Eccleſiæ Paſtorem Paulum V. deinde in ſublimiorem Ordinem divinitus fere evocatus Clericatui ſe addixit, quare abſens Patriarcha Venetiarum renunciatur anno 1608. Tantum virum Paulus Pontifex maximus dignum cenſuit, quem Cardinalitio galero exornaret: illum enim Presbyteris Cardinalibus cum titulo S. Joannis ante portam Latinam adſcripſit. Venit Romam acceptum galerum rubrum magna cum pompa, & nobilium, virorum ſtipatus corona; exhibitis obſequiis de more ad Eccleſiam ſuam redit. Omnes gradus Reipublicæ, & Clericatus emenſus, apud ſuos pie ceſſit e vita, plenior gloria, quam ætate anno 1619. die 5. Octobris. Cadaver Venetiis in Patriarchali Templo tumulatum fuit, nulla proloquente inſcriptione.

Vir fuit pius, prudens, benignus, a faſtu alienus, in pauperes liberalis, & in Deiparam Virginem amore eximius, cujus miraculoſam Imaginem ex prophanis ædibus in ſacrum Templum, quod Venetiis *Divæ Mariæ Formoſæ*, nuncupatur, ſolemni ritu, ornatuque tranſtulit, ubi hæc extat inſcriptio a Franciſco Pola Veronenſi eruditiſſimo viro concinnata:

Teſtimonium hic eſto immortale
Propenſi huic Domui Cœli
In hac parietis parte.
Depictum Mariæ Virginis Matris
Simulacrum

Suum

Suum præſtantiſſimum Numen
Variis eximiis Miraculis
Significavit, probavit,
Quod uti religioſius coleretur, & ſanctius
FRANCISCUS VENDRAMINUS PATRIARCHA
Circumſpectiſſima ſanctione
Ex hiſce privatis, præfatis Ædibus
Ad illam publicam ſacram Ædem
Quæ Formoſæ Mariæ dicata eſt
Rite transferri curavit
Ad Aramque devotam collocari
M. D. C. X.
Aloyſius Donatus
Hunc F. Titulum.
Memoriæ cauſa & venerationis.

XXXV. MATTHEUS PRIOLUS Venetus, Marci Antonii prudentiſſimi, & graviſſimi Venetiarum Ducis filius,a Paulo V. Romam accerſitur,& primo Pontificii Cubiculi miniſtris honorariis adſcribitur, deinde Diaconis, demum Presbyteris Cardinalibus tit. S. Hieronymi Illyricorum, quem titulum poſtea ſub Gregorio XV. cum illo S. Marci commutavit. Erat vir ſanus, juvenis, & diſpoſitione membrorum robuſtus, ita ut victurum ſe promittere poſſet in ſæculum, ſed illico, Cardinalis creatus tabeſcere incœpit, & brevi tabe conſumptus eſt, annum agens ſeptimum ſupra quadrageſimum.

Deceſſit Romæ apud S. Marcum III. idus Martii anno ſalutis 1624. Cadaver in D. Marci Æde temporario tumulo traditum cum ſequenti inſcriptione:

OSSA
MATTHÆI S. R. E CARDINALIS
DE PRIOLIS
MARIA DE PRIOLIS

ET

Digitized by Google

ET LEONARDUS PISAURUS
D. MARCI PROCURATOR
CONJUGES, ET NEPOTES POSUERE
AN. D. MDCLVI.

Interfuit Comitiis Vaticanis, in quibus renunciati Romani Pontifices Gregorius XV. & Urbanus VIII. ſub quo initio Pontificatus, e vita migravit.

XXXVI. PETRUS VALERIUS patritius Venetus, Auguſtini Cardinalis Valerii, de quo ſupra ſub Gregorio XIII. Romano Pontifice egimus, nepos, Eccleſiæ Patavinæ Canonicus, mox Epiſcopus Famaguſtanus, deinde Archiepiſcopus Cretenſis fuit, quem Paulus V. tum propriis, tum Auguſtini Cardinalis Valerii, exigentibus virtutum meritis, ad purpuræ dignitatis faſtigium extulit, & inter Presbyteros Cardinales tit. S. Salvatoris in Lauro cooptavit. Poſt purpuram Epiſcopus rexit Eccleſiam Cenetenſem, ex qua anno 1625. die 18. Auguſti jubente Urbano VIII. translatus eſt ad Patavinam.

Hic inter alia pietatis ſuæ erga Deiparam Virginem ſpecimina, Veronæ in Eccleſia principe in honorem ejuſdem Virginis pernobile ſacellum a fundamentis erexit, ac pro ejus perpetuo cultu novem Sacerdotia inſtituit, ac dotavit. In Eccleſia etiam S. Mariæ Gratiarum, quæ in Inſula prope Venetias celebris eſt, nobilem capellam ſuis ſumptibus excitavit, & Sacerdotibus, qui eidem inſervirent, congruos redditus aſſignavit. Idem ære proprio a fundamentis reſtituit ſacellum beatæ Virgini s nobilium de Zabarellis, quod in Cathedrali urbis Patavinæ Templo ſitum eſt.

Comitiis Vaticanis interfuit bis, illis videlicet, in quibus Gregorius XV. Petri Cathedram aſcendit, ſine titulo, illis vero, in quibus renunciatus eſt Summus Pontifex Urbanus VIII. Presbyter Cardinalis S. Salvatoris

ris in Lauro, quo titulo relicto, illam S. Marci obtinuit. E vita migravit in urbe Patavina IX. Aprilis, non anno ſalutis 1628. ut aliqui ſcripſerunt, ſed 1629. Cadaver in Cathedrali jacet, cujus Canonicos hæredes ex aſſe inſtituit. In ſacrario Canonicorum, ſub imagine Petri Cardinalis depicta, hæc leguntur:

MEM. ÆT.
Animæ ſacræ colendæ.
PETRI VALERII S. R. E. CARDINALIS
Canonici Patavini
Concanonico olim quo, Epiſcopo
Et Patrono beneficentiſſimo
Æredes ex aſſe grati, & memores poſuere
M.DC.XXXIX.

Ejuſdem Cardinalis memoria eſt Romæ in Porticu Eccleſiæ Collegiatæ D. Marci.

Piæ Memoriæ
PETRI CARDINALIS VALERII
Tit. S. Marci Epiſc. Patavini
Qui
Liberaliter huic Eccleſiæ
Legavit ſacram ſupellectilem
Et loca decem Annonæ ſecundæ erectionis
Ut ſingulis annis pro ſe, quiſque
Miſſa ſolemnis Anniverſaria
Et vigintiquinque privatæ Miſſæ
Celebrarentur.
Quod vero ex fructibus
Supereſſet, in ejuſdem Eccleſiæ
Sacrum uſum verteretur.
Capitulum & Canonici
Grati animi ergo. Pos.
Anno Domini MDCLIII.

XXXVII. FR. FEDERICUS CORNELIUS Junior Venetus, Joan. Venetiarum Ducis, pietate, humanitate, & prudentia clariſſimi filius, Magnus Cypri Prior, Abbas Sanctæ Mariæ Bonæ, nepos Franciſci Cardinalis, puer duodecim annorum poſt litterarum humaniorum ſtudium Logicæ in patria, & in Patavina Academia Philoſophiæ operam navavit, ſuam. Hic juvenis adhuc in propriis ædibus Academiam erexit, quam etiam omnium votis ut Princeps rexit. Anno ætatis tertio ſupra vigeſimum Doctoris laurea ornatus Romam ſe contulit, qua in Urbe ſub Clemente VIII. Apoſtolicæ Cameræ Clericus primo, mox Epiſcopus Bergomas, atque ab Urbano VIII. in tertia Cardinalium enunciatione S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ Tranſpontinæ renunciatur, quem titulum S. Mariæ Tranſpontinæ commutavit progreſſu temporis in illum S. Cæciliæ primo, tum in S. Marci ad Palatinas. Deinde in S. Mariæ Tranſtyberim, demum ad Epiſcoporum gradum aſcendens, præfuit Epiſcopus Eccleſiæ Albanenſi. A Bergomenſi ad Vicentinam Eccleſiam primo, mox poſt aliquot annos, anno videlicet *1629.* ad Patavinam ſedem illum tranſtulit Urbanus; & anno *1632.* menſe Septembri Patriarcham Venetiarum elegit. Liberata autem civitate illa a peſte, omnium Ordinum acclamatione, & Cleri pompa Patriarchalem ingreſſus Federicus pro ſalute communi Deo Optimo Maximo gratias pie egit, votum ſolvit, & marmoreis hiſce tabulis teſtimonium reliquit in Eccleſia Principe.

BEATO LAURENTIO JUSTINIANO
Primo Venetiarum Patriarchæ,
Stirpis claritudine Auguſto
Sanctimoniæ gloria longe auguſtiori
Tutelari Numini beneficentiſſimo,
Ad ſacros cujus Cineres
Templum hoc illuſtrantes,

Civi-

Digitized by Google

Civitate in peſtilentia, Sancti Civis
Auxilium experta,
Quotannis ejus die perpetua
Feſtivitate celebrando,
Senatus religioſiſſimus,
Venerationis ergo,
Ex voto accedit.

FEDERICUS S.R.E. CARD. CORNELIUS
Maximi cultus
Minimum Argumentum Dic.

Caſtellanam Principis Apoſtolorum Baſilicam Cathedralem a D. Magno Epiſcopo extructam, & a prædeceſſore Theupolo in meliorem formam redactam, inſtruxit, & ſolemni ritu ſacravit, ut marmorea tabula ibidem poſita patefacit.

FEDERICUS TIT. S. MARCI PRESB. CARD.
CORNELIUS.
Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas
Caſtellanam Principis Apoſtolorum
Baſilicam
A Divo Magno Epiſcopo extructam
In ampliſſimi Templi forma religioſa
Jo: Patr. Theupoli munificentia
Redactam inſtruxit.
Franciſco de Graſſis Clod. & Vinc. Milano
Crapul.
Epiſcopis ſuffragantibus
Solemni ritu conſecravit,
Sacro Reliquiarum theſauro ditavit.
Sacrarium, & Divi Juſti M. Sacellum collapſum
Reſtituit
Anno Sal. M.DC.LXII. *Dedic. die* XII. *Septembris*
Qua viſitantibus Templum ipſum quotannis
Centum dierum Indulgentiam
Conceſſit
Urbano. VIII. *Pont. Max. Franc. Ericio Duce Venet.*

Sua liberalitate Federicus pro ſolemni Miſſæ quotidiana celebratione annuos redditus tribuit. Palatii Patriarchalis ædes in auguſtiorem formam redegit. Camellariæ Archivium contagioſæ luis, & temporis injuria profuſum, ſumma diligentia compoſuit, diſtinxit, amplificavit, exornavit, conſtructo prope Oratorio ſub invocatione S. Yvonis pauperum Advocati, quorum pariter Advocati electionem quotannis mandavit. Poſt demolitionem ædium Seminarii ad Divæ Mariæ Salutis Baſilicam Senatus ex voto ob luem ibidem ædificandam, alias aſſignavit, Abbatiæ ſcilicet S. Cypriani de Murano, Joannis Treviſani Abbatis, & Patriarchæ cura, menſæ Patriachali perpetuo unitæ, ubi proſtratum Clericorum Collegium denuo erexit, & nobilium adoleſcentum Academiam prædeceſſoris ſtudio erectam, peſtis vero inſolentia dejectam, & incultam reſtituit, & diutino zelo, ac vigilantia juventutis animos literarum, ac pietatis ſtudiis excoli: curavit tantæ rei inſtitutum fovit, & promovit, adeo ut Murani habitatio, alias patrimonialis ad id ſtatis diebus in delitiis potiſſimum haberi videretur, non tam animi gratia, quam ad uberiores ſpirituales fructus in vinea Domini colligendos. Cum vero intelligeret pius Paſtor ob Patriarchalis palatii reſidentiam in exrema urbis parte poſitam, ac populi commoditati parum accomodatam, deligendum eſſe per Patriarchas ex Viſitatione Apoſtolica locum aliquem in medio civitatis, ubi duobus ſaltem diebus in hebdomada viros ſpirituales, & quoſvis alios cupientes admitterent, & paterna erga omnium generum homines charitatem, & rationem exhiberent. Palatium reſidentiæ etiam aliud perpetuum habuit apud S. Paulum, quod erat Joannis Cornelii, Venetiarum Principis, & parentis optimi, adeo ut omnia omnibus, & regia ſuppellectile, & familia ubique reſidere videretur, & Patriachalem ipſam dignitatem amplificare ad excubandum in gregem, cujus ſalutem dicebat Chriſtum pariter operatum in medio terræ.

In univerſi Cleri ſtudiis, populi cura, & diſciplina Eccleſiaſtica promovendis, in divinorum officiorum, ſacrarum actionum omnium, & rituum recta ratione reſtituenda, & retinenda totus fuit; ſacrorum Ordinationem ſtatis ab Eccleſia temporibus nullam omiſit; quin initiandorum, minorum etiam puerorum examini mira ſollicitudinis charitate, & zelo pertinaci patientia perſonaliter aſſiſtere ſemper ſolitus erat. Maxime curandum ajebat de novæ ſobolis delectu, & eruditione ad redimendam contagii perniciem, & ab antiquam ſi minus eſſet idonea ſine remedio magis opportuno coadjuvandum; adeo ejus aula perpetuum virtutis gymnaſium fuerit, & eruditis piiſque viris Eccleſiam ſuam brevi ornaverit. Pro Republica apud Urbanum VIII. ſpeciali expeditione egit, ad Alexandri Papæ III. Elogium in Aula Regia Vaticani reſtituendum quod ab Innocentio X. Pont. Max. ſucceſſore impetravit.

Venetiarum Eccleſiæ præfuit ad annum uſque 1644. quo ingraveſcentis ætatis, & podagræ impedimento vexatus, in exercitio Patriarchalis ſollicitudinis, bene Eccleſia jam ordinata de ſucceſſore cogitavit ſummo urbis, & Cleri mærore, qui publica marmorea tabula de abſceſſu optimi Antiſtitis omnium mæſtitiam perpetuo teſtatam his verbis voluerunt:

FEDERICO TIT. S. MARCI
S. R. E. PRESB. CARD. CORNELIO
Urbis Patriarchæ religioſiſſimo
Joannis Cornelri celebratiſſimæ memoriæ
Venetiarum Principis optiwi
Pietatis ſtudio, moderatione animi nato
Digniſſimo
Mira dexteritate, amplitudine, prudentia
Vigilantia, clementia,
Tota virtute Eminentiſſimo.
Paſtori Patrono Patri benemerenti
Ab Eccleſiæ Patriarchalis vinculo,

Cujus

Cujus dignitatem ornavit,
Apoſtolica impetrata auctoritate,
Ad Eccleſiaſticæ Reipublicæ ampliora commoda
Abſoluto,
Communis mæroris, & amoris
Publicæ jacturæ
Immortale ſimulacrum
Manſuræ tutelæ
Summæ beatitudinis
Æternum Votum
Clerus Venetus addictiſſimus, mæſtiſſimus
P. P.

Natalinus de Graſſis Venetiis Elogia in Æde Patriarchali expoſuit cum Federicus noſter poſſeſſionem adiret ſui Patriarchatus: ſunt autem hujuſmodi:

Te
FEDERICE CORNELI
Fidei Romanæ Cardinem
Venetæ corculum, Sapientiæ
Recti cultorem, ultorem ſceleris
Sacris Aris Præſidem
Feſſis præſidium, rebus
Divinitus datum
Clerus, Populuſque Venetus
Supplex veneratur.
FEDERICO CORNELIO
Cardinali Ampliſſimo
Antiſtiti
Et Honorum, & Virtutum
Inſignibus ſpectatiſſimo
Ad ſacram Patriæ Patriarchiam
Per Patres conſcriptos
Summi Patris Interpretes
Evecto
Tanquam Soli
Poſt diuturnos turbines

Gra-

Gratius affulgenti,
Clerus, Populuſque Venetus
Gratulationis, & obſequii argumentum
Poſ.

Ad Venetorum preces hoc ſcripſerat de Federico Elogium idem Natalinus:

FEDERICO CARDINALI
CORNELIO
Quem ſincera fides, cordiſque lenitas
Virtutes
Hominibus jam abditæ
Rebus diu ſpectatæ
Ex omnibus electum Civibus
Ut præeſſet omnibus
Sanctum Patriis Aris Regem
Inaugurarunt.
Clerus, Populuſque Venetus
Parenti Optimo
Antiſtiti Vigilantiſſimo
Venerabundus Poſuit.

Cæterum optimus Purpuratus Princeps, ſenio, virtute, ac prudentia venerabilis, clarus meritis Romæ in Aulicorum omnium oculis innocentem ducens vitam; die 29. Aprilis anno ſalutis 1652. ad Albanenſem Epiſcopatum, ut diximus, aſcendit, quam dignitatem retinuit uſque ad annum 1653. quo die 5. Junii, obiit, & ſepultus in Eccleſia S. Mariæ de Victoria ad Thermas Diocletianas in nobili, pulcherrimoque ſacello Divæ Thereſiæ ſacro, ab ipſo excitato, ubi & ſepulchrum ſibi vivens paraverat, hac addita inſcriptione:

FEDERICUS S. R. E. CARDINALIS CORNELIUS
Joannis Venatiarum Ducis Filius
A Clemente VIII. *inter Apoſtolicæ Cameræ*
Clericos adjectus;
A Gregorio XV. *Bergomatum Inſulæ*
Ab Urbano VIII. *Romanæ Purpuræ admotus;*

Mox

Mox Vicentinus Antiſtes ;
Tum Patriarcha Venetus creatus ;
Cum poſtremum hoc munus aliena voluntate
Suſceptum , ſua depoſuiſſet ,
Deponendi quoque corporis memor Divæ Thereſiæ
Immortalem Aram ,
Sibi ante Aram tumulum mortalitatis ſuæ
Cuſtodem poſuit
Atque in partem obſequii erga Virginem
Diſcalceatorum Matrem
Vocatis cum parente ſex aliis ex Cornelia *gente*
Cardinalibus
Inducens pro exuviis corporum , ſpirantia
Vultuum Simulacra
Providit vivens quomodo extinctus obſequium
Æternaret
Anno Salutis MDC.XLVII. *Ætatis ſuæ* LXVIII.

Singulari , ac præcipuo amoris affectu Eccleſias ſibi commiſſas proſequutus eſt. Cum primo Vicentinam Eccleſiam inviſeret , pretioſiſſimis Sanctorum plurimorum Lipſanis eam ditavit, quorum nomina ſingillatim in donationis tabulis recenſentur , quas ad perpetuam eximii Cardinalis memoriam inſerendas hic ex Ferdinando Ughellio duximus .

A X ω

In nomine Domini . Amen . A Nativitate ejuſdem milleſimo , ſexcenteſimo , vigeſimo octavo , Indictione undecima , die vero Jovis , quarto menſis Octobris , Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris , & D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus ſexto . Cum Illuſtriſſimus , & Reverendiſſimus Dominus D. Federicus miſeratione divina tituli S. Cæciliæ S. R. E. Presb. Cardin. Cornelius Epiſcopus Vicentinus , Dux , Comes , Marchio , in adventu ad Eccleſiam ſuam Cathedralem , ut cunctorum mentes ad cultum Dei ſtudioſius exhibendum , virtutes ardentius imitan-

tandas, veſtigia ſectanda magis inflammentur, infraſcripta Sanctorum Corpora & inſignes detuliſſet Reliquias hujuſmodi theſauris, per quos multa beneficia a Deo hominibus præſtari Sanctorum Patrum conſenſu approbatum, & Sacrorum Conciliorum Decretis confirmatum eſt. Civitatem Vicentiæ, quam ſummo amore proſequitur ditare, deſiderio flagraret; hinc eſt, quod præſens, & perſonaliter conſtitutus coram me Notario, & Teſtibus infraſcriptis ſponte, deliberata mente, & ex certa ſcientia, dat, donat, & donatione irrevocabili concedit. Perilluſtriſſ. D. D. Æneæ Clericato J.U.D., Troilo de Garzatoribus J.U.D., Julio Seledo, Antonio Trideno, & Julio Porto filio D. Hieronymi, magnificæ Civitatis Vicentiæ Deputatis præſentibus, acceptantibus, & recipientibus nomine Civitatis prædictæ, ita ut ipſa Civitas ſit vera, propria, vera, & legitima Domina, & Patrona, & clavis apud D.D. Deputatos ejus nomine in perpetuum manere debeat, Sanctorum Corpora, & Reliquias infraſcriptas in novem ſcaptulis pictis rubei coloris cum ſuis inſcriptionibus. In quarum una reperiuntur Corpora S. Clementis Mart., in altera S. Adriani Mart., in tertia reperiuntur ſex oſſa S. Alexandri Mart., in quarta decem oſſa S. Pauli Mart. Romani, in quinta undecim oſſa Corporis S. Valeriani Mart., in ſexta novem oſſa cum duobus dentibus S. Emerentianæ Virginis & Martyris, in nona ſex oſſa cum duobus dentibus S. Felicitæ Virginis & Martyris; quæ fuerunt ibidem ſupradictis D.D. Deputatis oſtenſa, dictaſque Reliquias teſtatus eſt idem Illuſtriſſimus Dom. Cardinalis donator veras, & legitimas eſſe, & ex Almæ Urbis Cæmeteriis extractas inter Reliquias Sanctorum Martyrum Claudii, Nicoſtrati, Sinforiani, Caſtorii, & Simplicii, Quatuor fratrum Coronatorum, Severi, Severiani, Carpofori, Victorini Marii, Audifacis, Abbaci, Feliciſſimi, Agapiti, & Hippolyti, cum decem novem ejus familiæ, Aquilini, & Priſci, Arſei, Aquini, Narciſſi, & Marcellini, Felicis, Simiterii, Candidæ, & Paulinæ, Anaſtaſii, & Felicis, Feſti, & Marcelli, Apollionis, & Bene-

L l *dicti,*

dicti, & de Capitibus Sanctorum Protbi, Cæciliæ, Alexandri, Sixti, & Praxedis, aliorumque Sanctorum, repoſitas in quadam ſcaptula coloris candidi in triginta papyris, quaſque Reliquias in eadem ſcaptula aſſeruit babuiſſe dono ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Joanne Garſia, olim tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Millino, Sanctiſſimi Domini Noſtri Vicario, cum atteſtatione pleniſſima ex illis ipſis exiſtere, quæ repertæ fuerunt ſub Altare Majori Eccleſiæ eorundem Quatuor Coronatorum, ibidem olim repoſitæ, ut patet ex inſcriptione, in marmore facta a ſancta memoria Leonis Quarti, & recepta a præfato Illuſtriſſimo Domino Card. Millino, de mandato Domini Noſtri Papæ Urbani VIII. in occaſione earundem Reliquiarum repoſitionis. Item particulas octo Sanctorum Zenonis, & Sociorum martyrum, decerptas ex Capella S. Mariæ Scalæ Cœli ad tres Fontes, ſeu ad Aquas Salvias, de quibus ſcripſit Venerabilis Beda tom. 3. ad Martyrologium, dies autem Martyrii eſt ſeptimo Idus Julii. Item particulam unam S. Maximi Martyris; Item particulam unam S. Marii Martyris; Item particulas quinque Sanctorum Martyrum, quorum nomina ignorantur, furtim a quibuſdam extractas a Cæmeterio Calliſti, & Pænitentiariis reſtitutas ſ. mem. Gregorii XV. contentas in quadam ſcaptula operta papyro picto, cum variis floribus, quas affirmavit cum ſcaptula ſibi elargitas ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Ludovico Cardinali Ludoviſio, & ab eodem fuiſſe recognitas. Verum enimvero cum dignitati, ac excellentiæ tantarum Reliquiarum conveniat, eaſdem in digniori Eccleſia venerari, reſque ſacras, ſanctas, religioſas miniſterio ſacrarum manuum demandatas eſſe clariſſime conſtat, declaravit, fore reponendas in Cathedrali Vicentiæ loco ab ejus Dominatione Illuſtriſſima decernendo, ſub cuſtodia ultra primam clavem, aliarum duarum clavium, alteram ab Illuſtriſſimis Dominis Epiſcopis pro tempore exiſtentibus cuſtodiendam, ſeu ab eorum Vicariis Generalibus, & in ſede vacante a Vicario Capitulari, alteram vero a

D. D.

D. D. Canonicorum Capitulo conſervandam, & donec in dictam Cathedralem ſolemniter transferantur; fuerunt repoſitæ omnes clauſæ in capſula magna in Capella S. Nicolai Epiſcopatus, cum tribus clavibus ſupradictis omnibus conſignatis, cum declaratione tamen, quod propter cuſtodiam harum duarum clavium nullum jus Illuſtriſſimis Epiſcopis, & Canonicorum Capitulo acquiratur, nec circa præmiſſa aliquod præjudicium inferatur prædictæ Civitati donatariæ; quia voluit, eam omnino, & abſolute dictarum Reliquiarum, eſſe veram Dominam, & Patronam, ut ſupradictum eſt; reſervans tantummodo præfatus Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis donator ſibi, & Epiſcopis ſucceſſoribus, ſi ullo unquam tempore contigerit aliqua lis, vel controverſia circa dictas Reliquias, quod nequaquam fore ſperatur, ejuſdem litis cognitionem, & deciſionem diffinitive, & inappellabiliter omni meliori modo.

Et ego Jacobus a Curſu J. U. D. Civis Vicentiæ Curiæ Epiſcopalis Cancellarius, & auctoritate Veneta Notarius, prædictis omnibus interfui, eaque rogatus, rogavi, & publice ſcripſi, & ſubſcripſi ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, & Sanctorum ſuorum, Vicentiæ in Epiſcopali Palatio, in Camera Audientiæ ejuſdem Illuſtriſſimi D. Cardinalis Presbyteri: Perilluſt., & Excell. Dom. Scipione de Teramuſchis J. U. D., & Equite Leonardo Arnaldo J. U. D., ac Perilluſt. & adm. R. D. Paulo Mutio Canonico Bergomenſe; & adm. R. D. Andrea de Rubeis Romano, ambobus familiaribus prædicti Illmi & Rmi D. Card. donatoris, Teſtibus.

Eodem Federico Cardinali Præſule jubente Fratrum Capuccinorum Eccleſiam, Divo Joanni Baptiſtæ ſacram, conſecravit Julius Saracenus nobilis Vicentinus, Epiſcopus Polenſis, ut habet marmorea tabula parieti affixa:

TEMPLUM HOC, ET ALTARE
IN HONOREM D. JO. BAPTISTÆ
ILLUST. ET REV. D. JULIUS SARACENUS
EPISCOPUS POLENSIS

EX CONCESSIONE EMINENTISS. D. D. FEDERICI
S. R. E. TIT. S. MARCI CARD. CORNELII
EPISCOPI VICENTINI
CONSECRAVIT XVI. KAL. NOVEMB.
M. D. C. XXVII.

Ad illum Epiſcopum Patavinum eſt Antonii Querengi Carmen, & Epigrammata. In ejuſdem, Veuetiis ad Epiſcopatum ſuum Bergomenſem verno tempore adventantis, laudem eſt Andreæ, & Petri Paſtæ Oratio. Joannes Baptiſta Albinonus Sertum amarantheum, intextum honoribus, meritis, & virtutibus ejuſdem Cardinalis, & Laurentius Girardellus Bergomenſis hetruſco carmine Panegyrim evulgarunt.

Præ manibus Federici Cardinalis Cornelii numiſmata duo aliquando habui, quorum unum effigiem continebat ejuſdem Cardinalis cum literis ſequentibus, in prima facie: *Federicus S. R. E. Cardinalis Cornelius;* in altera: *Divæ Thereſiæ ſacellum extructum ſuorumque Gentilium ſex Cardd. ac Patris Venetiarum Ducis vultibus diſtinctum, & pietatis ſuæ, & ſepulturæ monumentum eſſe voluit. Romæ anno D.* M. DC. XXXXVII. *ætatis ſuæ* LXVIII.

Aliud effigiem Patris exprimebat, cum litteris in prima facie: *Joannes Cornelius Dux Venetiarum obiit A.D.* M. DC. XXIX., in altera: *Æternæ in Patrem optimum obſervantiæ memoriam extare voluit in hoc metallo vultu ejus excuſſo, Federicus Cardinalius Cornelis, Romæ Anno Dom.* MDCXXXXVII.

Interfuit Presb. Card. S. Marci Comitiis Vaticanis habitis poſt obitum Urbani VIII. in quibus Innocentius X. Petri Cathedram aſcendit ſub quo, ut diximus, e vita abiit.

MAR-

XXXVIII. MARCUS ANTONIUS BRAGADENUS, ſeu Bragadinus, Patritius Venetus, Venetiis natus anno 1590. ex utriuſque Signaturæ Referendario anno 1619. ab Urbano VIII. renunciatus eſt Cremenſis Epiſcopus. At poſt annos tres ad Epiſcopatum Cenetenſem anno 1633. & anno 1639. ad Vicentinum translatus eſt, concreditas ſibi Eccleſias ſumma vigilantia adminiſtravit, ſuaque præſentia, exemplo, & pietate inſtituit. Quare Urbanus ne tanti Præſulis virtutes ſub modio laterent, omnium oculis expoſuit, illum anno 1641. ſacra Purpura ornando, & Presbyteris Cardinalibus titulo S. Marci adſcribendo. Interfuit Comitiis, in quibus ſacra Tiara ornati ſunt Innocentius X., & Alexander VII. ſub quo ad Superos evolavit die 28. Maii anno ſalutis 1658. ætatis 68. Poſt obitum ſepulchrum ſortitus eſt pernobile in Eccleſia S. Marci ad Palatinas cum ſequenti Elogio:

D. O. M.
MARCO ANTONIO BRAGADENO
Hujus Eccleſiæ Titulari munifico
Quem Urbanus VIII.
Ut Avi a Turcis excoriati merita in Nepote digniſſimo
penſaret
Purpura decoravit
Per Cremenſem, Cenetenſem, ac Vicentini gradus
Ad ſummi Epiſcopatus faſtigium
Ingentibus ſuis virtutibus properantem mors ſiſtit.
Ætatis ſuæ anno LXVIII. *Salut. Hum.* M.DC.LVIII.
Jo: Aloyſius Frater, & Marcus Nepos, Patric. Venet.
P. P.

CHRIS-

XXXIX. CHRISTOPHORUS VIDMAN patritius Venetus, Cameræ Apoſtolicæ primum Clericus, deinde Generalis Auditor, demum S. R. E. Diaconus Cardinal. anno ſalutis 1647. ætatis 32. ab Innocentio X. renunciatur. Præfuit Diaconus SS. Nerei & Achillei Eccleſiæ; Presbyteris poſtmodum adſcriptus titulum S. Marci obtinuit legatione Urbini Ducatus ſumma cum integritate, & prudentiæ laude perfunctus eſt. In Comitiis Vaticanis poſt Innocentii X. obitum Alexandro VII. ſuffragatus eſt. Sub quo die 30. Septembris anno a Chriſto nato 1660. ætatis quinto ſupra quadrageſimum ad S. Martinum in Monte Ciminio, ditionis Pamphilii Principis quo ſeceſſerat, ægri corporis cauſa e vivis abiit, de Epiſcopis ditionis Venetæ optime meritus, quibus ſupremis tabulis legavit domum ſupellectilibus inſtructam, cum Urbem adeunt viſendi gratia limina Apoſtolorum. Jacet in Eccleſia S. Marci ad Palatinos in pernobili ſepulchro cum elogio ſequenti:

D. O. M.
CHRISTOPHORO TIT. S. MARCI
Card. VIDMAN *Patritio Veneto*
Quem
Romæ per ſplendidiſſimos
Quoſque Honorum Gradus
Ad ſacram Purpuram evectum
Eccleſiaſt. ad Metaurum Ditionis
Legatione ſumma cum integritate
Et prudentiæ laude perfunctum
De medio Fortunæ, & virtut. verſu
Immatura mors eripuit
IV. *Kal. Octob.* M.DC.LX.
Annos natum XLV.
Martinus & Ludov. Germ. Fr. ac Franc.
Nepos, & hæres Comit. Hortemburgi.
P. P.

Ejuſ-

Ejuſdem Cardinalis Numiſma cum effigie præ manibus habui, in cujus altera facie duo adſunt Equi ad curſuſuram idonei; quorum unus adhuc in curſu, alter pallium tenet cum Lemmate: ODIT TAMEN OTIA VICTOR.

XXXX. PETRUS OTTHOBONUS patritius Venetus, Marci Magni Venetiarum Cancellarii viri clariſſimi, & Victoriæ Tornielæ filius in lucem editus die 19. Aprilis anni 1620. in proavum Stephanum, & Antonium in atavum habuit, qui pro religione, & patria contra Turcas fortiter dimicantes glorioſe obierunt. Hic in patria humanioribus litteris, & in Academia Patavina Juri tum Civili, tum Canonico operam navavit ſuam, & lauream omnium votis, ubi illa digniſſimus obtinuit, ſub Præceptoribus Liceto, Bellino, & Bartholomæo Vecchio Senenſi. Anno ætatis vigeſimo, Chriſtianæ Redemptionis 1630. Romam jam laureatus ſe contulit, ut Curiæ Romanæ praxim, uſumque a Joanne Baptiſta Coccino Veneto, Romanæ Rotæ Decano, viro omnium legum perito, doctrina clariſſimo exciperet. Abbas primum ab Urbano VIII., deinde utriuſquæ Signaturæ Referendarius, plures Ditionis Eccleſiaſticæ urbes Prætor cum laude rexit: præfuit enim Interamnenſi, Reatinæ, & Typhernati urbibus. Ejuſdem Pontificis juſſu Spoletanos, & finitimos populos de finibus inter ſe diſſidentes compoſuit. Ipſius Urbani beneficio Rotæ Judicibus, Senatus Veneti nominatione adſcribitur. Ab Innocentio X. Presbyter Cardinalis S. Salvatoris in Lauro anno 1652. anno vero 1654. Epiſcopus Brixienſis declaratur. Eccleſiæ tamen Brixienſi poſt aliquot annos annuente Alexandro VII., Innocentii ſucceſſore, nuncium remiſit, factus Abbas Commendatarius Vangadicienſis, relictoque S. Salvatoris titulo, illum S. Marci obtinuit. Clemens IX. tanti viri integritate optime perſpecta, primo ſui Pontificatus die libellis dandis Præfectum, vulgo Da-

tarium dixit. Adſcriptus eſt inter Patres Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, inter Sacri Concilii Interpretes; adeſt Examini Epiſcoporum, Signaturæ Gratiæ, Conventibus, Indicis, Conſiſtorialis, Viſitationis Apoſtolicæ, Indulgentiarum, & Reliquiarum, Peſtis depellendæ, aliiſque plurimis; interfuit jam tertio Comitiis Vaticanis, & ſuffragatus eſt Alexandro VII. & duobus Clementibus Nono videlicet, ac Decimo.

Dum hæc tractamus floret doctrina, vitæque probitatate in Urbe. Edidit Deciſiones, quas elucubravit in munere Auditoris Rotæ. (*)

Majorum ſuorum ſepulchrum in Eccleſia S. Marci ad Palatinas reſtauravit, ſibique præparavit cum ſequenti Epigraphe:

D. O. M.
HIERONYMO OTTHOBONO FR.
MARCUS OTTHOBONUS
EQUES PATRITIUS VENETUS POSUIT
ANNO MDXC.
PETRUS TIT. S. SALVATORIS IN LAURO
S. R. E. PRESB. CARD. OTTHOBONUS MARCI F.
EPISCOPUS BRIXIENSIS
RESTITUIT SIBIQUE ET POSTERIS PRÆPARAVIT
ANNO SALUTIS MDCLV.

XXXXI. GREGORIUS BARBADICUS natus Venetiis anno 1625. adhuc adoleſcens in Germaniam profectus eſt cum Aloyſio Contareno Venetæ Reipublicæ Legato ad conventum Monaſterienſem, comes ei, & omnium conſiliorum particeps traditus a Senatu, ut in graviſſima illa publicæ pacis actione rerum politicarum tractationi, ſub ſapientiſſimi Viri tyrocinio, aſſueſceret. Conventu dimiſſo, ipſe Belgio, & univerſa Gallia, eruditionis cauſa peragratis, Venetias rediit. Ubi pu-

(*) Pontifex deinde Maximus Alexander VIII. appellatus.

publicis muneribus obeundis aliquot annos navavit operam . Dehinc confecto Patavii ſtudiorum curriculo , & accepta Juriſprudentiæ laurea, Sacerdos inauguratus Romam venit ſub initia Pontificatus Alexandri VII. quem Monaſterii cognoverat, & congruentem ſtudiis, ac moribus ſuis, ſibi arcte adjunxerat. Creatus ab eo utriuſque Signaturæ Referendarius, & Prælatus domeſticus, mox Bergomenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & non multo poſt S. R. E. Presbyter Cardinalis eſt renunciatus tit. S. Thomæ in Parione. Nunc præeſt Patavinæ Eccleſiæ, ad quam illum e Bergomenſi tranſtulit Alexander. Ab hujus Cardinalis laudibus, vel obiter recenſendis inviti quidem, ſed modeſtiſſimi Principis indignationem veriti abſtinemus. Ea gratæ poſteritatis cura eſto, ne debito honore eximia Viri virtus, nec præclaro ad imitandum exemplo, Epiſcoporum, & Cardinalium ordo fraudetur.

XXXXII. JOANNES DELPHINUS Junior, patritius Venetus, Joannis Cardinalis ejuſdem agnominis pronepos, Nicolai Senatoris ex Eliſabetha Pricla filius, Venetiis in lucem editus die 22. Aprilis menſis, anno noſtri ſæculi decimoſeptimo, a puero Clericatui addictus, ſtrenuam navavit operam tum Venetiis, cum Patavii in acquirendis ſcientiis illis, quibus major factus ornatus incedit. Linguam tum Latinam, tum Græcam perdidicit, ſuoque ingenio ultra docentem etiam præcipuarum ſcientiarum cognitionem accepit. In utroque jure laurea magiſtrali in Academia Patavina donatus. Poſt Joannis propatrui obitum, cum Nicolaus parens Reipublicæ ſuæ Polemarchus extra patriam in bonum publicum viveret, Joannes filius, domum paternam curavit laicus, quare anno ſuæ ætatis 25. inter Sapientes ordinum, anno 30. Sapiens Firmæ terræ, anno vero 33. in Senatores Reipublicæ ſedit: Orator ad Regem Galliarum ele-

electus, ne provinciam ſubiret res domeſticas excuſavit. Interea temporis anno videlicet 1656. ab Aquilejenſi Patriarcha Hieronymo Gradonigo nominatus eſt ſuæ Eccleſiæ Coadjutor, qua occaſione annuente Romano Pontifice ad Clericatum rediit; ſequuto paulo poſt Patriachæ obitu, ipſe Patriarcha Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit; quo in munere ſui ſemper ſimilis ſtudium rei bene gerendæ ad Patriarchalem ſedem attulit, tantum abeſt, ut remiſerit, ut etiam auxerit. Ipſe in hoc munere, quo etiam fungitur anno noſtri ſæculi 70. ſingula inſpicit exactiſſime, quæ in ſingulis ſunt Eccleſiis bene, vel male acta, inſtitutaque perſcrutatur, illa ut confirmet, hæc ut corrigat. Eccleſiæ ſuæ Miniſtrorum vitam habet perſpectam, quippe vir ingenii ſagax ad explorandos quorumcumque mores, animique facultates plurimum valet. Utilem ſe facit omnibus, ut Reipublicæ Chriſtianæ agat negotia.

Tantum, ac talem Præſulem de Republica non ſolum Veneta, ſed etiam Chriſtiana optime meritum Alexander hujus nominis VII. in ultima Cardinalium enunciatione ſacra purpura ornavit. Cum Cardinalitiis inſignibus titulum Presbyteralem S. Salvatoris in Lauro a ſucceſſore obtinuit, quem progreſſu temporis cum illo S.S. Viti & Modeſti commutavit. Interfuit uſque adhuc bis Comitiis Vaticanis, in quibus ſupremam in Eccleſia Catholica dignitatem obtinuerunt unus poſt unum Julius Roſpiglioſus, dictus Clemens IX. & Æmilius Alterius nuncupatus Clemens X.

Plura Joannes ſcripſit ſed non vulgavit; Dialogos videlicet multos de materiis ſcientificis. Diſcurſus in Cornelium Tacitum, & in Salluſtium.

Panxit etiam Italico, ſed dulci carmine Tragædias, Odas, aliaque carminum genera. Noſtri Joannis nondum purpura ornati effigiem invenies apud Galeazzum Gualdum Prioratum in Theatro Virorum illuſtrium, & apud Laurentium Craſſum in Elogiorum volumine, in cujus effigiem carmen cecinit Joanne Baptiſta Nigronius Cyrnæus,

næus, a laudato Craſſo evulgatum. Hoc præſenti anno a ſalute humana 1670. quo hæc de illo indicavimus, vitam ducit honeſtam Eccleſiaſtico Principe dignam. (*)

XXXXIII. PETRUS BASADONNA a ſæcularibus negociis, & a cura Reip. ad præcipuum Eccleſiæ miniſterium aſſumptus, & a Procuratoria dignitate ad Cardinalatum translatus, vetus ille renovavit exemplum, quod in Gaſpare Contareno Paulus III. præſtiterat. Ambo Nobiles Veneti, ambo rerum gerendarum cura in Patrio Senatu optime meriti, Chriſtianis tamen virtutibus inſignes, non modo non expectatam, ſed ne cogitatam quidem dignitatem adepti ſunt.

Petrus Baſadonna Aloyſii Filius Venetiis natus die 17. Septembris 1617. Majorum ſuorum exempla ſequutus, qui in aula, in foro, & pro Deo, & pro Patria maxima cum gloria verſati ſunt, ſtudiis incubuit Litterarum, & Orator gravis evaſit ſub diſciplina Joannis Baſadonnæ ejus Avi. Adoleſcentiam egreſſus Byzantium navigavit cum Hieronymo Triviſano Venetæ Reipublicæ Legato, ubi mærens, ac lachrymans oſſa exquiſivit ac invenit ejuſdem avi ſui Joannis Baſadonnæ, qui inter Barbaros vitam reliquerat. Triennio Byzantii expleto in Patriam rediit, & pluribus Magiſtratibus perfunctus eſt maxima Civium utilitate, atque admiratione. Non multo poſt Orator ad Regem Hiſpanum miſſus, gratam Regi, atque utilem Reipublicæ navavit operam, centum octoginta millibus ducatorum receptis in belli ſubſidium adverſus Turcas ineundi. In hac Legatione Julii Roſpiglioſi tunc Nuncii Apoſtolici, deinde Pontificis Maximi nomine Clementis IX. ſibi amicitiam conciliavit. Denuo in Patriam redux Brixiæ Præfectus anno 1655. meruit renunciari, aliiſque

(*) Hic definit Ciacconianum opus: reliqua ex Guarnaccio.

ampliſſimis Magiſtratibus ſtrenue functus eſt. Anno vero 1660. Reip. Orator ad Alexandrum VII. Romam acceſſit. Ea integritate ac fide ſecreta tractavit nationum diſcrimina, ut reliqui Principum Oratores arcana ſua uni crederent Petro Baſadonnæ. Dux Crequius, quem dicunt de Crequi, Galliæ Legatus acceptam injuriam a Corſica gente propulſare ſtudens, neminem habens quem ſincere conſuleret, præter Venetum Oratorem, pluries ipſi res ſuas ſecreto communicabat, plurieſque ipſum conveniebat, quandoque etiam nullo præmonito, ſcalas Veneti Palatii conſcendens dicere ſolebat: *Sic itur ad refugium Fidei, ad domum Conſilii*. Quam vero in Petro fidem reponebant cæteri Oratores, eandem prorſus Romani profitebantur. Ejus enim animi magnitudo cum maxima prudentia conjungebatur, ejuſque conſilium, atque juſtitia cum veneratione erga Romanum Pontificem. Legatione abſoluta utrimque deſideratus diſceſſit. Patriæ vero reſtitutus, decem ſequentibus annis ad omnes illius ditioni gradus elatus, ſtrenuam Reipublicæ præſtabat operam.

Romæ vero anno 1673. occaſione, qua ſummus Pontifex ad preces Principum, quoſdam ex Inſtituto inter Cardinales referre ſolet magna erat inter Præſules Venetos contentio, qui multitudine officiorum, & frequentia poſtulationum Clementem X. moleſte vexabant. Diſrupit ille fervidas expectantium curas, cum die 12. Junii 1673. Petrum Baſadonna Cardinalem pronunciavit, cognitum revera ſibi antea & amicum, ſed ſola ſibi acceptum commendatione virtutis. Recenſuit Pontifex in creatione Baſadonnæ eximias illius dotes, & quod cultor eſſet Græcæ linguæ, & gnarus Eccleſiæ Orientalis, adeout non levem Latinis eſſet utilitatem allaturus.

Miſſi illico Tabellarii, Venetias appulerunt die 15. Junii, ſed elapſo jam ſole moram nectente pluvia, ac grandine, ne coram Patribus Cardinalis ſalutaretur, dum perorabat in Senatu, ut adamuſſim evenit in Gaſpare Contareno ſuperius laudato. Die 24. Venetias pervenit Abbas Marius Em-

Emmanuel Duratius Papæ Cubicularius cum Bireto Cardinalitio, & litteris Apoſtolicis in forma Brevi tenoris ſequentis.

CLEMENS PP. X.

Dilecte Fili Noſter ſalutem, & Benedictionem. Noſtris quamvis oculis jamdiu abeſſes, præſentem tamen te Paternæ Charitati noſtræ reddiderunt eximiæ virtutes, quarum in Urbe Venetum, ubi ageres Oratorem Curiæ univerſæ, Nobis in primis egregium ſpecimen dediſti. Publicum quocirca præſtantium Virorum ornamentum in proxime babito Conſiſtorio Apoſtolico, plaudente Senatu, Cardinalitia te purpura decoravimus, omnino Nobis pollicentes fore ut ampliſſima iſthæc dignitas tuarum in dies laudum ab incremento ſplendorem bauriat, magis quam largiatur. Præcipuum igitur ejuſdem inſigne Biretum ſcilicet ſacro Murice decorum, a quo validos exemplo ſupremi Capitis noſtri Chriſti ad ejuſdem Eccleſiam, ubi opus ſit, ipſiuſmet ſanguinis effuſione ſartam, tectamque ſervandam, ſtimulos ſumas, deferet tibi Abbas Marius Emanuel Duratius Cubicularius Noſter, quem ob generis animique decora, Nobis admodum probatum, ut ſpecialibus humanitatis ſignificationibus excipias, valde cupimus. Tibi Dilecte Fili Noſter Apoſtolicam Benedictionem ex omni cordis noſtri ſenſu impertientes. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 12. *Junii* 1673. *Pontificatus Noſtri anno quarto.*

Aliam huic ſimilem attulit Epiſtolam Abbas Duratius ad Senatum miſſam, a quo, & præſertim a novo Cardinali Baſadonna litteris reſcriptum fuit, obſequium redolentibus, & grati animi ſenſus. Die 29. Junii in Feſto S. Petri & Pauli abſoluta fuit ſolemnitas imponendi biretum novo Cardinali, quum data fuerit a Papa Duci Veneto facultas aſſiſtendi huic ſolemnitati more Regio, in Eccleſia Ducali adſtantibus etiam Legatis Principum. Re ſacra peracta, quum Dux Venetiarum ægrotaret, pro Duce Senior Conſiliarius acceſſit ad Altare cum dictis Principum Ora-

Oratoribus, & poſt lectum a Secretario Breve Apoſtolicum, Biretum propriis manibus Cardinali caput humiliter inclinanti ſuperimpoſuit; verbaque addidit prorſus idonea ad obſequium expromendum erga Pontificem, & laudes Cardinalis celebrandas. Pompa hæc ſingularis, & ſolemnitas univerſa diligenter ſcriptis demandata fuit a Hieronymo Baſadonna Cardinalis Fratre, & Divi Marci Procuratore ad eruditionem poſteritatis, ſi ſimile quid in poſterum contingeret. Romam venit Petrus eo plauſu exceptus, quem gignit virtus, & amor, & Diaconiam nactus eſt Sanctæ Mariæ in Domnica. Congregationibus adſcriptus fuit Epiſcoporum, & Regularium, Indicis, Immunitatis, & Conſultationis de Statu Eccleſiaſtico. In iis ea modeſtia, atque eloquentia ſacra tractavit, ut Cardinalis natus minime vero recens aſſumptus videretur. Quum illum Pontifex redditibus, nec etiam quantum ſatis eſſet augere poſſet, obtulit ſtipendium illud dari ſolitum Cardinalibus pauperibus. Quod ille modeſte recuſavit, Patriæ malens dignitati conſulere, quam ſibi. Conſilium laudavit Pontifex, probavit Patria, quæ ejus commoditatibus aliunde proſpexit. Comitiis adfuit Innocentii XI, ſub quo deceſſit die 26. Septembris anno 1684. ætatis ſuæ ſexageſimo ſeptimo. Romæ ſepultus in Eccleſia S. Marci cum hac Epigraphe:

D. O. M.

PETRO BASADONNA
S. MARIÆ IN DOMNICA
S. R. E. DIACONO CARDINALI
SUMMIS VENETÆ R. P. MUNERIBUS
DOMI FORISQUE PERFUNCTO
ET POST HISPANAM
ROMANAMQUE LEGATIONES
A CLEMENTE X. PONT. MAX.
SOLA VIRTUTIS COMMENDATIONE
A PROCURATORIA DIGNITATE
AD CARDINALIS FASTIGIUM TRANSLATO

ATQUE

ATQUE UTROBIQUE MAJORA PROMERITO
HIERONYMUS D. MARCI PROCURATOR
ET JOANNES FRATRES
LUCTUS ET PIETATIS
MONUMENTUM POSUERE
OBIIT IV. KAL. OCTOB. ANNI MDCLXXXIV.
ÆTATIS SUÆ LXVII.

XXXXIV. MARCUS ANTONIUS FRANCISCUS BARBADICUS Patritius Venetus die natus eſt 6. Martii 1640. ex Auguſtino Barbadico, & Clara itidem Barbadica. Agnatus erat Gregorio Barbadico ab Alexandro VII. inter Cardinales relato, quique Eccleſiis laudabiliter præfuit Bergomenſi, & Patavinæ. Ab iſtis ſpectatiſſimæ nobilitatis, eximiæque pietatis majoribus pie ac liberaliter Marcus eſt inſtitutus. Idem Gregorius Epiſcopus Patavinus, & ſanctitatis memoria celebris, inter Canonicos illius Cathedralis Marcum adhuc adoleſcentem cooptaverat. Ipſe vero Chriſtianis virtutibus præſtans quotidie magis, ad Epiſcopatum admovetur Corcyrenſem. Qua occaſione orta controverſia inter eum, & Barbonum Maurocenum Venetum Maris Præfectum, propter ritus cæremoniales, publicaſque ſalutationes occaſione victoriæ a dicto Mauroceno de Turcis relatæ; cum res ad concordiam perduci non potuerit, juſſu Veneti Senatus Barbadicus in Patriam revocatur, omnibuſque avitis, & Eccleſiaſticis bonis proſcribitur. Ille vero Venetias pergens, ſatiſque Senatus Imperio parviſſe putans, ſi eaſdem Venetias appuliſſet, vix Patriam reviſit, quum ſubito diſceſſu Romam perrexit. Ibi ad pedes Innocentii XI. provolutus ſuarum adverſitatum ſeriem humili, prudentique animo expoſuit; tantamque ſibi apud eum gratiam conciliavit, ut in hac promotione diei II. Septembris anni 1686. inter Presbyteros Cardinales relatus fuerit ſub titulo S. Suſannæ: pauloque poſt ad Epi-

Digitized by Google

Epiſcopatum admotus fuerit Montis Faliſci. Plura ibidem viſuntur adhuc ejus Paſtoralis ſolicitudinis, atque effuſiſſimæ liberalitatis monumenta. Seminarium pene a fundamentis extructum, Epiſcopium inſtauratum. Tandem ſuæ reconciliatus Reip. non ſemel jura illius aſſeruit apud S. Sedem. Titulum S. Suſannæ die prima Julii *1697.* immutavit in alterum S. Marci.

Congregationibus adſcriptus erat S. Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, & Propagandæ Fidei. Comitiis cum adfuerit Alexandri VIII., Innocentii XII., & Clementis Noni, obiit die *26.* Maii *1706.* in ſua Diœceſi, atque in Eccleſia Cathedrali Montis Faliſci ſepultus eſt.

XXXXV. PETRUS OTTHOBONUS Patritius Venetus Antonii filius, & Mariæ Moretti, natus die 2. Julii anni *1667.* Antonius autem filius erat Fratris Alexandri VIII. Qui dum Cardinalatus honore fungebatur, hunc ſibi adoleſcentem adjunxerat, ejuſdem indole, atque animi alacritate, vividoque ingenio recreabatur. Vix ad Apoſtolatum aſſumptus omni illum beneficentiæ genere eſt proſequutus; & paucis poſt diebus ab ejus aſſumptione illum in florida ætate annorum 22. Diaconum Cardinalem renunciavit S. Laurentii in Damaſo, & totius Eccleſiaſticæ Ditionis generalem Adminiſtratorem; Legatum inſuper dixit Avenionenſem, & Vice-Cancellarium S.R.E. omneſque titulos honoris, & majeſtatis illi contulit, quos Pontificia largitas conferre poterat. Sacerdotia ditiſſima, annuum fructum ſcutorum quinquaginta millium excedentia, quæ providus Innocentius XI. in alimoniam Cardinalium creandorum reſervaverat, omnia uni Pronepoti ſuo confeſtim dedit. Fructus etiam beneficiorum vacantium nondum exactos, qui ingentem pecuniæ vim conflabant, illi attribuit.

Hinc laute vivere, & more Regio: Hinc rara, pretioſaque

qui uti ſupellectile incæpit. Magnum inſervientium etiam nobilium, pluriumque Miniſtrorum numerum adhibuit. Tanta, & tam brevi tempore facta fortunæ acceſſio, ab aliis fauſtiſſimis eventibus eſt ſubſecuta. Nam & Veneto abſente Oratore, Senatus ipſi Arcana credidit Reipublicæ; & mortuo jam Alexandro VIII., a Chriſtianiſſimo Galliarum Rege protector eſt renunciatus, & maximis muneribus, ditiſſimiſque Eccleſiæ beneficiis auctus eſt. Mirum tamen erat, quod in tanta rerum opulentia, ingenti æris alieni pondere quotidie magis premebatur, & poſt ejus mortem ſplendida ipſius ſupellex vix ſatis fuit, ut Creditoribus ſatisfieret. Hoc tamen ejus laudi tribuendum eſſe videtur, quod hæc ipſa animi magnificentia, quæ in illius vivendi ratione maxime apparuit, in ſacris etiam, & in Eccleſiaſticis functionibus, in quibus diligens erat, & aſſiduus, pari decore enituit. Eccleſias enim ſibi commiſſas omni magnificentia inſtructas voluit; annuam expoſitionem Venerabilis Sacramenti horarum quadraginta in ſua Titulari Eccleſia S. Laurentii in Damaſo ea pompa celebrabat, & Fidelium religio in dies augeretur. Sacrum Viaticum quando ad Infirmos ſuæ Parœciæ deferebatur, cereis ſemper accenſis, ac ſingulari pietate comitabatur. Ejuſdem Parœciæ pauperibus Pharmacopæam aperuit, ex qua gratis, eximiaque liberalitate omnia illis ſubminiſtrabantur. Medicum quoque ære ſuo conductum, ac Chyrurgum conſtituerat, ut iiſdem pauperibus ægrotantibus occurrerent. Anno Jubilæi 1700. & 1725., rara exercuit caritatis officia peregrinis occurrendo, eos domi excipiendo, eleemoſynis juvando, in menſa miniſtrando, Confraternitates hoſpitio accipiendo, quæ ut Indulgentiarum fruerentur theſauris, Romam adventabant.

Poeſi, & Muſica delectabatur. Poemata, & Drammata non invita Minerva exaravit, populoque exhibuit ſumptuoſo apparatu, ac pompa ſingulari. Congregationibus fere omnibus adſcriptus erat Romanæ Curiæ; præterea fuit Archipresbyter Baſilicæ Liberianæ, cujus Portam

ſanctam anno Jubilæi 1725. aperuit, & clauſit. Inde Archipresbyter Baſilicæ Lateranenſis, & alterius Baſilicæ S. Laurentii in Damaſo Commendatarius. Magnus Prior Ordinis Hieroſolymitani Hiberniæ, Secretarius Sacræ Congregationis Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, & Præfectus Cappellæ Cantorum Pontificiæ.

Comitiis adfuit Innocentii XII., Clementis XI., Innocentii XIII., & Clementis XII., ejuſque dexteritate, ac conſilio non levem ſibi partem attribuit in horum Pontificum creatione. Comitiis etiam adfuit Benedicti XIV. ſed vix Vaticanum Conclave ingreſſus, gravem in febrim incidit, ex qua domum reverſus, brevi interiit, quum ad Epiſcopatum Oſtienſem die 15. Decembris 1738. perveniſſet, & ad Decanatum Sacri Collegii. Obiit igitur die 28. Februarii anno 1740. ætatis ſuæ 72. menſ. 7. & dier. 26., ſepultuſque eſt in dicta Eccleſia S. Laurentii in Damaſo in ſacello Sanctiſſimi Sacramenti a ſe conſtructo.

XXXXVI. JOANNES BAPTISTA RUBINUS Venetiis natus eſt die 5. Junii anni 1642. ex Donato Rubini, & Fauſtina Medicea, quos occaſione Cretenſis Belli inter Patritios ſuos Veneta adſcripſit Reſpublica. Joannes Baptiſta Rubini ſenior, qui hujus Cardinalis avus erat, nupſerat cum Chriſtina Otthobona ſorore Alexandri VIII. Hinc dum in minoribus eſſet idem Pontifex in educatione hujus adoleſcentis omnem adhibuit ſollicitudinem. Dum igitur Petrus Cardinalis Otthobonus Brixienſi præerat Epiſcopatui, hunc ex ſorore pronepotem ſuum ad ſe accivit, & ad ſtudia, quæ Venetiis inchoaverat, ſedulo incitavit. Laurea jam Doctorali in Patavina Univerſitate ornatus fuerat anno 1662. Deinde Canonicatum obtinuit in eadem Cathedrali Patavina, reſidentiam diſpenſante Pontifice, ut ſtudiis Litterarum incumberet.

At vero cum Brixienſem Cardinalis Otthobonus reſignaſ-

Digitized by Google

gnaſſet Eccleſiam, & ſub Clemente IX. præclarum Datarii munus adeptus eſſet nonnullis Sacerdotiis Pronepoti abunde collatis, in cauſa fuit, ut & ipſe in Præſulum ordinem reciperetur. Varias hinc Rubinus Eccleſiaſticæ Ditionis Civitates rexit in munere Gubernatoris non ſine integritate, & laude. Spoleto, Fabriano, Peruſio, & Maceratæ præfuit. Vacanti deinde Vicentiæ Epiſcopatui anno 1684. admovetur.

Tandem evecto ad Petri Cathedram eodem Cardinali Otthobono, in Imperii participationem advocatur, & Secretarius Status efficitur. Preterea die 13. Februarii anni 1690. Presbyter dicitur Cardinalis tituli S. Laurentii in Pane & Perna. Congregationibus adſcriptus erat Epiſcoporum, & Regularium, Sacræ Conſultæ, Propagandæ Fidei, Rituum, & Viſitationis Apoſtolicæ.

Ab eodem Alexandro VIII. in vitæ diſcrimine conſtituto Legatione Urbinatenſi donatus fuit. Abſoluta Legatione ad ſuum remeavit Vicentiæ Epiſcopatum, quem poſtea annuente Clemente XI. Rom. Pont. ſponte dimiſit anno 1702., nec multo poſt vivere deſiit. Poſtquam enim titulum S. Laurentii die 25. Januarii 1706. in alterum immutaverat Sancti Marci, obiit die 17. Februarii anni 1707. annum agens 64. menſes 8. dies tresdecim, & in ipſa ejus Eccleſia Titulari S. Marci ſepultus fuit.

D. O. M.
JO: BAPTISTÆ S. R. E. TIT. S. MARCI
CARD. RUBINO VENETO
MULTIS ECCLESIAST. PRINCIPATUS PRÆFECTURIS
STRENUE GESTIS
AUCTO INSIGNI VICENTIÆ INFULA
AB ALEXAND. VIII. P. M.
A SECRETIS STATUS RENUNCIATO
AC IN S. SENATUM ADSCITO
POSTREMA NECESSITATE
NONIS FEBR. ANNO M. DCC. VII.
E VIVIS EREPTO
JOANNES BAPTISTA EX FRATRE NEPOS
PATRUO AMANTISSIMO MŒRENS P. F. P.

XXXXVII. GEORGIUS CORNELIUS Venetus die natus eſt prima Auguſti anni 1658. ex Equite Friderico, qui fuit filius Sereniſſimi Venetæ Reipublicæ Principis. Præterea Fratrem habuit Joannem nomine, qui & ipſe Patriæ ſuæ Dux fuit, & Princeps, nec locus hic eſt recenſendi tot alios clariſſimæ Familiæ egregios Viros in Litteraria Republica, & in re Militari præſtantes, aut Infulis, aut Sacra Purpura decoratos; nec Catharinam Cypri Reginam, qùum geſta Cardinalium perſtringere, non vero eorundem texere genealogias noſtrum ſit Inſtitutum.

Liberalibus Georgius incubuit diſciplinis Veronæ in Collegio Clericorum Regularium de Somaſcha. Patavium inde venit, ubi intentum Juriſprudentiæ animum adjecit, ibique anno 1677. laurea ornatus eſt Doctorali. Patrem demum ſecutus eſt Fridericum, qui apud Hiſpaniarum Regem Venetus degebat Orator. Totam Georgius Hiſpaniam peragravit, Luſitaniam etiam luſtravit, futuræ quaſi conſcius Legationis; inde in Galliam abiit, mox ad Britannos, pluresque demum Germaniæ Civitates inviſit, ibique ſubſtitit, uſque ad deditionem Argentorati ampliſſimæ in Alſatia inferiori Civitatis, quo ipſe diverterat anno 1681. ſpectator Triumphi fœliciſſimi Regis Ludovici XIV. Urbes inſpexit omnes, & caſtra, & oppida a Gallis capta.

Redux in Patriam ſæcularibus vacavit muneribus. Civica indutus Toga nonnullos obiit Magiſtratus, præſertim vero Præfecturam navalis Armamentarii. Anno demum 1688. Orator pro Veneta Republica eligitur ad Ludovicum XIV. Regem Gallorum; ſed ut res erat maximi impendii, atque Eccleſiæ inſervire jamdiu exoptaverat, anno 1690. Toga relicta, ſacra initiatur Tonſura a Gregorio Cardinali Barbadico. Eodemque anno Romam venit, quo tempore Petri Cathedram conſcenderat Cardinalis Otthobonus Civis ſuus ſub nomine Alexandri VIII.

Pro-

Prothonotarius dictus eſt de numero Participantium. Inde Præſes Cameræ Apoſtolicæ, & in Congregatione Rituum ſuffragium tulit. Ut vero ea tempeſtate aliquas Regni Neapolitani Civitates peſtilentia invaſerat, & Litora pulſabat Ditionis Eccleſiaſticæ, hinc Proviſor Sanitatis Georgius dictus eſt ab Alexandro VIII., & Legatus ad oras Adriatici Maris. Aſſidua vigilantia fines ſervavit Eccleſiæ ab imminenti diſcrimine.

Mortuo Alexandro VIII., atque ad Apoſtolatum evecto Innocentio XII., his haud minoris fuit Georgii æſtimator. Illum enim titulo decoravit Rhodienſis Archiepiſcopi, & vacantem ad Luſitanos Nunciaturam illi contulit; & in hac ejus ſecunda Promotione diei 22. Julii *1697.* Presbyterum dixit Cardinalem ſub titulo S.S. XII. Apoſtolorum. Hanc dignitatem Cardinalitiam, nedum Georgii virtutes, quam preces Veneti Senatus illi attulerunt. Primus is fuit, qui ex munere Nuncii Luſitani ad Purpuram aſcenderit, ſicque ſolo annorum ſeptem intervallo ex Toga ad Purpuræ decus aſſumptus eſt. Paucis inde diebus Epiſcopatui Patavino admovetur, ſeptimus de Gente Cornelia, qui nobiliſſimam illam Diœceſim adminiſtraverit. Vacaverat illa Eccleſia morte Gregorii Cardinalis Barbadici.

Certior Gregorius factus ſuæ promotionis, Romam venit die *9.* Martii anni *1698.*, ibique Pileum accepit, & prædictum titulum S.S. XII. Apoſtolorum. Congregationibus inſuper donatus fuit Sacri Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Sacræ Conſultationis, & Sacrorum Rituum.

Tantis auctus muneribus Patavium pergit, ubi in procurando Divini cultus incremento totus fuit, & Gregorii Barbadici Anteceſſoris ſui, & vere ſanctiſſimi Præſulis exemplum ſibi maximum imitandum propoſuit. Comitiis cum adfuerit Vaticanis, in quibus Clemens XI. electus fuit, ſuæ reſtitutus Eccleſiæ, morum innocentia, & vigilantia Paſtorali ſemper emicuit. Divitem in Statu Veneto

neto Abbatiam obtinuerat nuncupatam *S. Andreæ del Buſco*, & conſpicuam Cypri Commendam de Jurepatronatus Gentis Corneliæ, ob quam Crucem Ordinis Hieroſolymitani anno *1697.* aſſumpſerat. Comitiis iterum adfuit Vaticanis, in quibus Innocentio XIII. & ipſe ſuffragatus eſt. Demum adverſa preſſus valetudine, fractuſque viribus obiit in eadem Civitate Patavina die *9.* Auguſti anni 1722. ætatis ſuæ *64.*, atque in Cathedrali ejuſdem Civitatis, ubi alii Corneliæ Gentis Epiſcopi conditi ſunt, honorifice ſepultus eſt.

Tribus poſt mortem Georgii Cardinalis diebus, obiit Venetiis Joannes Cornelius ejus Frater, qui & ipſe toties a majoribus adminiſtratum Patriæ ſuæ Principatum gerebat.

XXXXVIII. VINCENTIUS GRIMANUS Venetus, Mantuæ tamen natus eſt die *26.* Maii anni *1655.* ex Antonio Grimani Patritio Veneto, & ex Elena Gonzaga. Alteri Marchioni Gonzaga ſororem Vincentius nuptui dederat. Hinc avitæ generis nobilitati, qua gemini Cardinales plureſque Aquilejenſes Patriarchæ adnumerantur, novum hoc adjunxit honoris lumen ex hac cum Mantuæ Principibus affinitate deductum. Hac igitur fretus ſanguinis propinquitate, & clientela, poſtquam egregiam indolem liberalibus ſtudiis Vincentius ornaverat, & ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu ſcientias omnes luſtraverat, prædivite Lucedii Abbatia a Duce Mantuano donatur. Ex hac inſigni Abbatia gravi tametſi onerata penſione in emolumentum cujuſdam Filii naturalis ipſius Ducis Mantuani, ſplendidam ſui ſubſtentationem, lautamque vitam percipiebat.

Hujus vero Beneficii fructus ex agro Duci Sabaudiæ ſubjecto magna ex parte colligebantur. Ducem hinc Allobrogum Vincentius adiit; adeoque ad illius gratiam aucupandam animum adjunxit, ut brevi amicitiam cum eo,

Digitized by Google

eo, & ſingularem familiaritatem inſtituerit. Nec ſegnis, nec inanis fuit Grimani obſervantia, aut neceſſitudo. Eo quippe tempore, quo Galli ingruebant, cunctæque Italiæ minitabantur, & ipſe Sabaudiæ Dux interpretem quærebat, & pacis ſequeſtrem cum Cæſare, Vincentius ad grandia natus, ut optatam reſtitueret Italiæ pacem, ſecreto, & quaſi aliud agens, Viennam petit. Nulli propterea ſuſpectus, & fidei tenax, ea arte credita ſibi arcana Cæſaris enunciavit, ipſique Nuncio Apoſtolico animi ſecreta communicavit, ut pax prius reddita, quam tractata, Gallo renunciaretur. Gratiſſima hinc nedum Cæſari, ſed ipſi Romano Pontifici evaſit Vincentii prudentia, & conſilium.

Avide Innocentius XII. exoptabat, ut in nominatione futuri Cardinalis Vincentium Cæſar eligeret. Ultro aſſentitus eſt; cæteriſque poſtpoſitis Imperii Magnatibus, qui hanc dignitatem ambiebant, ad preces Leopoldi Imperatoris Grimanus inter Diaconos Cardinales aſſumptus eſt hac die 22. Julii 1697. Romam adveniens, Pileum, & Diaconiam nactus eſt S. Euſtachii. In Congregationes iterum adlectus eſt Sacri Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, & Sacrorum Rituum.

Comitiis adfuit Vaticanis, in quibus Clemens XI. electus fuit. Sub Cæſaris vero patrocinio adeo ſemper manſit, ut ejus conſilii particeps, & maximarum rerum fuerit adminiſter. Neapolim ipſius Auguſti Cæſaris Pro-Rex allegatur. In hac ſuprema dignitate Juſtitiæ vindex habitus eſt, & effuſiſſimæ liberalitatis ſe præbuit exemplar; ſed jura Cæſaris amplificare deſiderans, non ſemel Eccleſiæ immunitatem neglexit, & Pontificiæ authoritati obdurato nimis animo adverſatus eſt. Tandem laboribus magis, quam annis preſſus in eadem dignitate, & in ipſa Neapolis urbe interiit die 26. Septembris anni 1710. ætatis ſuæ 55.

DA-

XXXXIX. DANIEL MARCUS DELPHINUS Venetus Joannis Cardinalis Delphini ex fratre Nepos, alteriuſque Joannis Cardinalis Delphini Abnepos fuit. Patrem habuit Nicolaum, matrem vero Eliſabetham Gradonicam, ex quibus Patritiæ Gentis Parentibus lucem adſpexit die 5. Octobris 1654.

Is a Joanne Delphino ejus Patruo, qui junior dici poteſt, Romam adducitur, quum ad Conclave advenerit, in quo Innocentius XII. electus fuit. Daniel maturæ jam erat ætatis, utque ſcientias omnes ſub Patrui diſciplina delibaverat, ſic eodem Patruo promovente, novo notus fuit Pontifici, ejuſque exiſtimationem eſt aſſequutus. Primo etenim inter ejus Cubicularios honoris eſt relatus, deinde inter Referendarios utriuſque Signaturæ cooptatus, ad præclarum munus Pro-Legati Avenionenſis traductus fuit. Ibi jura Sanctæ Sedis vindicavit, nec tamen Gallos finitimos offendit. Quinimmo & a Papa & ab ipſo Chriſtianiſſimo Rege magni ſemper eſt habitus. Quare vacantem in Gallia Apoſtolicæ Nunciaturæ Legationem utrimque deſideratus obtinuit.

Novum, ac perdifficile munus ſolita cum dignitate exercuit. Solers in promovenda Eccleſiæ Romanæ debita reverentia, ſeverus in vita, quam agebat, honeſtiſſima, magnificus vero in reliquo vivendi genere. Nobiles, ac Regni Primates conviviis excipiebat quotidie.

Hinc abditos cæterorum Miniſtrorum ſenſus, & Regni quaſi latebras rimabatur. Quid Gallia, quid ferme Europa cuncta moliretur, Pontificem certiorem faciebat. Virum hinc tot meritis commendatum Pontifex Brixienſi primum Epiſcopatui admovit, deinde in hac Promotione diei 14. Novembris anni 1699. inter Cardinales aſſumpſit. Quum vero Romam adveniſſet, eum & Pileo donavit, & titulo Sanctæ Suſannæ. Pariſiis excedens ne Purpuræ dignitatem deprimeret, neve honori, aut

loco

loco cederet, Principes Regi affines, quos *de ſanguine* appellant, ne quidem viſitavit, ut ejus anteceſſor Cardinalis Cavallerinus, Sancta Sede inconſultà, præſtiterat.

Comitiis adſuit Vaticanis, in quibus Clemens XI. electus fuit, iiſque expletis ad ſuam Brixienſem Eccleſiam remeavit; ubi pluribus editis pietatis, ac ſingularis munificentiæ monumentis, innocuam egit vitam uſque ad annum 1704., quo obiit die 5. Auguſti omnibus deſideratus, & in illa Cathedrali in Capella SS. Sacramenti honorifice tumulatus cum hoc Elogio:

D. O. M.
HIC JACENT OSSA MARCI DELPHINI
S. R. E. CARDINALIS BRIXIÆ EPISCOPI
DONEC EX HOC TUMULTUARIO
IN DIGNIOREM TUMULUM TRANSFERANTUR
OB. V. AUGUSTI ANNI MDCCIV.
ANNUM IPSE AGENS L.
INGENTI ANIMO, ET VIRTUTIBUS
VIR IMMORTALITATE DIGNISSIMUS.

L. JOANNES ALBERTUS BADUARIUS Venetus die natus eſt duodecima Martii anni *1649*. Præſtantes, Patritioſque habuit genitores, nempe Franciſcum patrem, matrem vero Helenam Micheli. Anno *1654.* quinquennis e ſinu matris eripitur a Patruo Alberto Baduario Epiſcopo Cremenſi, ut optimis puer diſciplinis imbueretur. Pietatem primo, rudimenta inde didicit litterarum. Anno *1663.* ætatis ejus decimoquarto, Clericalem arripit vitam, & prima tonſura initiatur a Patruo, inde vero annuente Alexandro VII. Summo Pontifice pingui ditatur Sacerdotio, quod idem Patruus ejus dimiſerat. Mox in Pontificatu Clementis X., quum Petrus Baſadonna Romam peteret, ut Galerum Cardinalitium acciperet, Albertum Baduarium Epiſcopum Cremenſem, atque hunc Joannem illius ex fratre nepotem ſocios habuit itineris.

Digitized by Google

Romæ hinc Joannes altiores hauſit diſciplinas, & laurea Doctorali ornatus fuit. Altero clementia Pontificis ditatus eſt Sacerdotio. Cremam inde redux, Archidiaconus dicitur illius Cathedralis, atque hæres ex aſſe inſtituitur ab octogenario illius Patruo, qui anno *1667.* morti conceſſit. At vero Joannes dimiſſo Cremenſi Archidiaconatu Patavium ſe contulit penes illius Urbis Epiſcopum Gregorium Barbadicum, quem ſatis virtutum omnium, & ſanctitatis fama commemorat. Ab eo Sacerdos dicitur, & Canonicus illius Cathedralis. Nec multo poſt Venetias revocatur, & ab Aloyſio Contareno Sereniſſimo illius Reipublicæ Principe, Primicerius renunciatur Eccleſiæ Ducalis Divi Marci.

Varios hoſce per gradus maxime Joannis creverat pietatis ſama, atque opinione virtutis. Adeo ut vacanti hinc Eccleſiæ Patriarchali Venetiarum, unanimi Patrum conſenſione ſimilique Romanæ Urbis plauſu præficitur die *16.* Septembris anni *1688.* Paſtorali regimini, & Cleri reformationi totus incubuit. Eccleſias omnes luſtravit, Seminaria, & Virginum cœnobia. Populi diffluentes mores repreſſit, & priſtinam ſeveritatem invexit. Optimos animarum curæ Sacerdotes præpoſuit, doctrina, & pietate præſtantes Viros undequaque acceſivit, atque ut alios erudiret nova inſtituit Seminaria, & Academias aperuit. Pueros ipſe edocebat Chriſtianæ fidei rudimenta in compitis, & plateis. In Eccleſiis vero frequens ex ſuggeſtu aſſurgebat Pontificali ornatus veſte, piiſſimiſque concionibus admirationem, & Populi lachrymas eliciebat. Verbi Dei præcones, alioſque Evangelicos adminiſtros ſuo ipſe ſumptu alebat. Sibi præſertim ſeverus frugali cibo, parvoque ſomno utebatur. Cilicio, aliiſque macerationibus non ſine ſanguinis effuſione debile corpus affligebat.

Jam vero apud Romanos Pontifices Innocentium XII. & Clementem XI. maximi Joannes habebatur. Propterea Clemens XI. eum inter Cardinales referre, & Brixienſi admovere Epiſcopatui decrevit. Intellexerat enim Clemens

mens non ſine gravi mœrore, quoſdam Hæreticæ pravitatis Sectatores, & Quietiſtarum errore infectos Brixiam perVaſiſſe. Virum idcirco quærebat vigilem, ac pium, ut firmo, ac conſtanti pectore ſceleri obſiſteret, atque impietatem evelleret. Hac igitur die 17. Maii anni 1706. Joannes inter Cardinales relatus eſt, & Brixienſi Epiſcopatui admotus.

Paruit Joannes; Romam prius advenit; inde Venetias rediit, ut dilectæ ejus ſponſæ fletus exciperet, miſſionemque efflagitaret. Mox Brixiam perrexit, & quam Venetiis morum ſeveritatem pateſecerat, majori animi conſtantia novo Populo exhibuit. Studium omne, operamque ſuam contulit, ut aberrantes a fide exilio, variiſque pœnis mulctaret. Spartam laudabiliter implevit, atque omnia proſpere evenerunt. Nec impios cominus modo inſectatus eſt, ſed eos procul etiam agentes exagitare non deſtitit. Jacobum quippe Piceninum apud Rhætos Calvinianum Magiſtrum, ejuſque ſcripta Italico idiomate typis data, collectis undique doctorum hominum laboribus, iiſque in vulgus editis, palam refellit. Nonnullos etiam Janſeniſtarum labe infectos viros, quos Gallorum exercitus nuper in Italiam advectus ſparſim diffuderat, ſtrenue exagitavit. Hinc plurimorum ſubiit invidiam, & obtrectatorum moleſtias. Has patiens ſuſtinuit uſque ad mortem. Nec umquam ab incæpto paſſus eſt dimoveri. Quinimo clarius emicuit ſeveritate in impios, & in pauperes miſericordia. Anno 1714. in Viſitatione ſuæ Diœceſis quum plurimum adlaboraſſet, gravem in febrim incidit. Brevi latens morbus vires ſuas exeruit, *Conclamata Salus eſt*. Sacris rite munitus piiſſime obiit Brixiæ die 17. Maii ejuſdem anni 1714., atque in eadem Cathedrali ſepultus eſt. Vixit annos 65. menſes 2. dies 5. Mortem ſanctiſſimi Paſtoris omnes omnium Ordinum Cives ingemuerunt. Ejuſque tumulum Populus pene incredibilis pio tumultu, multoque fletu decoravit. Nonnulla etiam narrantur prodigia divina

virtute ad ejus interceſſionem patrata, quæ quum nondum certiſſimo teſtimonio comprobata ſint, idcirco duximus omittenda. Nullam tamen iis fidem ſubducimus. Titulum Presbyteralem S. Marcelli, quem ab initio obtinuerat, anno 1712., quum iterum Romam adveniſſet, in alterum immutavit S. Marci. Romæ Congregationibus adſcriptus erat Epiſcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſticæ, & Propagandæ Fidei.

VI. DECAS CARDINALIUM

AB ANNO 1707. AD AN. 1759.

LI. PETRUS PRIOLUS Venetus die natus eſt 14. Maii anni 1669. clariſſimis Genitoribus, nempe Aloyſio, & Victoria Otthobonia, quæ Proneptis ex Fratre fuit Alexandri VIII. Paterno ex latere Majores habuit ampliſſimos, qui in illa beata Patria maximis omni ævo dignitatibus claruerunt; ipſe vero diſciplinis omnibus inſtitutus, profana tamen amictus veſte ad Patriæ Magiſtratus obeundos juxta Majorum exempla contendebat. Viceſimum annum natus de arripiendo Eccleſiæ inſtituto cogitavit idque illi ſtudium inceſſit, quum anno 1689. locatum intellexit in Petri Solio Alexandrum VIII., ejus ex eadem Victoria Otthobonia Avunculum majorem. Nonniſi tamen, quam mortuo eodem Alexandro VIII. Romam advenit.

Sub Innocentio XII. inter Præſules Romanæ Curiæ refertur, atque inter eoſdem Præſules Papæ domeſticos adnumeratur. Parvo interjecto tempore Præſes dicitur Cameræ Apoſtolicæ, deinde inter Clericos ejuſdem Cameræ recenſetur. Evecto demum ad apicem Apoſtolici Miniſterii Clemente XI., is, ut Cardinali Otthobono Cardinalitiam dignitatem reſtitueret, quam ab illius Patruo Ma-

Magno, nempe ab Alexandro VIII. acceperat, hunc illi affinitate propinquum, merito præterea virtutum, morumque integritate commendatum in Sacrum Senatum invexit, & Diaconiam illi attribuit S. Hadriani. Congregationibus etiam eum adjecit Epiſcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Indicis librorum prohibitorum, Indulgentiarum, Fabricæ D. Petri, & Rerum Conſiſtoralium. Protector ulterius dictus fuit Eccleſiæ S. Bartholomæi Nationis Bergomenſis.

Biennio vix elapſo vacanti Bergomenſi Epiſcopatui, pie ſcilicet 11. Maii 1708. admotus fuit. Ibi viginti ferme per annos juſtitiæ adminiſtrandæ, cultuique Divino amplificando impenſam, ac vigilem navavit operam. Anno 1720. poſt mortem Aloyſii alterius Cardinalis Prioli ex Diaconia S. Hadriani ad illius Titulum tranſiit Presbyteralem S. Marci. Bis Vaticanis interfuit Comitiis, pro electione nempe Innocentii XIII, & Benedicti XIII. Obiit die 21. Januarii anni 1727. Vixit annos 58. menſes 10. & dies 7. Sepultus eſt Bergomi in Eccleſia S. Alexandri.

LII. ALOYSIUS PRIOLUS Venetus optimis, ac Patriciis Genitoribus in lucem editus eſt die 15. Septembris anni 1650. Patrem quippe habuit Marcum Antonium Senatorem ampliſſimum, Matrem vero Helenam Baſadonna, quæ fuit Petri Cardinalis Baſadonna germana Soror. Quinque habuit Fratres Magiſtratibus in Patria ſtrenue geſtis præſtantes; quos inter maxime enituit Hieronymus, qui quum Venetæ Claſſi Præfectus eſſet extraordinarius, & in Turcos navali pugna dimicaret, incendio navis ejus abſorpta eſt, ipſe vero ab hoſtibus undique circumventus per tela, per ignes ad Superos evolavit.

His eductus majoribus Aloyſius, ut primum per ætatem licuit, optimis quibuſque diſciplinis imbutus fuit. Non-

Nondum pueritiam exegerat, quum Clericale inſtitutum decrevit arripere. In id vitam, & mores ejus inſtituit. Cito propterea pingui ditatus fuit Sacerdotio, quod dicunt *Abbatiam S. Zeni* in Agro Veronenſi, atque altero ſub titulo *Sanctæ Euphemiæ*.

In Legali facultate eruditus, & laurea Doctorali ornatus anno *1689.* a Veneto Senatu inter quatuor Cives recenſetur Pontifici nominandos, ut in Tribunali Rotæ Romanæ XII. Vir aſſumeretur. Ipſe revera a Pontifice inter cæteros ſelectus fuit. Diu, maximaque cum laude difficili hoc Magiſtratu functus eſt. Tandem die 18. Maii anni 1712, ut ſolitam Venetæ Reipublicæ benevolentiam ſuam Pontifex teſtaretur, cum inter Presbyteros Cardinales retulit, & Congregationibus adjecit Epiſcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Fabricæ Divi Petri, & Rerum Conſiſtorialium. Titulum S. Marcelli, quem primum nactus fuit, immutavit die 28. Maii anni 1714, & ad alterum aſcendit S. Marci. Prudentia, & morum integritate viguit ſingulari. Obiit Romæ die 13. Martii anni 1720. Sepultus eſt in Eccleſia ejus titulari S. Marci prope tumulum ſui avunculi Cardinalis Petri Baſadonna cum hoc monumento:

D. O. M.
ALOYSIUS S. R. E. TIT. S. MARCI
CARDINALIS DE PRIOLIS
SPECTATÆ INTEGRITATIS, ET PRUDENTIÆ
PRIMUM INTER S. R. ROTÆ XII. VIROS
DEINDE IN PURPURATORUM P. P. SENATUM COOPTATUS
APUD AVUNCULUM
PETRUM CARDINALEM BASADONNA
DIGNITATE, ET VIRTUTE NON IMPAR
TUMULARI JUSSIT
OB. ID. MARTII. AN. SAL. MDCCXX.
ÆTATIS SUÆ LXIX. MENS. VI.

JOAN-

LIII. JOANNES FRANCISCUS BARBADICUS Venetus die natus eſt 29. Aprilis anni 1658. præclariſſimis Parentibus, nempe Marco Antonio Procuratore D. Marci, & Clara Duodo. Ex fratre Nepos erat Gregorii alterius Cardinalis Barbadici Epiſcopi Patavini, alteri vero Cardinali Marco Antonio Barbadico Epiſcopo Montis Faliſci Affinis, & Agnatus. Parem egregiis natalibus nactus eſt educationem. Pietatem a pueritia, litterarumque rudimenta, plena exinde pubertate, cultiores hauſit diſciplinas. Profana tamen indutus veſte Patriæ inſervire, & graviſſima Reipublicæ munera obire inſtituerat, juxta majorum exempla.

Vix adoleſcentiam exegerat, quum ad arduum Magni Sapientis, ut dicunt, officium admovetur in Patria. Aliquot inde emenſis annis Orator deſignatur ad Ludovicum XIV. Gallorum Regem. At Religionis inſtinctu ſæcularibus curis poſtpoſitis, Clericalem vitam arripuit. Brevi Primicerius renunciatur Eccleſiæ Ducalis D. Marci; tantaque etiam apud Innocentium XII. crevit exiſtimatione, & laude, ut poſt mortem Præſulis Leoni vacanti Eccleſiæ Veronenſi Epiſcopus exinde datus fuerit. Quam ſui expectationem excitaverat, luculenter implevit; & piiſſimus Paſtor ubique vigil, ubique præſens emerſit. Gregem ſibi commiſſum Evangelico pavit eloquio, illique exemplo anteivit. Infirmis, præſertim vero morientibus etiam in Xenodochiis, ſpreto quocumque vitæ periculo propria manu Sacramenta miniſtravit. Cardinalis Auguſtinus Fabronus maximus erat Barbadici extimator. Hic auctor illi fuit, ut Veronæ Epiſcopatum dimitteret, & ad alterum Brixiæ gradum faceret. Spem illi injecit, ut ſi ita Romano Pontifici morem gereret, ad maximam Eccleſiæ dignitatem, ſcilicet ad Sacræ Purpuræ honorem eveheretur. Renuebat Barbadicus, nec facile a ſuo Veronenſi Populo patiebatur divelli. At Clemens XI. virum mo-

modeſte, atque obdurato nimis animo recuſantem imperio Religionis deterruit. Vacanti primùm Brixienſi Eccleſiæ illum admovit, deinde inter Cardinales retulit hac die 29. Novembris 1719. Decem tamen menſibus eum in pectore retinuit, & nonniſi evulgavit, quam die 30. Septembris anni 1720.

Virum numeris omnibus clariſſimum nec minus Innocentius XIII. obſervavit, dilexit; ut enim ejus egregia virtus facilius, & largius exemplo eſſet, anno 1723. die 20. Januarii ad vaſtiſſimum Patavii Epiſcopatum eum tranſtulit, qui morte Cardinalis Georgii Cornelii nuper vacaverat. Quam Veronæ, quam Brixiæ integerrimam vitam exegerat, eandem prorſus agit in Eccleſia Patavina cum magno Religionis incremento. Diœceſes ſibi commiſſas luſtravit, inſpexit. Ad montes, & inhoſpita loca pervenit. Seminaria amplificavit, Clericoſque moribus ſanctiſſimis imbuit, Cœnobia præſertim Virginibus Deo ſacris ædificavit, idoneiſque redditibus inſtruxit. Clericos vel ad Sacros Ordines initiandos, vel Sanctimonialium Confeſſionibus, aut animarum curæ præficiendos nonniſi pietate, & ſcientia præditos elegit. Propterea in probos, doctoſque viros liberalis munificus, in pauperes vero effuſiſſimus fuit; quos ne ſacræ doctrinæ pabulo deſtituti vagarentur, piis juvit largitionibus, coegitque, ut Chriſtianæ Cathecheſi ſingulis diebus feſtis intereſſent. Mariam Caſimiram Poloniæ Reginam Verona pertranſeuntem in ſuo Epiſcopali Palatio ſplendidiſſime excepit. Ibi ſcripta S. Zenonis Epiſcopi Veronenſis avidiſſime conquiſita collegit, publicique Juris fecit. Opera etiam S. Gaudentii partim obliterata, vel oblivione deleta pari diligentia rurſus edidit. Hiſtoriam ejuſdem Eccleſiæ Veronenſis eruditis viris demandatam, ſimiliter Typis dedit. Elogia demum virorum illuſtrium ejus præclariſſimæ Familiæ in unum volumen coacta, pari nitore, ac magnificentia in vulgus miſit.

Titulum Presbyteralem SS. Petri, & Marcellini, nactus

ctus fuerat. Bis Romæ Vaticana Comitia celebravit, nempe pro electione Innocentii XIII., & Benedicti XIII. Cardinalem Gregorium Barbadicum ejus Patruum, & in Epiſcopatu Patavino Anteceſſorem maxime ſibi imitandum propoſuit. Plurimum etiam adlaboravit, ut hic Venerabilis Dei Servus vitæ ſanctimonia ubique commendatus inter Beatos referretur. Id tamen aſſequi non potuit. Obiit die 27. Januarii anni 1730., & in eadem Cathedrali Eccleſia Patavina prope tumulum ipſius Cardinalis Gregorii ejus Patrui ſepultus eſt.

LIV. DOMNUS ANGELUS MARIA QUIRINUS Venetus ex vetuſtiſſima, Patritiaque Familia in lucem prodiit die 30. Martii anni 1680. Patrem habuit Marcum Procuratorem Divi Marci, matrem vero Cæciliam Juſtinianam præſtantiſſimæ itidem nobilitatis Fœminam, quum ſacris luſtralibus aquis ablutus fuit, Hieronymi Quirini nomen obtinuit. Septennis Brixiam traducitur, atque in Collegio Nobilium S. Antonii Patribus Societ. Jeſu inſtituendus traditur. Valida ibi in exercitio Chriſtianæ pietatis, & in ſtudio litterarum fundamenta jecit. At Religionis inſtinctu ab invitis, & obſiſtentibus Genitoribus annos natus 16. ſumma ope impetravit, ut inter Benedictinos Congregationis Caſinenſis reciperetur.

Florentiam petiit, atque in celebri illo Benedictinorum Cœnobio veſtem induit Religioſam, & Angeli Mariæ ſibi nomen impoſuit. Exacto probationis tempore, votis illius Inſtituti ſe ſolemniter obſtrinxit. Hominum in ea Civitate eruditione præſtantium conſuetudine familiariter uſus eſt. Anno 1706. lucubrationem quandam ſuam Cæſenæ typis evulgavit ſub hoc titulo: *Oratio de Moſaicæ hiſtoriæ præſtantia.*

Anno 1710. cum Joanne Quirino fratre ejus, poſtea Divi Marci Procuratore longinquas iniit peregrinationes, ut

Digitized by Google

ut hominum multorum Urbes, moreſque introſpiceret. Cultiores Italiæ Civitates, magnam inde Germaniæ partem peragravit, ad Batavos demum pervenit. Hagæ Comitum aliquandiu ſubſtitit, ubi Europæ Principum Oratores pro ſancienda pace convenerant. Studio adhuc extimulatus luſtrandæ Europæ in Angliam trajecit. Inde in Galliam perrexit. Triennium eo in Regno conſedit, & ut litterariæ ejus cupiditati indulgeret, cum viris doctis Montfauconio, Calmeto, Huetio, Renaudotio, Natale Alexandro, Carolo Rollino, Bernardo de Fontanelle, Andrea Dacerio, & Anna ejus Conjuge, Tranquilli Fabri filia, aliiſque familiariter verſatus eſt. Lutetiam urbem regiam ejuſdemque urbis Muſæa, Bibliothecas, Numiſmatophilacia, aliaque admiranda luſtravit. Reliquas illius Regni Provincias, atque in eis venerandæ antiquitatis reliquias inveſtigavit.

Anno 1714. in Italiam reverſus Florentiam reviſit ſtudiorum olim ſuorum altricem, & matrem. Pa rum ea in Urbe moratus eſt. Ipſo eodem anno exeunte Romam properavit. Clementem XI., qui jam de ſtudiis ejus, diuturniſque peregrinationibus certior fuerat factus, benevolum, & fautorem invenit. Ab eo Sacris Congregationibus adjectus fuit Indicis, Sacrorum Rituum, & Librorum Orientalium expurgandorum. Inde Caſinenſis Abbas eſt dictus.

In Comitiis ſui Ordinis generalibus provincia illi demandata fuerat, Annales Benedictinos Italiæ conſcribendi. Obtentu igitur Tabularia Neapolitana inveſtigandi, præſertim vero Caſinenſe, Neapolim ſe contulit anno 1716. Ex eo Regno reverſus, haud multo poſt Diſſertationem ſuam typis mandavit, cui titulum præpoſuit: *De Monaſtica Italiæ hiſtoria conſcribenda*. Cœnobium inde adiit Farſenſe, ut ex pervetuſto illo Archivo monumenta hauriret, quæ primo Monaſticæ hiſtoriæ volumini contexendo inſervirent. Hoc primum volumen unice implebat Farſenſium monumentorum deſcriptio. Eadem vero monumen-

menta integra, ut plurimum, ac per extenſum relata hoc in libro habebantur. Hoc propterea Clementi XI. in cauſa fuit, ne ipſe hujuſce libri editioni aſſentiretur; timebat enim, ne Diplomatum Farſenſium promulgatione Pontificii nominis hoſtes, depravato eorum ſenſu, abuterentur. Simili, imo forte adhuc deteriori, novi ejus conatus excepti ſunt, quos in emendandis Græcorum Officiis impenderat. Hoc illi munus demandaverat Sacra Congregatio Librorum Orientalium correctioni præpoſita. Anno 1721. fidem exoneravit ſuam. Innoc. XIII. novo Pontifici volumen quoddam exhibuit: *Officii Quadrageſimalis Græcorum;* cui aliquot Diatribas ſuas adjecerat. Sed multorum liber reprehenſionem ſubiit. Ipſa Sacra Congregatio authoritatem ſuam interpoſuit, & Quirinum prohibuit, ne ſuſceptum opus proſequeretur, neve quod jam abſolverat, evulgaret.

Interea Quirinus fruſtratos labores ſuos dum maxime dolet, de deſerenda Urbe cogitavit. Anno itaque 1722. Venetias perrexit. Manus ſtatim appoſuit novæ faciendæ editioni Vitæ S. P. Benedicti, eamque evulgavit anno 1733. ſub hoc titulo: *Vita Latino-Græca S. P. Benedicti. Textus Latinus authore Gregorio Magno &c. Verſio Græca authore Zacharia Papa &c.* Eodem anno Veneto promovente Senatu Archiepiſcopatui Corcyrenſi admovetur. Romam remeavit, ut conſecraretur Epiſcopus. Hac pariter ſolemnitate abſoluta Corcyram contendens, ad eandem Inſulam anno 1724. appulit. Poſtquam ibi biennio Paſtoralis ſollicitudinis partes omnes impleverat, Romam remigrare decrevit, ut limina Apoſtolorum veneraretur.

Anno 1726. Romam adveniens Benedictum XIII. in Petri Cathedram locatum invenit, cujus ne quidem faciem antea noverat. Et tamen adeo illi fortuna arriſit, ut brevi intimam cum eo familiaritatem inſtituerit. Sermonum, conſiliorumque Papæ ſtatim factus eſt particeps. Suſpiciebat in eo Pontifex natalium ſplendorem, Chriſtiani animi magnitudinem in arripiendo Monaſticæ vitæ

Inſtituto, & tranſitum ex illo ad Epiſcopale miniſterium quæ omnia ipſi Benedicto XIII. adamuſſim contigerant. Præterea viri doctrina delectabatur, ingenio prompto, ac verſatili, & mirifica de rebus omnibus loquendi, & diſſerendi facilitate. Ut ergo benevolentia illi quam ampliſſimo teſtimonio ſignificaret, ex Corcyrenſi Inſula ad Brixienſem Epiſcopatum eum traduxit, & Conſultorem poſtea dixit Congregationis S. Officii. Et demum in ſolemni promotione eum inter Cardinales retulit, & titulo decoravit S. Auguſtini, quem anno 1728. dimiſit optans illum S. Marci. Hoc vero in Commendam retento ad alterum gradum fecit S. Praxedis. Horum Titulorum Eccleſias ipſe munificentiſſime ornavit. Ut Brixiam pervenit, Eccleſiam illius Civitatis majorem collatis Fidelium oblationibus maxime amplificavit; Diœceſim luſtravit, atque omnia charitatis, optimique Paſtoris officia implevit.

Mortuo Benedicto XIII. Romam remeavit, ut Vaticanis adeſſet Comitiis. Electo Clemente XII. ſtatim poſt mortem Cardinalis Benedicti Pamphilii Bibliothecarius S. R. E. renunciatur. Opera S. Ephræm Syri in vulgus edidit. Librum etiam de Corcyræ primordiis recudi curavit. Mox ut Brixiam reverſus eſt veteres Brixianæ Eccleſiæ Patres in Codicem coegit, eumque evulgavit. Item *De Brixiana Litteratura* librum compoſuit. Et Franciſci Barbari Epiſtolas hac illacque diſperſas collegit, & typis edidit.

His interea, aliiſque curis diſtractus, Romam crebris itineribus meavit, remeavitque uſque ad annum 1740. quo mortuo Clemente XII. Vaticana iterum celebravit Comitia. Aſſumpto in Petri Cathedram Benedicto XIV. Brixiam iterum reverſus eſt. Epiſtolas Cardinalis Reginaldi Poli publici Juris fecit. Suas etiam Epiſtolas in Decades diſtributas evulgavit. Quotidianas item ſubiit contentiones cum viris in Italia, atque extra Italiam eruditione præſtantibus. Ex iis Cardinalis Quirini utro-

bique perſonat nomen, & Litteraria propemodum fatigatur Reſpublica.

Sacris in Urbe Cardinalium Cœtibus ſcriptus eſt Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Viſitationis Apoſtolicæ, & Diſciplinæ Regularium. Vivit adhuc otii inſolens, vitamque degit prorſus actuoſam. Anno 1750. Romam rediit gravia Venetæ Reipublicæ negotia curaturus.

Qui plura de hoc Cardinali velit intelligere, *Commentarios* adeat de rebus ſuis a ſe ipſo conſcriptos, & in tria volumina uſque adhuc digeſtos. Ex iis ſatis percipiet quos claros viros habuerit, & ſtudiis eiſdem, & vetuſtate amicitiæ ſibi conjunctos; qua fuerit indole præditus, quos libros ediderit, qua ingenii vivacitate inferbuerit, qua pietate præſtiterit, qua demum prudentia, & dexteritate negotia ſibi data peregerit.

LV. CAROLUS REZZONICUS Venetus(*) ex Jo: Baptiſta, & Victoria Barbadica præſtantibus, ac patritiis Genitoribus in lucem editus eſt die 7. Martii anni 1693. Decennis Bononiam traductus eſt, & in Collegio S. Franciſci Xaverii ſub cura Patrum Societ. Jeſu Rhetoricæ, & Philoſophiæ naviter incubuit. Inde in Patriam redux, biennio Juriſprudentiæ, & dogmaticæ Theologiæ impenſam navavit operam. Mox in celebri Univerſitate Patavina Doctoratus inſignibus donatus eſt. Demum annos natus 22. Romam venit, & in Academia Eccleſiaſtica exceptus eſt, quo loco Nobiles Adoleſcentes inſtitui ſolent, qui ſervitio Romanæ Eccleſiæ ſolent mancipari. Utroque juri evolvendo intentum adjecit animum; atque ut magis in legali facultate proficeret, optimis uſus eſt Cauſidicis; præſertim vero Jacobo Lanfredinio Advocato ea tempeſtate clariſſimo, qui in dignitate Cardinali-

(*) Hunc hodierna die nos veneramur Pontificem Maximum CLEMENTEM appellatum XIII.

nalitia paulo ante Carolo noſtro præivit, ut patet ex Vita Jacobi Cardinalis Lanfredinii. Tandem die 28. Maii anni 1716. Præſulum Romanæ Curiæ amplexus eſt inſtitutum, & inter Prothonotarios de numero Participantium meruit recenſeri.

Cito regendis Ditionis Eccleſiaſticæ Civitatibus addicitur. Reatinæ primum, inde vero anno 1721. Fani Fortunæ Civitati datus eſt Prætor. Munera ſibi impoſita poſtquam plures per annos ſingulari probitate, ac prudentia adminiſtravit, anno 1725. Romam revocatur, & ad ferendum ſuffragium aſſumitur in Congregatione, quæ Conſultationibus præeſt Status Eccleſiaſtici. Demum exeunte Benedicti XIII. Pontificatu anno nempe 1729. XII. Vir Rotæ Romanæ renunciatur. Octennio Magiſtratum geſſit ea integritate, ac fide, qua Juſtitiæ undequaque proſpexit, & nominis ſibi celebritatem conciliavit.

Ideo Clemens XII. ejus meritis excitatus, ut Venetæ etiam Reipublicæ benevolentiam ſuam teſtaretur, hunc ejuſdem Reipublicæ filium in celebri Cardinalium enunciatione in Sacrum Senatum invexit. Diaconiam illi attribuit S. Nicolai in Carcere Tulliano, eumque Congregationibus adjecit Sacri Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Sacræ Conſultationis, Viſitationis Apoſtolicæ, Epiſcoporum, & Regularium, & Fabricæ Divi Petri.

Mortuo Clemente XII. Vaticana celebravit Comitia, ſuoque calculo electioni Benedicti XIV. feliciter regnantis ſuffragatus eſt. Diaconiam S. Nicolai dimiſit, & in Ordine Presbyterali titulum optavit S. Mariæ in Ara Cœli. Die 11. Martii anni 1743. mortuo Joanni Otthobono ſuffectus eſt in Epiſcopatu Patavino. Illuc ſtatim ſe contulit, & præclaram illam Eccleſiam moribus ornat integerrimis exemplo, & legibus ſaluberrimis emendat. Vaſtam Diœceſim luſtrare non deſinit, in omnes providus, in pauperes miſericors. Pietate, & doctrina præſtantes Viros inquirit, Cleri reformationi præſertim vero Sacerdotum, & Parochorum vehementer incumbit. Et ut nova probo-

rum

rum Sacerdotum progenies indeſinenter aſſurgat, Seminarium Epiſcopale ad tantam extenſionem auget, & producit, ut Civitati ornamento, & Eccleſiæ Patavinæ præſidio ſingulari ſit futurum. Jam in veteri domicilio ſupra centum quinquaginta adoleſcentes quotannis aluntur. Nova vero, atque ingens ædificii moles majori habitantium numero, eorumque commodo, & utilitati magis apta, eminenter attollitur. Jure igitur Gens Patavina pro ejus incolumitate vota nuncupat ſua, ut eximia pietatis opera, quorum tam firma jecit fundamenta, poſſit abſolvere.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

TIA-

Digitized by Google

TIARÆ ET PURPURÆ
VENETÆ

PARS TERTIA

AMPLECTITUR ELOGIA

ALEXANDRI VIII. & CLEMENTIS XIII.

SUMMORUM PONTIFICUM,

DANIELIS DELPHINI, CAROLI REZZONICI,
ANTONII MARINI PRIULII & SANCTI VERONENSIS

CARDINALIUM,

GREGORII XII. & EUGENII IV.


PONTIFICUM MAXIMORUM

VINDICIAS,

Novas tandem in univerſum Opus

ANNOTATIONES.

Digitized by Google



ALEXANDER VIII.

INnocentio XI., qui idibus Auguſti an. 1689. deceſſerat, celebratis inferiis, Cardinales in Conclave recepti, in PETRUM OTTHOBONUM ob doctrinæ præſtantiam, rerumque experientiam omnium, oculos converterunt, brevique temporis intervallo, ſtatim, cum quinquagintaduo jam conveniſſent, una voce pridie Nonas Octob. ad curam univerſæ Eccleſiæ octogenarium admovere, qui Alexandri III. in Venetam Rempublicam beneficentiæ, & Alexand. VII. quem maxime admirabatur, virtutis memor, ALEXANDER & ipſe VIII. voluit appellari.

Digitized by Google

Petrus itaque Otthobonus Marcum habuit parenrem præclaro apud Venetos magni Cancellariatus honore condecoratum ; ejus enim familia ex Civicis erat, quibus ſecreta Principis committuntur : quo munere præclare geſto, cum antea ex EubϾæ inſulæ primoribus eſſet, inter adlectos Patricios adſcriprus eſt. Hic Petrum teneræ adhuc ætaris humanioribus litreris imbuendum miſir Patavium. Eo in Lyceo muſis omnibus excultus Romam contendit, ut gravioribus inſtrueretur diſciplinis, Urbis præclara quæque inſpiceret, formamque Reipublicæ illius cognoſceret. Ibi Joanne Baptiſta Coccino Veneto uſus præceptore ad Juriſprudentiam animum inrendit, in qua ita profecit, ut inrer *Utriuſque Signaturæ Referendarios* ab Urbano VIII. relarus, plurium ditionis Eccleſiaſticæ urbium creatus Gubernator, nempe Interamnæ, Reatis & Spoletii, eas provincias integritaris & ſapienriæ ſumma cum laude geſſerit. Torcelli poſtea Epiſcoparui præfectus, & anno 1642. adlectus inter XII. Viros qui Romæ juri dicundo præſident, vocanturque *Rotæ Auditores*, quod munus decem circiter annos geſſit integerrime perinde ac docte, ut ejus Deciſiones typis vulgatæ oſtendunt. Ob hæc merita S. R. E. Cardinalium numero adſcriptus fuit die 19. Februarii anno 1652. ab Innocentio X., atque inde ad Epiſcopatum Portuenſem aſcendit. Paulo poſt, VII. nimirum Decemb. die ann. 1654. renunciatur Brixianæ Eccleſiæ Paſtor, quam decem annis egregie ad-

adminiſtratam (permittente ſummo Hierarcha Alexandro VII. a quo Abbatiæ Vangadicienſis in Pollicinio Veneto uni ſummo Pontifici ſubjectæ adminiſtrationem accepit) Marino conceſſit Joanni Georgio. Itaque celebratis anno 1664. ſuo cum grege Sacramentis Paſchalibus, iter Romam verſus aggreditur. Illius reditum ad Urbem maxime acceptum habuit Summus Pontifex, ejuſque conſilio frequens utebatur, præcipuiſque adjecit Congregationibus. Quatuor Pontificum adfuit creationi, nempe ipſius Alexandri VII., Clementis IX. & X. & Innocentii XI. Sub Clemente autem IX. Datarii munus laudabiliter implevit.

Statim ut Romam pervenit ſacro galero decorandus, in D. Marci, neſcius ſummi, quem ſibi Deus deſtinarat, honoris, tumulum ſibi etiam parari voluit; cum illum ferme dirutum inveniſſet, quem anno 1590. Marcus ejus Pater Hieronymo fratri eo in templo poſuerat, reſtaurandum ipſe curavit. (a)

Anno 1689. mortuo Innocentio XI., poſt interregnum unius menſis & dierum vigintiquinque pridie nonas Octobris Summus Pontifex renunciatur, dictuſque ALEXANDER VIII., nemini ea ætate qui præſtanti ingenio floreret, creditus ſe-

cun-

(a) Rem teſtantur binæ ephigraphes humi in eodem Templo ad hanc diem exiſtentes, quas Aloyſius Galeſius retulit citatæ Collectionis Venetarum Inſcriptionum pag. 18.

cundus. (a) Gratus in veterem ſponſam; Apoſtolicis eam litteris, ac magnificis muneribus exornavit. Illius Capitulum Cathedralis ob accepta beneficia hanc ei poſuit inſcriptionem in veteri Odeo ſub B. M. Virginis effigie:

ALEXANDRO VIII.
P. O. M.
EX BRIXIENSI
AD ROMANAM CATHEDRAM
UNICE ASSUMPTO
ARGUMENTUM OBSEQUII
MONUMENTUM GLORIÆ
CANONICI P.
MDCXC.

Alterum inſuper auguſtius monumentum in cavædio, Seminarii ædes illuſtrante, marmorea ornatiſſimaque impoſita ſtatua, erigendum curavit Clerus; cujus hic exemplum damus:

ALEXANDRO VIII.
PONTIFICI VERE MAXIMO.
PATRITIO VENETO. FAMILIA OTTOBONO.
EPISCOPO ANTEA SUO.
CLERUS BRIXIANUS.
P. C.
BARTHOLOMÆO GRADONICO
SEDENTE.

Gratus in Patriam Venetis jus antiquum exigendi Decumas Clericorum confirmavit, juvitque Claſſe & auro gerentes bellum contra Turcas. Strenuo mi-

(a) In ejus ingenii elegantiam hoc nos alio Opere attulimus elogium: *Alexandre VIII. qui étoit un des meilleurs eſprits de ſon ſiecle &c.* Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences Année MDCCXLI. dans l'Eloge de M.r le Cardinal de Polignac.

militi ac Principi Franciſco Mauroceno ob ejus ſingularia in Chriſtianam rem merita Galeam miſit & enſem ſtrenuis Imperatoribus dari ſolitum. Jus perpetuum impertivit Patriæ eligendi Epiſcopos atque Archiepiſcopos urbium, quas Turcis eripuiſſet. Cæteris, quibus D. Marci Primicerius fruebatur privilegiis uſque a Joanne Participatio Venetiarum Principe, & hoc addidit, promovendi Clericos ſuos ad quatuor minores Ordines. Rem, ſed incaſſum, a Deceſſore ſuo tentatam, ut Regum Oratores dimitterent jus antiquum Immunitatis, utque Rex Chriſtianiſſimus reſtitueret Apoſtolicæ Sedi Avenionem & Ducatum Venaiſinum, feliciter obtinuit; quibus reſtituta Pontificem inter & Galliarum Regem pax fuit. Primum Venetiarum Patriarcham B. Laurentium Juſtinianum: Joannem a S. Facundo Ordinis Eremitarum S. Auguſtini: Joannem de Capiſtrano: Paſchalem Baylonium Ordinis S. Franciſci, & Joannem de Deo Sacerdotum inſervientium Xenodochiis parentem, Sanctorum Catalogo ſolemni pompa deſcripſit. Chriſtianorum mores corrigendos ſuſcipiens, novam *de peccato Philoſophico* doctrinam, peccatumque ipſum Philoſophicum, atque unam ſupra triginta Propoſitiones proſcripſit. Celebri Conſtitutione, quæ incipit: *Inter multiplices*, Sanctæ Sedis, jura ſarta tecta ſervavit. Nec minori cura ad regimen temporale animum intendit. Nam & ne peſtilentia, quæ Neapolitano in regno graſſabatur, Eccleſiaſticæ ditionis fines attingeret, incredibili diligentia perfe-


fecit, electis etiam ad id munus ex Præſulum Ordine Commiſſariis duobus, Georgio Cornelio & Franciſco Triviſano Patriciis Venetis: utque rem agrariam reſtitueret, plura providit. Selectiſſimam paravit Petro pronepoti Bibliothecam: Codices manuſcriptos magno pretio coemptos, quos Chriſtina Svecorum Regina doctiſſima moriens reliquerat, in Vaticanam, pluteis in eam rem diſpoſitis, invexit Bibliothecam. Alia quamplura in rei Catholicæ bonum dum molitur, obiit annum agens ætatis octogeſimum primum, Pontificatus vero unum cum duobus menſibus, ſexque ſupra viginti diebus. Laudatus in funere de more in Vaticano ab Abbate Ludovico Sergardio, ſepultuſque in eadem Baſilica cum hac epigraphe, quam poſtea in magnifico, quod erexit, mauſoleo cum ænea ſtatua ſedente, PETRUS CARDINALIS OTTHOBONUS inſcribi fecit:

PATRUO MAGNO
ALEXANDRO VIII. OTTOBONO
VENETO. P. O. M.
PETRUS CARD. EPISCOPUS SABIN. S. R. E. VIC. CANC.
ANNO JUB. MDCCXXV.

Ejus Pontificatum etſi perbrevem duo tamen ſupra viginti celebrant Numiſmata, quæ doctus exhibet Rodulphinus Venuti. (a)

CLE-

(a) Pag. 309. Numiſmatum Roman. Pontif. Romæ 1744.



CLEMENS XIII.

CAROLUS CARDINALIS REZZONICUS dum abditiſſimas atque aſperrimas Patavinæ ſibi creditæ Provinciæ regiones, quæ *Septem Communitates* appellantur, malo anni tempore, ſacra Viſitatione vix perluſtraverat; immenſis de more laboribus toleratis, cum ob difficillima, mora ferme nulla interpoſita, itinera, tum ob ſacras ſemel, iterum ac ſæpius habitas, evangelizandis maxime pauperibus, diebus ſingulis conciones, tum demum ob varias, infinitas occupationes: dum incredibilibus ac prope regiis largitationibus recreat afflictos, viduas, orphanos, puellas ſuſtentat, dum principi ſuæ Eccleſiæ

magnificentiſſimas ſubſtructiones partim induſtria, partim ingenti ſuo ære addi curat: dum alia ſexcenta vigilantiſſimus molitur Paſtor pro augenda Cleri diſciplina, augendaque fide & pietate, Benedictum XIV. Pontificem optimum die tertia Maji anno MDCCLVIII. in beatam æternamque vitam, (ut pro certo ipſi ſperamus, qui tanti Pontificis virtutes inſpeximus, cognovimus, admirati fuimus) pretioſa mors tranſtulit. Compoſitis ſuæ Eccleſiæ rebus, Romam contendit, ingreſſuſque Conclave, in id, ſuis quibuſcunque poſthabitis rationibus, tota ejus ſtudia incubuere, ut uni Chriſtianæ Reipublicæ bono conſultum iret. Verſis, ut fieri ſolet, votis modo in hunc ex graviſſimis Purpuratis Patribus, modo in illum, tandem infra duos a Benedicti morte menſes in Cardinalem Paravinum pridie Nonas Julias Patrum vota conſenſere. Quæ in eum deligendum eos movere, fuerunt caſtiſſimi ab adoleſcentia mores, in muneribus obeundis æqui rectique tenacitas, humanitas cum gravitate conjuncta, Eccleſiaſticæ augendæ diſciplinæ ſtudium, Eccleſia denique Patavina ad quindecim annos ſanctiſſime adminiſtrata. Obluctatus eſt ipſe ingenue & ex animo, ne Pontifex fieret, ſublimiſſimo munere eo dignior, quo ſibi indignior videbatur. Obſecutus demum eſt illis, quos divino numine proculdubio ſciebat afflatos, CLEMENTIS XIII. aſſumpto nomine. Certus Venetias nuncius ut pervenit, in Senatum, qui tum forte frequentiſſimus habebatur,

tur, admiſſus, ingentique lætitia exceptus eſt; negotiis quibuſcunque abruptis, Rezzonicas ad ædes Senatus ipſe convolat, Pontificis genitrici ætate extrema, mente tamen valida, fratri, nepotibuſque præ ſubita inſolitaque lætitia potius obmuteſcentibus, quam geſtientibus, gratulaturus: gratulatura & ipſa univerſa Civitas ædes, plateas viaſque omnes feliciſſimis illis ædibus proximas complet, quæque expenſis modo publicis, modo privatis, inaudita & magnificentiſſima dedit per plures dies benevolentiæ, exiſtimationis, obſequii argumenta perennia.

Quæ Pontificia e Sede CLEMENS XIII. in hanc diem fecit ad Numinis æterni cultum fovendum Romanæque Urbis augendum decorem, teſtantur quæ ipſi hactenus cuſa ſunt tria hæc Numiſmata, quæ a Comite Mazzuchelli accepta hic nobis exhibere placet. (a)

I.

CLEMENS XIII. PONT. AN. I.
In parte averſa
SCHOLA PICTORUM CAPITOLINA.

II.

CLEMENS XIII. P. M. AN. I..... O. H. (b)
In parte averſa
DEDIT PAUPERIBUS
MDCCLIX.

III.

CLEMENS PONT. MAX.
In parte averſa Pictor exhibet Virginis imaginem.

(a) Edentur in altero ſingulari Mazzuchelliani Muſæi tomo.
(b) Id eſt OTHO HAMERANUS.

Sunt inſuper Inſcriptiones nonnullæ ipſi dedicatæ (a). Sed præclara tanti Pontificis geſta, cujus *indulgentia pietate ſola ſuperatur*, aliis, qui deinde futuri ſunt, celebranda relinquimus. De vivente enim ſuaque mole ſtante Pontifice dum verba facio, *magis vereor loquacitatem meam reprehendi, quam eloquium requiri* (b).

DA-

(a) Extant ad calcem tomi III. Inſcriptionum Romanarum infimi ævi, CLEMENTIS XIII. juſſu a cit. Galletio editarum Romæ 1760.

(b) S. Auguſt. Epiſt. ad Chriſtinum CCLVI. edit. M.

LVI. DANIEL DELPHINUS ex Andrea Delphino, qui Baylivi munere fungens obiit, & Piſana Bembo femina lectiſſima natus eſt IX. Cal. Septembris anni MDCLXXXV., qui ſplendidiſſimis admonitus Majorum exemplis, æque morum integritatem ac literarum ſtudia coluit ab adoleſcentia. Patavii Juris utriuſque lauream conſecutus, datus eſt a Clemente XI. Decemb. die quinta an. MDCCXIV. Dionyſio patruo Aquilejenſi Patriarchæ illius Eccleſiæ Adminiſter; unde Summi Pontificis pedes oſculaturus Romam cum ſe contuliſſet, dictus eſt Epiſcopus (ut ajunt) *in partibus* Aureliopolitanus. Mortuo Dionyſio Patriarcha anno 1734., Patriarchatus Aquilejenſis idibus Auguſti ejuſdem anni regimen ſuſcepit, accito ſibi in Adminiſtrum (Clemente XII. Venetoque Senatu conſentientibus) Bartholomæo Gradonico, cum propter vetuſtam cum Gradonicis ſanguinis propinquitatem, tum propter Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium, cui tunc in urbe Roma vacantem Gradonicum *Utriuſque Signaturæ Referendarium* ſummus Pontifex renunciarat, Prælatumque Domeſticum & ad Pontificium Solium aſtantem; quemque deinde XIV. Cal. Octobris ejuſdem anni Thyatiræ *in partibus* infula decoravit.

Delphinus itaque provinciam ſibi commiſſam excolere cœpit diligentia omni: univerſam (qua patet aditus) Diœceſim ſacra luſtratione obiit, unumquemque Paſtorum ſingillatim admonens, ut animarum ſaluti ſedulo inſtaret; neque eum ab omnibus ovibus ſuis viſendis & cognoſcendis laborum aſſiduitas, non aſperrima præruptaque montium itinera deterruerunt. Ea peracta, mores diſciplinamque inſtaurare ſummopere cupiens, ægerrime ferebat, Diœceſanam a ſe Synodum indici non poſſe; per annum tamen & ultra oppoſito obici obluctatus, ex illo tandem evadens, coegit Synodum, perfecit, & typis editam

Digitized by Google

tam anno MDCCXLI. promulgavit. Aſſidua ſui ipſius & Parochorum in excolenda Domini vinea non contentus opera, Sacerdotes *Miſſionum* auxiliarios colonos conſcripſit, quos, ſplendidis attributis ædibus, annuoque large conſtituto cenſu, proprios fecit, Dominicus ut ager ſegete quotannis veſtiretur uberiori. Veteres imitatus Epiſcopos, Clerum pluribus Homiliis latino ſermone, iiſdem, ne animo excidant, prælo etiam impreſſis, hortatur & obſecrat, ut diei & æſtus pondus portantibus operam ſuam adjungere curet, eumque ad propoſita Aquilejenſium Sanctorum, aliorumque doctrina & pietate præſtantium Majorum ſuorum ſectanda veſtigia mirifice incendere pergit. Quos ipſi & avita res, & pinguia Sacerdotia exhibent redditus, præter parciſſimos ſui victus cultuſque ſumtus, in pauperes ſublevandos templaque exornanda confert. Hujuſmodi merita perpendens Benedictus XIV. Presbyterum Cardinalem creavit IV. idus Aprilis anni MDCCXLVII. titulo S. Mariæ ſupra Minervam, quem, mortuo Cardinali Quirino, dimiſit, aſſumto titulo S. Marci. Congregationibus tunc addictus Epiſcoporum & Regularium, Concilii, Diſciplinæ Regularis & Immunitatis. Comitiis interfuit Pontificiis anno MDCCLVIII., & Clementis XIII. Po. M. creationem juvit, qua de re gratus Pontifex & Delphinum beneficiis cumulavit, & Venetorum Principi exaratis manu ſua literis gratias egit.

Hic, quem diu incolumem Deus O. M. ſervet, ultimus eſt ex Aquilejenſibus Patriarchis; quem vero nuper nominavimus, Bartholomæus Gradonicus, Abbas nunc Commendatarius inſignis Abbatiæ Vangadicienſis, primus vocabitur & erit Archiepiſcopus Utinenſis *cum omnibus & ſingulis juribus, etiam Metropolitico, ceteriſque praeminentiis & prærogativis aliis, Archiepiſcopalibus Eccleſiis de jure, uſu ac conſuetudine competentibus*, juxta conventa inter Summum Pontificem, Auſtriacam Domum, VenetumqueSenatum (a).

CA-

(a) Ex Conſt. Benedicti XIV. pridie nonas Julias MDCCLI., & XIV. Cal. Febr. MDCCLII.

LVII. CAROLUS REZZONICUS VIII. Cal. Majas anni 1724. Aurelio Rezzonico, atque Anna Juſtiniana Patritiis iiſque optimis parentibus in lucem editus, cum bona indole præditus animoque ad præclara omnia facto, tum vero domeſtica virtutum omnium exempla pulcherrima nactus, cœpit jam inde a puero ad pietatis virtutiſque gloriam inflammari. Admodum adoleſcens Romam miſſus, in Romano Seminario omni bonarum artium Theologicarumque diſciplinarum ſtudio excultus eſt. Emenſo vix Theologico curriculo in Patriam reverſus, atque Doctoratus laurea Patavino in Lyceo, ubi Pontificio Civilique Juri operam dedit, inſignitus, ad Urbem remeavit. A Benedicto XIV. Pontifice, uniuſcujuſque meritorum atque virtutis exiſtimatore optimo, variis ornatus auctuſque fuit dignitatibus atque muneribus, quibus egregie perfunctus, magnum ſibi apud omnes æqui piique nomen atque erga pauperes liberalis comparavit. Cardinalis tituli D. Marci Ædes cum ipſi incolendas dediſſet Daniel Delphinus Cardinalis, qui, mortuo Cardinali Quirino, eum titulum anno 1755. conſequutus fuerat, ſuaſque in Urbe Vicarias vices contulerat, nobilius ſplendidiuſque exornandas curavit. Evecto ad Petri Cathedram pridie nonas Julii anni 1758. CLEMENTE XIII. Patruo ſuo amantiſſimo, Presbyter Cardinalis tituli SS: Laurentii & Damaſi altera Octobris die renuntiatur: brevi deinceps temporis intervallo, ob Cardinalis Archinti mortem, Eccleſiæ Vice-Cancellarius, Abbatiæque Monachorum Cryptæ Ferratæ Abbas Commendatarius. Omnibus fere quæ Romæ habentur illuſtrioribus Congregationibus adſcriptus. Quibus plane ampliſſimis dignitatis gradibus ita utitur, ut omnibus carus acceptuſque habeatur. Ejuſque animi moderatio, in egenos vero ſublevandos magnitudo, perinde ac in muneribus ſibi impoſitis obeundis diligentia ſingularis ita ſunt in ore atque in

oculis

oculis omnium, ut nulla nos eloquentia pulcherrimam optimi Cardinalis imaginem aptius exprimere poſſimus.

LVIII. ANTONIUS MARINUS PRIOLUS ex nobiliſſima Prioliorum gente Cal. Sept. ann. 1707. natus eſt parentibus Antonio Marino, & Cornelia Cornelia Joannis Venetiarum Principis filia, & Joannis Patavini Epiſcopi nepte. Adoleſcentem optimæ indolis primos ætatis flores divino Numini ſacrare aventem Marcus Gradonicus, piiſſimus Venetiarum Patriarcha, in ſacram recepit Clericorum militiam. Emenſo Venetiis eorum, quæ nobilem ſacrumque Deo Juvenem decent, ſtudiorum curriculo, annos vix natus XXVI. a S. P. Clem. XII. dignus habitus eſt, qui Patavinæ Cathedralis Archipresbyter renuntiaretur. Quod circiter tempus Juris quoque Civilis ac Pontificii laurea inſignitus eſt; atque ita in ea dignitate ſe geſſit, ut omnibus admirationi fuerit, omniumque jam tum animos ſibi devinxerit. Anno deinde 1738. cum deceſſiſſet Vicentinus Epiſcopus Sebaſtianus Venierius, diu non fuit eidem Summo Pontifici Clem. XII. deliberandum, quemnam potiſſimum ſufficeret in ejus locum. Itaque Priolus Vicentinorum Epiſcopus deſignatus, Romam profectus eſt, ſuſceptoque ſacro Epiſcopatus charactere, Venetias primum, deinde Vicentiam rediit. Maximo omnium cum gaudio exceptus, Seminarienſes in primis res cogitare animoque volvere cœpit. Cum enim propter loci anguſtias vix quinque ſupra viginti inveniſſet Seminarii alumnos, eas ædes ad Diœceſeos commodum urbiſque ſplendorem ita auxit atque amplificavit, ut nunc centum & amplius Clerici liberali ſacraque ibidem inſtituantur educatione. Præterea ſacellum, quo maxime Seminarium indigebat, in primis extrui curavit, quo domi & ſacris intereſſe, & omnibus, quæ ad ſolidiorem pietatem ſpectant, informari

ri poſſent: exquiſitis inſuper inſtruxit Præceptoribus, a quibus latinis græciſque litteris informantur, ſeverioribuſque erudiuntur diſciplinis. Nec minor illi Monialium cura cum ſuarum, tum illarum quæ Venetiis *S. Mariæ Virginum & S. Thereſiæ* nuncupantur, dum Legatus Apoſtolicus, Aloyſio Piſano Venetiarum Duce efflagitante, regii utriuſque Monaſterii ſpiritualem geſſit uſque ad Cardinalatum adminiſtrationem.

Jam vero ſacris luſtrationibus, litteris Encyclicis, omnique Paſtoralis officii genere dum commiſſum ſibi gregem ad optima quæque revocat, veteremque Eccleſiæ diſciplinam inſtaurare ſatagit, CLEMENS XIII. cum ob egregios Præſulis mores, tum ut ſuum in Patriam amorem teſtaretur, VI. Nonas Octobres anno 1759. in auguſtum retulit Cardinalium Senatum. Subſequenti menſe rubrum Biretum Roma ad eum attulit Felix Fortunatus Savorgnanus Patritius Venetus, atque unus ex ſecretis S. P. Cubiculariis; eoque pridie Idus, ſacris operante Nicolao Juſtiniano tunc Torcellanæ, impræſentiarum Veronenſis Eccleſiæ Epiſcopo, ſolemni celebritate maximoque ſui gregis cum gaudio fuit exornatus. Quibus peractis, ad Apoſtolica limina labente Aprile iter inſtituit, novo congratulaturus, gratiaſque acturus Pontifici; a quo III. Idus Julias Cardinalatus inſignia ſolemni ritu accepit, cum titulo S. Mariæ de Pace, Congregationibuſque adſcriptus Concilii Tridentini, Epiſcoporum & Regularium, Sacrorum Rituum & Indulgentiarum; præterea S. Gregorii Venetiarum Abbatia auctus.

Habita tandem a Summo Pontifice VIII. Calend. Octobris ſolemni Cardinalium creatione, in ſuæ Sponſæ ſinum III. Nonas Novembres reverſus, eam ſanctiſſimis exemplis atque inſtitutis illuſtrare pergit.

LIX. SANCTUS VERONENSIUS Patritius Venetus Julio Veronenſio & Daria Columba parentibus optimis IV. Nonas Martias anni 1684. in lucem editus eſt. Adoleſcens vivido acutoque ingenio præditus tenacique memoria, humanas litteras celeriter didicit. Verum ſeculi voluptatibus ab adoleſcentia fortiter ſpretis, ſacræ nomen dedit militiæ. Rerum hinc divinarum cognitioni animum applicuit, in quibus viridem cum exegiſſet ætatem, peritiſſimus cum in reliquis Theologicis diſciplinis, tum vero maxime Pontificio in Jure evaſit: adjunxit etiam & politiorum ſcientiam litterarum, & ſcribendi elegantiam, quæ ex ſcriptis ejus ad Patavinum Clerum epiſtolis facillime perſpici poteſt. Accepta Patavii Juris Civilis & Pontificii laurea, inter principis Patavinæ Eccleſiæ Canonicos adſcriptus fuit, quo in munere tantam morum puritatem præſetulit, tantam prudentiam atque doctrinam, ut e florentiſſimo illo Cœtu ad præſtandas Patavinis Epiſcopis Vicarias vices delectus fuerit, multiſque identidem auctus honoribus, Canonici in primis Theſaurarii. Quamobrem Patavinis Epiſcopis acceptiſſimus; maxime vero Cardinali Rezzonico, qui tanti ingenii, tantæque virtutis æſtimator æquiſſimus, ita eum fecit dilexitque, quoad Patavinam moderatus eſt Eccleſiam, ſuorum ut vellet conſiliorum participem, curarumque Paſtoralium in ſortem adſciſceret. Idem Cardinalis, Romæ dum eſſet, a Benedicto XIV. interrogatus, quemnam ex Venetis Patritiis Tarviſinæ Eccleſiæ, tunc temporis Paſtore viduatæ, ſufficiendum putaret, unum propoſuit Veronenſium, quamvis ægre ferret, ipſum a ſe divulſum iri. Re itaque a Summo Hierarcha ſtatim approbata, Veronenſius a Rezzonico certior factus, tantum abſuit, ut ob eam rem lætaretur ſuumque præberet aſſenſum, ut immo reluctatus fuerit, nulliſque ſe precibus ad eam dignitatem amplectendam flecti paſſus fuerit.

Cum

Jam vero Cardinali ipſi Rezzonico ad Petri Cathedram plane divinitus evecto, nihil cunctandum dubitandumve fuit, cuinam Patavinam Eccleſiam (ditiſſimum nempe, quod in terris haberet, depoſitum) adminiſtrandam regendamque committeret. Quamobrem altera omnino Pontificii regiminis die per Epiſtolam humanitatis plenam & de ſublimi collato ſibi honore Veronenſium certiorem facit, & Patavinæ Eccleſiæ negotia ei commendat; menſe poſtea Septembri ad ejuſdem Inſulas, qui ad quindecim annos Vicarias ſibi eaſque cumulatiſſimas præſtiterat vices, promovet. Præterea ob defectam attritamque ætatem ab itinere Romano eximit, datis ipſi Epiſcopis, a quibus inauguraretur: unde XIX. Calend. Decembres Patavina in Cathedrali ſolemnia fuere celebrata. Ea die novus Paſtor ſuum Populum alloquutus eſt per Epiſtolam Encyclicam, ſpiritus unctione, prudentiæ inſtitutis ſententiarumque gravitate ornatiſſimam.

Anno demum ſequenti, ſuo in ipſum amori atque æſtimationi faſtigium & coronidem imponere volens, ad Cardinalatus apicem VIII. Cal. Octobris, omni honorum genere cumulatum evexit, miſſo ad eum Roma per Præſulem Franciſcum Fantinum Pontifici ab intimis ſecretis rubro pileo, delectoque, exemplo plane raro, qui ſolemnes perageret ritus, Antonio Marino Cardinali Priolio Vicentinorum Epiſcopo. Huic maximis ſunt in deliciis obſervantia rerum Eccleſiaſticarum, ardor Divini cultus, animi demiſſio, pax conjunctioque cum bonis omnibus. Quamobrem ejus vita, quam ad multos annos ſuperſtitem precamur, Clero populoque ſuo ſplendidum in exemplar propoſita eſt.

GREGORIUS XII. *a criminationibus Franciſci Bruji Scriptoris Anonymi Vitarum Summorum Pontificum vindicatur.* (a)

ANGELUS CORARIUS Patritius Venetus ob egregiam (b) a pueritia magnæ ſanctimoniæ & ſapientiæ gloriam regimini Eccleſiæ præpoſitus, aſcito ſibi GREGORII XII. nomine, ſummæ virtutis ſpecimen adeo luculentum ipſo Pontificatus limine præſetulit, ut eam legem, cujus ipſe auctor ferebatur & conſuaſor, jurejurando confirmarit, qua Cardinales ipſi, dum Comitia pro Summo Hierarcha eligendo haberentur, eodem jurisjurandi vinculo ſe obſtrinxerant, ut quicunque ex ipſis in Pontificem eligeretur, Pontificatu ſe abdicaret, quotieſcunque ille, propter quem Eccleſia omnis inſano ſchiſmate ardebat, Petrus ſcilicet de Luna Benedictus XIII. nuncupatus, id præſtaret: quod ſane conſilium reſtituendæ Eccleſiæ unitati omnium accommodatiſſimum Patribus viſum eſt. Quam plane Gregorii laudem neque tenuem neque obſcuram, graviſſimis teſtimoniis poſteritati traditam non ſolum agnoſcit, verum etiam multis verbis exornat in famoſa illa gallica de Summis Pontificibus, quam infelix ille a Romanæ veriſſimæ Eccleſiæ ſinu extorris elucubravit Franciſcus Brujus, Hiſtoria (c). At Gregorium vix delibata imperii dulcedine, ut in dominatu firmus permaneret, jurisjurandi fidem fregiſſe, conatu omni ſuſcipit oſtendendum.

Ego contra eos conatus inanes omnes oſtendam & vacuos, quin illud mihi arrogem, me poſſe Gregorii cauſſam commodius demonſtrare, quam antea demonſtrata ſit. Criminationem enim ex Theodorico de Nimiega (d) cum derivet Adverſarius, non multis mihi agendum eſt, propterea quod præclara ingenia jam oſtenderint, quam lubricæ fidei ſit Theodoricus ille, utpote omnium ſui ævi Pontificum conviciator obtrectatorque infelix. Cum vero Brujana hiſtoria & plurium manibus teratur, & ob ſtyli dulcedinem, & humanam ob indolem vitia facillime credendi, minus perſpicaces in errorem trahere facile poſſit, id ego, quantum in me eſt, non patiar, hominiſque tela hebetare ac depellere, vulneribuſque mederi pro
virili

(a) Hiſtoire des Papes. A la Haye 1733.
(b) S. Antoninus P. III. Chron. Tit. XXII. Cap. 3.
(c) T. III. pag. 646., & ſeqq.
(d) Theodorici de Niem Hiſtoriarum ſui temporis Lib. IV. Baſileæ 1566.

virili aggrediar. Paucis clariſſimeque rationes temporum ſequens a Theodorico Raynaldo in Annalibus ſignatas, rem abſolvam. Nego itaque Gregorium Pontificem ab inſtituto deſciviſſe: nego declinatum ab eo fuiſſe Savonenſe Colloquium, ne potentatu ſe abdicaret: nego invitum dimiſiſſe Pontificium Solium. Tria hæc omnino Brujus objectat: hæc ego an ſatis diluerim, Lectoris erit judicium.

Quantum mutatus ab illo! (a) Suam ita criminationem Adverſarius exorditur. Verum qui intelligi hoc poteſt? Gregorius enim ipſis Imperii initiis tres viros fidei, doctrinæ & honoris plenos, Antonium nempe ſuum Nepotem, Guillelmumque Tudertinum Epiſcopos, & Antonium de Butrio Juriſperitum Bononienſem, ut paciſcerentur de loco, de tempore, deque aliis ad colloquium faciendum, remque tantam perficiendam Oratores ampliſſimis inſtructos mandatis ad Benedictum XIII. miſit Maſſiliæ degentem (b): quo cum appuliſſent, Savonam Liguriæ Urbem, Gallorum imperio tunc obnoxiam, a Benedicto propoſitam, Congreſſui delegerunt. Dies Colloquio dictus eſt S. Michaeli ſacer labente Septembri, nonnulliſque aliis ſtatis utrinque conditionibus, quas continuo Gregorius homo ſimplex & rectus admiſit, cum nihil callidi aut malitioſi pertimeſceret, facileque in Savonenſe Colloquium conſenſit. At res in vulgus effuſa multorum ſubiit offenſionem: in primiſque Rex Galliarum, & Proceres illius Regni (c) quibus ſubdolum Petri de Luna ingenium perſpectum erat (d), ſuſpicati vehementer ſunt, Petrum in eo Colloquio aliquid fraudis moliri. Quamobrem improbato eo conſilio, miſſi ſunt Regis Galliæ nomine ad utrunque Oratores hortaturi, ut antequam convenirent, quiſque contendentium inſigniis Pontificiis coram vel Cardinalium Collegio, vel Oratoribus Adverſarii ſe ſpoliaret: qua re geſta, utriuſque partis Cardinales ad creandum novum unicumque Pontificem convenirent.

Hoc rumore confirmato Gregorius vehementer perculſus, e re publica duxit, Principum etiam uſus conſilio & ſuaſione (e), ad placitum locum non accedere, quin tamen reſarciendæ pacis curas abjiceret. Itaque cum nihil ex occulto, nihil ex inſidiis ſibi eſſe agendum ſtatuiſſet, Petro de Luna per literas ſignificavit, ſe quidem in propoſito permanere ſuſceptoque conſilio procurandæ pro virili Eccleſiæ unitatis: aſt impræſentiarum ſibi non licere in illum Congreſſum venire, multis interpoſitis cauſſis, quarum præcipua illa

(a) Bruji verba ſunt loc. cit. pag. 650.
(b) Niemius *de Schiſmate* Lib. 3. Cap. 13. pag. 161.
(c) Ex Juvenali Urſino rem teſtatur Raynaldus ad annum 1401. num. 3.
(d) Apud Papebrochium ad Catalogum Pontificum pag. 431.
(e) Teſte S. Antonin. in Chronicis tit. 22. cap. 5. §. 4.

Digitized by Google

illa erat, importunum tunc fore periculiſque objectum ſuum ab Urbe diſceſſum, ob rumores de Ladislao Siciliæ Rege finitima ipſi Urbi Oppida jamjam invaſuro. Præter hanc & alia movebatur graviſſima cauſſa, quam Petro diſſimulandam tunc cenſuit, ipſiuſmet nempe Petri conatus Urbem Romam occupandi.

Inanes porro non fuiſſe Gregorii timores rei eventus commonſtravit; namque Petrus a Bucicaldo Regis Galliæ nomine Liguriæ Præſecto auro conſequutus erat, undecim ut triremes ad Romam intercipiendam ſubmitterentur (a), quorum curſu ventorum adverſa vi retardato, Ladislaus Rex Petri conſilia eluſit. Rex enim in Romanos male affectus, & cujus intererat Savonæ Colloquium impedire, exercitum menſe Junio Romam admovit, immiſſiſque noctu in Urbem Columnenſibus nonnulliſque aliis, Gregorium ipſum Cardinaleſque cepiſſet, niſi protinus in Molem Hadriani ſe una cum uno Cardinali Columnenſi, ceteris fuga lapſis, recepiſſet.

Minime nos fugit, nonnullos tunc putaſſe, *hanc totam rem a Pontifice de induſtria compoſitam, quo mentio omnis unitatis obrueretur, quod futurum erat, ſi Rex obtinuiſſet* (b). Vidimus immo id a Niemio literis confidenter mandatum: *Gregorius* (ait iſte) (c) *cum Ladislao Rege per intermedias perſonas ſecrete tractavit, quod Rex ipſe exercitum mitteret.* Huc etiam aſſerit deveniſſe Pontificem conſilio Antonii nepotis ſui, unionis negotium ſecretius impedientis (d). Quos tamen de verſipelli Pontificis animo rumores falſos fuiſſe, atque ad conſlandam Gregorio invidiam ab adverſariis vulgatos, vel ipſe, qui aderat, affirmare non veretur Aretiuus: *nos*, inquit, (e) *de Pontifice nullo modo credimus*; dubius licet ſit de propinquis: *de propinquis vero dubitamus* (f). Quod tametſi nos minime iremus inficias, noſtra parum referret, qui de Gregorio, non de ejus propinquis ſoliciti ſumus. Namque ſatis eſt nobis oſtendere, quam injuſte calumnia hæc ab adverſariis Gregorio ſtructa fuerit. Adeo igitur abfuit, ut Ladislai ſcelus probarit Gregorius, ut omni conatu potius egerit, hoſtilis ut exercitus Urbe continuo pelleretur; quo a Paullo Urſino Pontificiarum copiarum Duce præſtito, omnibus ferme adverſæ factionis principibus

(a) Raynaldus ad annum 1408. n. 4.
(b) Verba ſunt Leon. Aretini Epiſtolar. lib. II. Epiſt. VIII. E. Mehus.
(c) De Schiſmate lib. III. initio Cap. XVIII.
(d) Lib. citat. Cap. XV.
(e) Lib. II. Epiſt. VII. Muratorius ipſe rem hanc ita narrat, ut iis rumoribus ſe fidem non adhibuiſſe oſtendat. In Annal. ad annum 1408.
(f) Loco citato. Adnotaſſe ſupervacaneum haud erit, perperam omnino particulam *non* legi apud Pagium juniorem T. IV. pag. 339. Breviarii Romani P.P. Edit. Antuerpienſis 1727.

pibus captis, nonnulliſque extremo ſupplicio affectis, Urſinum in virtutis præmium decuſque Narnienſi ornavit toparchia, annuo cenſu conſtituto. Hanc poſtremo Niemii criminationem Brujus etiam flocciſeciſſe dicendus, dum quamlibet arripiens Gregorii objurgandi occaſionem, eandem ſilentio obvolutam omnino reliquit.

Graviſſimo hoc perfunctus periculo, Viterbium verſus iter arripuit, quam in urbem ingreſſus, cum vereretur ne per inſidias ab Adverſario circumveniretur, neque ſuam, amicorum, Eccleſiæque ſalutem infidis Adverſariorum conſiliis committere vellet, Theodoro Montisferrati Marchioni provinciam dedit, ut a Savonenſibus, & a Genuenſibus pacta ſecuritatis exigeret. Viterbio interim digreſſus, ad locum Congreſſus propius acceſſurus, Senas menſe Septembri ſe contulit. Sævo hic æſtu magis magiſque fluctuavit; intellexit enim Ladislaum denuo & agrum Romanum depopulari, & Urbem ipſam nemine obſiſtente invaſurum. Hoc etiam loci venenata in Gregorium tela intorquere non omittit Niemius; illum enim inſimulat conniventiæ cum Ladislao, dum ait (a): *nec unquam percepi aut audivi quod ipſe Dominus Gregorius præfatum Dominum Ladiſlaum regem propterea verbis vel ſcriptis redarguerit, aut contra ipſum proceſſus fecerit ſeu aliquid attentarit*. Hinc ejus aſſecla Brujus (b) aſſerere non erubuit, Gregorium, accepto de invaſione nuntio, præ gaudio geſtiiſſe, irrita ſpe lactatum, ſe Ladislai ope Romam rediturum. At ſecunda hæc criminatio falſitatis notam æque præſefert, ut prima; nam ut primum ſenſit Gregorius, Ladislaum Pontificiæ Oppida ditionis Urbemque ipſam invaſiſſe, ingrati animi labem illi exprobravit, occupata reſtituere juſſit, intentatis reſiſtenti pœnis, conceſſam demum ab Innocentio Pontifice Campaniæ & Maritimæ Præfecturam eidem abrogavit dato Diplomate VI. Cal. Octobris anno 1407. (c).

Gregorii etiam curas inflammabat pactionum ab æmulo infringendarum metus haud inanis: non enim Petrus arma ponebat, immo Genuenſium viribus fretus, Vicarium Chriſti in locum iniquum pellectum vi opprimere, Catholicamque Eccleſiam pſeudopontificio imperio veteri uſus ſolemni axiomate: *omnia ſerviliter pro dominatione*, ſubjicere meditabatur.

Ne igitur furentiori procella Petri navicula vexaretur, ex prudentum acute imminentia pericula proſpicientium conſilio nuntios

denuo

(a) *De Nemore Unionis* Tract. IV. Cap. II.

(b) *La nouvelle, qu' il apprit de l' Entrèe triomphante de Ladislaus dans Rome, lui rehauſſa le courage, vainement flattè d'y retourner ſous l'appui de ce Prince*. Loc. cit. pag. 652.

(c) Ex Actis a Raynaldo productis ad eum annum.

denuo Gregorius miſit ad Petrum exploratum, an ex animo unio ab eo expeteretur, eidemque ſuos ad eam tranſigendam ſinceros apertoſque ſenſus æquaſque conditiones ſignificatum. Aliquantum temporis in ea re conſumptum, nec quidquam perfectum. Namque Petrus ſingulare genus fraudis, & novam rationem inſidiarum invenit: loca ab illis propoſita, ac pro utriuſque comitatu accommodatiſſima reſpuit omnia: ipſe contra non propoſuit niſi maritima, anguſta, incommoda, ut æmulum inermem in locum iniquiorem allectum, Pontificio ſolio ſeu vi ſeu metu ſeu blanditiis deturbaret, totius Eccleſiæ gubernaculis ſibi uni retentis. Verſipellis hic reconditusque hominis animus diu non delituit; namque in Colloquio dum hæc geruntur, a Caroli Galliarum Regis Oratoribus poſtulatus, ut diploma conſcribi juberet, quo Pontificatu ſe abdicaret, ut a Gregorio idem præſtaretur, petitioni obſequi pernegavit. Cordatis tunc viris, (a) apud quos veritas valet, palam factum eſt Gregorium, virum cæterarum rerum prudentem, hac una in re minus conſideratum, qui Petri de Luna dictis nimiam ab initio adhibuerit fidem. Tunc ipſummet Gregorium periculi magnitudo ſummo timore affecit, quod unico judicio tanta res decernenda committeretur. Cogitavit enim non quid ex æquo, ſed quid ex iniqua dominandi libidine æmulus agere poſſet; propterea quod homines, quorum vita alterius in manu poſita eſt, ſæpius illud cogitant, quid poſſit is cujus in ditione ac poteſtate ſunt, quam quid facere debeat.

Cum igitur Gregorius certiſſime perſpexiſſet iniquiſſimos hominis ſenſus, cum e re ſua, tum e bono Eccleſiæ duxit alterius pernicioſæ cupiditati non ſolum non obtemperare, verum etiam pro virili obſiſtere. Hinc Adverſarii inſidias, quas terra marique ſimul ſibi, ſociis, Eccleſiæ denique toti ſtruere homo conabatur, partim amicorum ſtudio & auctoritate, partim ſua diligentia declinare ſategit; quippe nihil poteſt eſſe ſtultius, quam ſine cauſa aut ulla utilitatis ſpe ſe offerre periculis.

Quocirca ſecum non ſentientes a communione ſeparare cœpit: nonnullos verbi Dei præcones, qui ejus nomen ad populum in invidiam infamiamque adducebant, quaſi fracta fide clavem tanti Imperii ſacro invito Senatu tenere vellet, officio movit, illis ſuffectis, qui conſtantis ſanctique ejus propoſiti gubernacula totius Eccleſiæ, commodo tamen & utili Eccleſiæ tempore, deponendi conſcii, gentes facerent certiores. Hinc aucto Cardinalium numero, ut ex

(a) *Interea patefactæ ſunt Gregorio a fide dignis inſidiæ ſibi paratæ Savonæ a Benedicto*. S. Antoninus loc. cit.

ex iis conſilium fidele capere poſſet, & in quibus ſpem ſummam ob Eccleſiæ bonum reponebat; accivit enim quovis tempore in eum nobiliſſimum locum, gravis ut erat excellentium ingeniorum æſtimator, viros pietate & doctrina præclariſſimos, quos inter *Purpuræ doctæ* Auctor (a) recenſet Petros Maurocenum & Donatum Venetos, Joannem Dominici ex Dominicana Familia, Philippum Repindonum Canonicum Regularem S. Auguſtini, Matthæum de Cracovia, Lucam Manſolium Florentinum.

Qua nova Cardinalium electione nullo modo juramenti, quod præſtiterat de non eligendis novis Cardinalibus, violator dicendus eſt: namque ad eam rem faciendam tunc tandem devenit, cum obſtinatum Adverſarii ob animum unionis negotium vidiſſet deſperatum, elapſoque anno tribuſque menſibus, quos Cardinales in ipſa juramenti formula ſibimetipſis præſcripſerant, *quo caſu tandem eidem* (electo Pontifici) *liceat Cardinales eligere ac creare prout pro ſtatu Sanctæ Matris Eccleſiæ eidem videbitur expedire*, ut eſt apud Raynaldum (b). Igitur æqua fuit Gregorio cauſſa ab ea promiſſi & conventi lege recedendi.

Sed ut eo redeat, unde ſermo noſter diſceſſit, omnia illa pericula circumſpiciens Gregorius, atque etiam pertimeſcens alia multo majora ex generali Concilio, quod Piſis celebrandum illi iidem indixerant qui ab eo deſciverant, ab illis regionibus ſibi eſſe recedendum putavit: damnatoque eo Concilio, utpote ſine legitima auctoritate & capite indicto, aliud ipſe celebrandum edixit. Itaque delecta tandem apud Carnos urbe Auſtriaca (modo Forum Julii appellata) recurrente celebritate Corporis Domini anno MCCCCIX. primam habuit Seſſionem. Quod ipſe Concilium non eo celebravit animo, ut in Pontificio ſolio firmum ſe teneret, ſed ut ſæviſſimæ tempeſtati quovis modo ſuccurreret; propterеaquod Conciliabulo Piſano dirum Schiſma potius augeri, quam diminui intelligebat (c). Ad quod Schiſma, quantum in ipſo erat, tollendum pollicitus iterum eſt in Seſſione die quinta Septembris habita, ſe Pontificatu abiturum, quotieſcunque id etiam facerent Petrus de Luna & Petrus Cretenſis, qui a Piſano Conciliabulo in Summum Pontificem electus fuerat.

Qua ſolemni ſanctiſſimaque pollicitatione omnibus manifeſtum eſſe voluit, ſe nunquam a propoſito Pontificiæ Tiaræ deponendæ receſ-

Tt

(a) Loc. cit.
(b) Ad annum 1406. n. xi. Confirmatque ipſe Gregorius in prima ex Epiſtolis, quas Petro de Luna dedit. Ibi. n. xv.
(c) *Per Piſanum Concilium vel Conciliabulum ... non eſt ablatum Schiſma, ſed augmentatum*. S. Antoninus loc. cit.

receſſiſſe, neque pravo conſilio a Savonenſi Colloquio abhorruiſſe, quæ duo ſunt ex tribus Gregorio injuſte objectis criminibus; quippe non ſolum ipſi, verum etiam cunctis tandem Chriſtifidelibus clariſſime innotuerat obſirmatus Petri de Luna de retinendo quomodocunque Pontificatu animus. Cum itaque ea nondum contigiſſet conditio, qua dumtaxat expleta Pontificatu cedere tenebatur Gregorius, æqui quiſque & veritatis amans intelliget, Gregorio iniquiſſime & falſo tribui, quod ob nimiam retinendi potentatus cupiditatem ingenium mutarit. Cum e contrario ſummæ laudi ipſi dandum ſit, quod licet multis vexatus calumniis, plurimis jactatus injuriis, validiſſima objecerit impedimenta, quominus Chriſti Eccleſia violento Petri de Luna regimini deſerviret. Quibus conſtitutis, quæ duo mihi adverſus Brujanas criminationes ſumſeram oſtendenda ſatis aperte mihi videor oſtendiſſe.

Venio nunc ad tertium criminationis caput in eo poſitum, quod Gregorius coactus fuerit, Pontificatu tandem ut ſe abdicaret, cui falſo crimini diluendo, quaſi venenato telo medicinæ faciendæ, argumento locupletiſſimo vel ipſa ſatis eſſe poſſunt Acta Seſſionis XIV. Concilii Conſtantienſis, in qua lecta fuit, univerſo plaudente Concilio, voluntaria Gregorii abdicatio, qua una ii omnes arguuntur qui ſcripſere, aliud Gregorii litteras, aliud facta docuiſſe.

Reipſa piiſſimum eum virum ſummaque ſenectute ſponte Pontificatum renuntiaſſe invicte probat ſchedula *auctorizationis* Concilii, qua Cardinalis Raguſinus Gregorii Orator & Nuntius illud convocavit & *auctorizavit* hiſce verbis: *In nomine Patris ... auctoritate ipſius Domini Noſtri Papæ* [Gregorii] *quantum ad eundem ſpectat ... iſtud Sacrum Concilium convoco, & omnia per ipſum agenda auctorizo & confirmo* (a); quibus verbis tantum abſuit ut Patres Conſtantienſes adverſarentur, ut immo Bartholomæus Archiepiſcopus Mediolanenſis eam convocationem & *auctorizationem ſtans alte in pulpito cum quatuor Prælatis quatuor nationum* nomine totius Concilii admiſerit (b). Accedit ipſamet abdicationis formula, quam Carolus de Malateſtis Gregorii ad eam abſolvendam ſpecialis Legatus & Procurator ex codice in Concilio recitavit, in qua ſunt animadverſione digna verba hæc: *Nulla oppreſſus* [Gregorius] *aut coactus violentia, aut nullo ductus errore, ut omnibus aperte pateat per effectum quanta cordis affectione ſacram unionem & redintegrationem Chriſtianorum in unitate Sanctæ Matris Eccleſiæ proſecutus fuit proſequaturque per viam etiam renuntiationis incluſive, pure & libere &*

(a) Apud Labbè Concil. Tom. XIV. pag. 226. E. V.
(b) Apud Labbè loc. cit.

& ſincere procuratorio nomine ipſius Sanctiſs. Domini Noſtri Domini Gregorii PP. XII. In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti renuncio & cedo (a). Qua lecta, idem Archiepiſcopus Mediolanenſis totius Concilii nomine eam ceſſionem ratam habuit, ſolemnique cantu Cantici *Te Deum*, cunctis Patribus plaudentibus laudavit (b).

Plura etiam proferre poſſemus cum veterum tum recentiorum Scriptorum teſtimonia liberæ Gregorii abdicationi atteſtantia, ex quibus unum ex coævis eligimus Gregorium Corrarium Protonotarium, Antonii Cardinalis Corrarii nepotem, qui in libello inſcripto: *Soliloquium ad Deum de vita & obitu b. memoriæ Antonii Epiſcopi Oſtienſis*, hac ipſa in Tiara magna ex parte jam edito, de Gregorio noſtro hæc habet: *Qui ut ſciſſam Eccleſiam inveterato ſchiſmate reſarciret, ſummo Pontificatu ſponte ſe abdicavit nec tamen illi ſucceſſor ante electus eſt, variis jactatis ſententiis in Concilio Conſtantienſi ſuper rebus Eccleſiaſticis, quam vita ceſſit*. Ex recentioribus vero uno contenti ſumus Muratorio, eo pluris in hujus Gregorii vindiciis faciendo, quo Petri de Luna pertinaciam arguere non prætermittit: *a queſto avviſo eſſo Papa Gregorio* (ſunt hæc Annaliſtæ verba in Annal. Ital. ad annum 1415. & 1424.) *che avea buon fondo di virtù, ne finora s'era mai indotto a rimediare al bene della Chieſa, perchè troppo aſſediato, e ritenuto dalle contrarie inſinuazioni de' ſuoi parenti ... ſpedì a Coſtanza Carlo de Malateſti con plenipotenza e autentica ceſſione del Papato .... ed egli dacchè ebbe inteſa la ceſſione ſua accettata nel Concilio, generoſamente la confermò, e depoſe la Sacra Tiara, tutti gli ornamenti pontificali, ripigliando il titolo di Cardinale Veſcovo di Porto*.

Quoniam vero hi, quos refellimus, adduci non potuerunt, ut hujuſce generis rationes ſeria animi cogitatione perpendentes, germanam conciperent ideam de ſincera Gregoriani animi ſubmiſſione, atque a dominatu averſione, perlegant (eos enixe hortamur) monumentum, quod primi, ni fallimur, in lucem edimus, quodque ex authographo pergameno cum Pontificio ſigillo pendente in Bibliotheca S. Georgii Majoris Venetiarum cuſtodito exſcripſit Clariſſimus Franciſcus Ganaſſonius M.C. Sacrorum Canonum Profeſſor, ejuſdemque Bibliothecæ diligentiſſimus Cuſtos, comiterque ad nos miſit. Illud eſt Bulla, cujus mentio eſt in *Actu procuratorio ad renunciandum*, Carolo de Malateſtis tradito Arimini VI. Idus Martii Pontificatus anno IX., ex qua clariſſime patet Pontificem pro virili Eccleſiæ pacem exoptaſſe, petiiſſe, efflagitaſſe ante ipſam-

(a) Apud Labbè loc. cit. pag. 238.
(b) Apud Labbè loc. cit.

met totius Pontificii regiminis abdicationem ; quippe data eſt Idibus Octobris ſui Pontificatus anno VIII. quæque ſic ſe habet :

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Johanni tit. Sancti Sixti Presbytero Cardinali Raguſino vulgariter nuncupato, & Johanni in Patriarcham Conſtantinopolitanum electo noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nuntiis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Non ſine gravi culpa, & periculo a decretis Patrum, & inſtitutis ſummorum Pontificum præſertim adverſus primam Sedem receſſus cognoſcitur: quod experientia demonſtrat magiſtra, ex quo quondam Cardinales contra ſanctæ memoriæ Urbanum VI. Prædeceſſorem noſtrum, quem canonicum Papam affirmantes deſignaverunt, & ſuis miniſteriis ad ejus obedientiam, & credulitatem univerſalem Eccleſiam traxerunt, ſchiſma temere produxerunt, a præcepto Concilii per Alexandrum III. celebrati recedentes. Quod & gravius olim noſtri Cardinales per inobedientiam Canonum in idipſum inciderunt. Et cum ſperaremus hos errores per Generale Concilium, Deo, & non homine faciente, emendari, ſecundum condeſcenſionis formam, quam jamdiu deſtinavimus Venerabili Fratri noſtro Wernero Archiepiſcopo Trevirenſi, & Dilecto Filio Nobili Viro Ludovico Comiti Palatino Rheni praticandam, & concludendam cum cariſſimo ex deſiderio noſtro Filio Sigiſmundo Rege illuſtri &c. Et in præſenti, ut videmus, ſpes noſtra defecit, cum non ad generale diſpoſuerit, ſed ad nimium partiale Concilium nos trahere : quod nobis indicatum extitit prima die menſis Auguſti immediate præteriti. Et quamvis tempus nimium arctatum fuerit, cœpimus anxie cogitare quomodo deſideria noſtra, quæ tendunt ad Divinum honorem, & integrationem debitæ unionis Chriſtianorum, poſſemus contra inordinata, per congruam diſpoſitionem, ſi fieri poterat, reducendam, quovis modo adimplere. Sed infirmitas nobis ſuperveniens febrilis, & indiſpoſitio quorum-

rumdam neceſſariorum noſtras intentiones impediverunt, quibus intentionibus deſiderio ferebamur, quod antequam Prælati, & alii vocati per Baldaſſarem Coſſa tamquam ad Concilium Generale, quod facere non potuit, apponeretur remedium, & reformatio, per quæ deveniretur ad Concilium Generale; quod neceſſarium erat, ſi Concilium fieri debebat: Et ipſa ſpe nunc advertimus nos fruſtratos, & in totalem deſperationem deductos, de quo ſumme dolemus, qui ſemper optavimus vias rectas, ad reintegrationem unionis accomodatas, & opportunas, & declinavimus contrarias cum labore, & periculo. Si enim vocatio fuiſſet a tribus, tamquam ab uno, qui a diverſis dicuntur Papæ, omnes venientes tunc tamquam ad Generale Concilium poterant venire clara conſcientia, & indifferentes, & ſecundum Univerſitatem Chriſtianorum, quæ habet tenere ut unus iſtorum trium ſit verus Papa, ſecundum quam retentionem non poterat dubitari illud fuiſſe Generale Concilium, & non apparuiſſet diviſio expreſſa. Multi enim ex timore faciunt extrinſecus contra id quod intrinſecus tenent; & per iſtum modum corda fuiſſent libera, & unio apparens extrinſecus, quæ res nunc fieri non poteſt. Et idcirco nos ex quo Concilium Generale habere non potuimus præter illud quod celebravimus in Civitate Auſtriæ Provinciæ Aquilejenſis cum gravibus impedimentis ad declarationem noſtræ juſtitiæ, puritatis, & efficacis voluntatis pro integratione unitatis, nec non injuſtitiæ graviſſimæ continue contra nos intentatæ, atque nunc præſertim valde periculoſæ, per quam nobis tollitur præſentia noſtra, quam ſemper putavimus opportunam, & poſt declarationem antemiſſam ad viam renunciationis, quam ſemper voluimus, nec per Concilium excluſimus, recurrimus, deſiderantes pleno corde, quantum cum Deo poſſumus, hæc ſchiſmata ſemper majoribus involutionibus creſcentia de medio tollere, & his agitationibus finem dare, in quibus ſtetimus, & ſtamus ſola Dei reverentia. Hanc autem viam renunciationis proponimus ſub

ſub hac forma, intendentes honorem omnium, quantum fieri poteſt. Et primo quod illi, qui reputantur pro Papis, qui ſunt capita trium obedientiarum, ſcilicet Petrus de Luna a ſua obedientia vocatus Benedictus XIII., Baldaſſar Coſſa a ſua obedientia nominatus Johannes XXIII., & Nos, qui ſpoliati ſumus, & de jure reſtituendi, remaneant, & remaneamus in caſu renunciationis per omnes Tres effectualiter factæ in eodem ſtatu, & quantum fieri poterit rationabiliter, nobiliori, & pinguiori, in quo erant, & eramus quando receperunt a ſuis Auctoribus nomen Papatus, & Nos ad apicem Apoſtolatus aſſumpti fuimus. Secundo quod electio Papæ ſpectet æqualiter ad noſtros Cardinales, & ad illos, quos Petrus de Luna vocat ſuos Cardinales, & ad illos, quos Baldaſſar Coſſa vocat ſuos Cardinales incluſis in prædicta electione prædictis tribus capitibus, poſtquam renunciaverint, ante cæteros nobiliorem locum tenentibus, per hunc modum quod ille habeatur Papa, qui fuerit electus a duabus partibus noſtrorum, & duabus partibus illorum Petri, & duabus partibus illorum Baldaſſaris, & non a paucioribus, & ſecundum formam Canonum: Et hoc procedit licite, & effectualiter ſi hæc propoſitio approbatur catholica, quod Papa in caſu præſenti poſſit diſpenſare, quod Schiſmaticus ſit capax electionis Papalis activæ, & paſſivæ remanens Schiſmaticus. Tertio quod approbentur ab omnibus tribus omnia facta a quolibet illorum trium, & Prædeceſſorum ſuorum alias facta canonice, quæ non obvient prædictis, quæ fiunt pro pace Eccleſiæ, exigente tam tetra involutione facta, dummodo talia non ſint, quæ ſimul ſtare non poſſint, utpote quod duo præſint Epiſcopi uni Eccleſiæ; Officialibus in ſuis Officiis ex omni parte remanentibus, & quod prædicta approbatio ſuum ſortiatur effectum poſt Renunciationes omnium Trium. Et ſi hæc forma fuerit ſtabilita, & firmata cum cautelis congruis, Vobis renunciandi nomine noſtro realiter, & cum effectu vero Papatui noſtro, & juri quod habe-

habemus in eo, ſi & quando prædicti Petrus de Luna, & Baldaſſar Coſſa, vel ſi ipſe Petrus non eſſet præſens per Procuratorem, aut Procuratores ſuos ad hoc ſpecialiter, & legitime conſtitutos, conſimiliter renunciabunt realiter, & cum effectu ſuis prætenſis Papatibus, & Papatui, & juribus, quæ in eis, vel in eo prætendunt habere, & non aliter; & quæ in prædictis, & circa prædicta pro effectu ipſorum fuerint opportuna, & utilia faciendi bona fide, & omni dolo, & fraude remotis, plenam, & liberam, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, præſentium tenore concedimus facultatem, ſervaturi firmiter quicquid per Vos nomine noſtro ut præmittitur geſtum fuerit in præmiſſis. Datum Arimini ſecundo Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno octavo.

Extra] de Curia. M. de ſtrata.
C. de Imola.

Cum plumbo pendenti]
S. Petrus S. Paulus *Gregorius PP. XII.*

Quæ hactenus ſunt a nobis deducta illud effectura ſperamus, nequis non ſolum ex iis qui noſtram oppugnant veriſſimam, ſed etiam ex iis qui nobiſcum profitentur Religionem, deinceps ob dilatam abdicationem Gregorio detrahendi anſam arripiat. Quibus plane exemplo eſſe poteſt fulgentiſſimum Eccleſiæ lumen S. Vincentius Ferrerius, qui licet tandiu a Petro de Luna ſteterit, quandiu eum legitimum eſſe Pontificem credere potuit, ubi tamen ejuſdem pertinaciam, in qua miſere obiit, detexit, non ſolum ab eo deſcivit, verum etiam oppugnavit (a). Sicut igitur contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, ita ex obfirmato callidoque Petri animo luculentius emicuit ſeque prodidit Gregorii virtus, *qui in tot perſequutionibus & adverſis tam conſtans & magnanimus fuit, ut nihil videretur de iis curare, ſciens quod ſecundum Prophetam: non eſt malum in Civitate quod non fecerit Dominus; ſic fixus erat in iis, quæ ſibi conſcientia dictabat, ut nullus eum poſſet a ſuo propoſito revocare; ſic modeſtus, ut Philoſophus videretur* (b). Sunt hæc laudum præconia, quibus Gregorius exornatur a S. Antonino, quo probabiliorem habere non poſſumus fideque digniorem, ad hæc tem-

(a) Vide Diſſert. 46. Papebr. in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalog. PP. pag. 432.
(b) S. Antoninus in Chronico tit. 5. art. 5.

tempora quod attinet, ſcriptorem, tum propter loci temporiſque convenientiam, tum propter ingenii acumen vitæque ſanctimoniam, unde in eo ſuſpicari mendacium aliquod, quod ad poſterorum memoriam ſcribendo transferre voluerit, ut Pontificiis auribus gratificaretur, piaculum eſſet. Conferat nunc æquus integerrimuſque lector Scriptorem hunc cum Niemio (quem neſcio utrum Pontificum laudibus invidentiorem appellem, an magis obtrectatorem), cæteriſque ejuſdem aſſeclis, atque utri parti palmam det, ipſe ſtatuat. Præterea Lectorem enixe precor, eos ut omnes, apud quos Gregorius male audiit, cum illis componat, qui ejus ſincera unionis faciendæ ſtudia commendarunt; hinc nullus dubito, eum in ſententiam iturum Ven. Dominici de Dominicis, Beatorumque Thomæ Antonii de Senis, Petri de Piſis, Caroli de Monte Granello, Stephani Feſulani (qui omnes tunc fuere inſignium Congregationum ſive Reſtauratores, ſive Fundatores) aliorumque multorum & pietate & doctrina præclarorum virorum, qui in Gregorii obedientia firmi ſtetere.

Mantiſſæ loco exhibere placet monumentum nondum, ut puto, editum, quod Lectoribus gratum fore arbitramur; tum quia a propoſita re non abhorrens, tum quia ſententiarum gravitate, argumentorumque vi cum præclara quaque veteris ætatis Oratione comparandum, tum denique quia egregium Reipublicæ Venetæ adverſus Eccleſiæ unionem animum, contra ac nonnulli tunc temporis arbitrati ſunt, luculentiſſime pateſacit. Illud ſcilicet Oratio eſt Zachariæ Treviſani optimi Senatoris Veneti, gravis & elegantis Oratoris, cuique inter alios renaſcentium literarum gloriam acceptam referre debemus (a). Eam Veneti Senatus nomine dixit in Fajano (qui locus eſt in Comitatu Florentino) ad Gregorium XII. ibi pauliſper ſubſiſtentem, Senaſque contendentem. Qua tantam apud frequentiſſimos præclariſſimoſque viros laudis gloriam conſecutus eſt (b), ut quamplurimi illius exemplar ſibi conſcribi curaverint; unde

(a) Ex eximin Opere Marci Fuſcareni Ædium Marcianarum Procuratoris *Della Letteratura Veneziana* pag. 315. *Padova* 1752.

(b) Leonardus Aretinus in Epiſtola Petro Miano data, & eſt XV. Libri II. Partis I. egregiæ Editionis Laurentii Mehus: *Jamdiu* [inquit] *nihil magis Oratorium Curia Romana audivit, quam vocem præſtantiſſimi Viri Zachariæ* [Triviſani] *tui, immo potius noſtri . . . Qui cum a Pontifice Maximo publice audiretur, aſtantibus Reverendiſſimis Patribus S. R. E. Cardinalibus, & frequentiſſima Cleri populique multitudine circumfuſa, ita locutus eſt, ut in verbis ejus robur fortiſſimi Viri, prudentia doctiſſimi hominis, elegantia diſertiſſimi Oratoris perfacile appareret. Vellem aſpexiſſes, quanta cum attentione auditus eſt, ut in tanta multitudine ne reſpiratio quidem alicujus ſentiretur, majeſtate Orationis, ubertate ſententiarum, copia optimorum verborum mirum in modum animos demulcentibus.*

unde factum eſt, ut ejus plura extent in Bibliothecis exemplaria (a). Quod nunc profertur, ab eodem tranſmiſſum eſt, quem ſupra laudavimus, Ganaſſonio, qui illud, ut nobis rem gratam faceret, ex codice chartaceo ſynchrono Bibliothecæ S. Georgii majoris exſcripſit.

Oratio Zachariæ Treviſani ad Gregorium PP. XII.

CONſuevere, Pater Sanctiſſime, qui apud Romanos Cæſares, quive in frequentia celebri cauſas dixerunt, & ipſa ſublimitate faſtigii, & rei quam ordiebantur pondere, dicendi initio commoveri. Terrebant namque cohortes ſatellitum, Magiſtratuum faſces, Purpuratorum conſeſſus, reliquaque ambitionis inſignia; formidabant tumentes humanis ſucceſſibus animos vel ruditate ſententiarum vel aſperitate eloquii vel inconcinnitate vocis offendere. Eſt namque difficile eos non lædere qui cuncta faſtidiunt. Nil itaque fas ducebant in publicum edere, quod non diutina meditatione tractaſſent, eſſetque omni induſtria omnique arte diſpoſitum. Mihi autem apud Beatitudinem Tuam agenti longe diſpar conditio eſt. Intueor namque mitiſſimum Chriſti Vicarium non humano aſtu, non machinatione ſubdola, non inconſulto, exlege applauſu, non armorum ſtrepitu, ſed divinis trahentibus meritis, Petri naviculam moderantem, illamque jamdudum quaſſatam fluentis, ad portum traducere feſtinantem. Suſpicio ſacrorum Cardinalium coronam hanc miris radiantem fulgoribus, reliquum humillimum Clerum, innocuumque Populum, & fidei ardore & omni integritate conſpicuum. Admonet quoque me res ipſa, quam dicturus ſum, qua nulla ſanctior, nulla Deo acceptior, nulla Orbi opportunior, nullave glorioſior dici poteſt. Dicendum eſt namque de integritate Eccleſiæ; de unitate Paſtoris Gregis Dominici. Execrandum eſt lethale ſchiſma, æterniſque mandandum tenebris ingens opus Satanæ, quo Chriſti inconſutilis veſtis diſcinditur.

(a) Ea recenſet Joannes de Agoſtinis *Delli Scrittori Veneziani* Tom. I. p. 324.

Hæc itaque non tam me confirmant, ut quieto animo dicam, ſed provocant, ſed impellunt, ſed cogunt ut magna, ut hilari mente aggrediar, quod divinas aures Tuas benigniſſime excepturas eſſe confido. Peruberrima dicendi area non in anguſtiis, non intra privatos parietes agenda, ſed hac in eminentiſſima frequentia, hoc in ampliſſimo loco, cui parem Orbis terrarum non habet. Hæc namque cauſa ſola eſt poſt fundatam Eccleſiam, quæ omnes angat Chriſticolas, quæ ſingulorum ſalutem, ſingulorum Provincias complectatur. In Te, ut rem perſtringam, Clementiſſime Pater, cui rerum ſumma Divino nutu commiſſa eſt, Chriſti Sponſa innocua, devoti Reges, orthodoxi Principes, cuncti Fideles Populi nunc oculorum aciem defixere: in primis autem inclytus Sanctitatique Tuæ devotus Filius, Venetorum Princeps Michael Steno tuis ſacris affuſus pedibus, tuaque illa altrix illuſtris Reſpublica. Beatitudinis namque Tuæ vita innocentiſſime acta, Tui diviniſſimi mores, illa inenarrabilis ſacrarum notitia litterarum etſi jamdudum totum ſuaviſſimo odore reſperſerit orbem; Tuum tamen ſolum paternum, ubi natus & educatus es, ubi (ut minora ſileam) Præſulatum, primum ſuperni hujus Pontificatus auſpicium, ſumma cum integritate geſſiſti, ſolum (inquam) paternum Te in dies creſcentibus annis, ſupercreſcentibus meritis amplius ſolitum venerari, plus habet aliquid, unde Tua de providentia, & de conſtantia, Tua denique Sanctitate confidat. Cum itaque feliciſſimus rumor Tui ſacri aſcenſus innotuit, non tam nos permaximo affecit gaudio ipſius ſupremæ dignitatis altitudo, quam quid in ea eſſes Tuo ſanctiſſimo propoſito, Tuo oculatiſſimo conſilio, Tuis eminentiſſimis actibus completurus. Innumeri namque fuere Romani Antiſtites, multi Succeſſores Petri: Illi & dignitate pares & officio & poteſtate, ardore tamen fidei operibuſque longe diſſimiles. Exultavit itaque noſtra univerſa Reſpublica ſuo e gremio tam benignum ſydus edidiſſe, cui Divina providentia conſummationem tanti operis deſi-

deſignaſſet. Tunc primum intelleximus, piorum lacrymis, humilium precibus Divinum judicium, quo omnium ſcelera variis calamitatibus affliguntur, juſtitiam in miſericordiam, iram in clementiam convertiſſe, ut grex Dominicus, inteſtino morbo ſaucius, non diverſa trahatur ad paſcua, ſed unum coeat in ovile. Speravit itaque Orbis, nos autem certiſſimum tenuimus ipſis Divini tui Apoſtolatus auſpiciis, inveterato jam unitatis ſchiſmate, Eccleſiæ integritatem priſtinam, a Tuis Prædeceſſoribus ſummo cum contemptu animarum neglectam, pacatiſſime devenire. Feſtina itaque, Pater alme, hoc commune excidium a noſtris ſubmovere luminibus, ut quam de Tua Beatitudine expectationem Orbis concepit, ſacris operibus ſuperes. Eſt inſuper, pace aliarum dixerim, ingenitus Urbi noſtræ quidam concordiæ paciſque zelus, unde hanc integritatem Eccleſiæ ferventiſſime exoptemus: quod niſi apertiſſimum foret, pudore proſequerer. Majores namque noſtri cum urbes intra ſe diffidere, cum mutuo confligere, cum arma movere ſenſerunt, rei ipſius honeſtate allecti, nullis diſpendiis, nullis laboribus pepercerunt, nulla formidavere diſcrimina, ut alienos ſanarent cruores, bellorumque faces pacis ſuavitate contunderent. Itaque ſi ut unam componerent urbem, ut Provinciæ unius ſaluti conſulerent, ſi denique ut unum tutarentur Romanum Pontificem Alexandrum III., in quem Friderici Imperatoris adeo exarſerant odia, ut qui eum ſuſciperent, in indignationem Cæſaream & in aperta bella venturos ſe eſſe pernoſcerent, non alienigenis collectis auxiliis, non parte virium, ſed univerſam Rempublicam, & ipſius Principem oppoſuerunt, longeque diſparibus copiis, ſed illo ductante exercitum, qui ſuperbos deponit de ſede, glorioſam miraculoque proximam victoriam reportaverunt; quanto ardentius nobis optandum eſt, quanto accuratius vigilandum, ut hoc peſtilens inter Catholicos auferatur diffidium, redeatque priſtina facies, venerandaque majeſtas Eccleſiæ? Enitere igitur, Clementiſſime

tiſſime Pater, ſanctiſſimum propoſitum Tuum, quo permaxime flagrabas, antequam Tibi rerum poteſtas concederetur ex alto, nunc cum potes, in actum deducere, ut quod prius per hominem fieri nemo cenſebat, per te juvante Domino conſummetur. Scimus tamen rem tam grandem magnis laboribus, magnis difficultatibus confici; ſed majora ſunt conſilia Tua, ſolidior conſtantia, ſed glorioſa & inæſtimabilis merces. Nulla, Pater Sanctiſſime, formides diſcrimina. Aderit tecum Pugnator, & Victor Dominus. Neſcimus tamen quo pacto hoc jure Schiſma expaveſcendum ſit. Quis enim adeo amens, adeo ſceleſtus exiſteret, qui hoc in notiſſimo, communi piiſſimoque bono nefarias manus auderet injicere? Nonne in ſe iram Domini, Orbiſque totius potentiam provocaret? Sit, Pater Beatiſſime, utrumque ſuaſum, utrumque demonſtratum, utrumque concluſum, ut una in domo Agnus edatur. In hoc conſilia, voluntates, electioneſque conveniant: erunt facilia cætera, obſequentur omnia, per ſe diſſolventur, per ſe fient, quæ perplexa, quæ implicita, quæ ardua exiſtimantur. Nemini, non dicam animum, ſed nec aures accomoda, qui ſanctiſſimum propoſitum immutare moliatur, qui morandum ſuadeat. Quiſquis hæc meditatur, non Dei ſed Satanæ agitur ſpiritu, qui de re hac, qua nulla ſanctior agi poteſt, vel malitia corrumpente judicium, male ſentit, vel alienam rectitudinem ſubdolis commentis deflectere nititur. Omnes igitur, qui adverſus hæc ſentiunt, qui ſiniſtrorſum agunt, primum, ſi potes, corrige: ſi emendari nequeunt, vel forti brachio, vel ſpirituali munere compeſce: omnia namque potes omnipotentis Domini Vicarius; vel ſi pro Tua clementia vis agere mitius, Tuis a ſacris luminibus remove. Propterea, Pater Sancte; jam abunde, jam ſatis erravimus. Non eſt res hæc argutiis, cavillationibuſque tractanda. Grex Tuus hoc peſtifero morbo languidus manum medicam, non verba deſiderat, non dialecticos nodos, non venuſtatem eloquii, ſed integritatem actuum, ſince-

ſinceritatemque Fidei. Volve inſuper, Sanƈte Pater, pietatis Tuæ oculos, & intuere quot clades Chriſtiana Religio, quot opprobria non modo intus foriſque hac lethali ſciſſura perpeſſa ſit, ſed quam dehoneſtata verecunda quondam facies Eccleſiæ, quibus Grex Dominicus cladibus ſit affeƈtus. Hinc novæ reſurgunt hæreſes, ſupplantatæque veteres caput attollunt, omnis undique pœnitenda licentia increbreſcit, dum in ſe ſævire, in ſe manus vertere intuentur, qui hoc monſtruoſo morbo Eccleſiæ ſunt præfeƈti. Sperat quiſque ſcelerum omnium indulgentiam facilem, dum quam unus denegat, ex altero paratiſſime conſequitur. Exultant ſuper calamitatibus noſtris Nationes Barbaræ, blaſphemant, & rident Chriſtianum nomen, quod etſi antea non venerarentur, terrore permaximo formidabant. Intuere quot profanaverint templa, quot fana polluerint, quot vagientes innocuoſque infantulos Chriſti dogmata a parentibus accepturos, barbaris moribus, Satanæ legibus imbuerint. Heu noſtra infelicia tempora, quibus hæc conſpici datum eſt! Circumſpice, Pater Sanƈte, Domini Tui Sponſam, Matrem Fidelium inveterato hoc morbo peſtifero non ægrotantem, non ſauciam, ſed confeƈtam, quanto paſſim omnibus ſit contemptui. Quis claves veneratur Eccleſiæ? Quis cenſuras formidat? Quis eſt? Poſtremò quis manus non audet ponere in Patrimonio Jeſu Chriſti? Diripiuntur, diſſipantur Salvatoris Martyrumque ſacratiſſimis ſanguinibus parta bona, Cleri innocui, pauperumque viatica. Quis immunitates obſervat Eccleſiæ? Quis potius non calcatur, non involatur? Hæc ſi tantum a ſeculi Poteſtatibus fierent, minora eſſent; ſed remanet quid agant Eccleſiarum Antiſtites, quid Monaſteriorum Prælati, quid piis Præſidentes Locis. Inſtruunt ſibi creditum Populum litterarum omnium quinimmo & primorum elementorum inſcii? Formant moribus, exemplis ædificant, cum ipſi perditiſſime vivant? Baſilicas novas ædificant, labentes reparant, cuſtodiunt theſaurum Eccleſiæ ſacrum? Quæ Dei ſunt, negligunt, ut plura templa ſolo æquata quam ſtantia, non dicam

culta

culta videamus. Temporalia autem quibus inhiant, pro quibus ſudant, vigilant, non diſpenſant, ſed diſſipant & conſumunt, propriis voluptatibus obſequuti. Hæc ideo quia in domum Domini per poſticum non per oſtium intraverunt. Non enim ut regant Populos, ut pie Domino famulentur, Dignitates ſacroſque Ordines quæſiverunt, ſed ut arcas theſauris impleant, per numiſmata ambiere. Nonnulli tamen ſunt Divinum formidantes judicium, qui hæc inexpiabilia crimina horreant, ſed perrari ſunt adeo, ut vix in tanta turba perditorum emineant. Intuere inſuper Sancte Pater, Tui Chriſticolæ Populi ſtrages. Vide quot Turca [quoniam non de ſuis finibus metuens] contrucidaverit Populos, quot miſerrima ſervitute adegerit, quam inſtructas devicerit Atticas Urbes & deleverit, ut Romanæ Urbi inſuper excidium minaretur, niſi immaniſſimus Parthus ipſius ferocitatem & inſolentiam contudiſſet. Has meſſes hoc damnatiſſimo metimus ex ſchiſmate. Quæ etſi Chriſticolæ omnes dolenter intelligant, noſtra Reſpublica ultra communes lacrymas crebro magnis cum calamitatibus experitur. Hæc cum, ingenti mœrore, Tuo ſacro volvas in pectore, ſanctiſſimo propoſito Tuo ſedulum culmen adjiciatur. Propera itaque, Pater Sancte, has lacrymabiles diſſolvere tenebras, ſerena orbem noſtrum, vindica Tibi, Tuoque generi, & quæ Te in medium protulit, Urbi, ſempiterna præconia. Te venerabuntur præſentes, colent Poſteri, omnium linguis, omnium litterarum, omnium ætatum illuſtraberis monumentis; quodque eſt his longe præſtantius, theſaurizabis indeficiens theſaurum in cœlis, quo perenniter perfruaris. Tunc verus Chriſti Vicarius, tunc Succeſſor Petri, tunc Cœlorum Janitor, tunc denique verus eris Dominici Gregis Paſtor cum non dicam temporarium, breve, oneroſumque faſtigium, ſed & corpus, ſed & animam, ſi opus fuerit, pro Tuarum cuſtodia ovium poſueris. Heu miſeri, heu amentes qui ſecus exiſtimant, qui breves, qui fugaces hoſce dies, quibus non tam vivimus, quam fluctua-

ſtuamus, prægraveſque ſarcinas cum æternitate, cum felicitate perpetua neſciunt permutare! Hanc autem ut conficias ſacram unitatem Eccleſiæ, etſi Tuæ vitæ ſanctitas, Apoſtolatus officium, fides per jusjurandum adſtricta, ſaluſque Chriſtiani Populi Te inducant; noſtra inſuper Reſpublica zelo ferventiſſimo Domus Dei, Tuique Nominis gloria, cujus partem permaximam vendicat, piis ſupplicationibus obſecrat, ut ſanctiſſimam hanc integritatem quacumque ratione conficias. Tanta eſt enim hujuſce materiæ perfectio, tot in ea bonitatis concurrunt cauſæ, ut dum fiat, non niſi rectiſſime actum arbitrari fas ſit. Sic Beatitudinis Tuæ creatura humilis, Vir Clariſſimus, mihi inſignis Pater Marinus Caravelo, egoque pariter, quibus hæc mandata ſunt, tuis ſacris affuſi pedibus devotiſſime ſupplicamus, noſque humiliter paratiſſimos exhibemus, & apud Avenionenſem Dominum, reliquoſque, quantum opportunum fuerit, noſtras fideles operas impertiri, nullis laboribus, nullis diſcriminibus indulgentes; ſic enim in mandatis ſuſcepimus, ut hæc ſacra ſequatur integritas, quod Beatitudini Tuæ, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ noſtra devotiſſima Reſpublica totis optat affectibus &c. Deo gratias qui hæc invenire, & diſponere dignatus eſt.

Fojani Florentini Comitatus albeſcente die penultimo Decembris 1407. *dum Legationis munere Collega Viri inſignis Marini Caravelo ad Romanum Antiſtitem, & Avenionenſem Dominum proficiſcerer &c. Per D. Zachariam Trevixano de Venetiis Oratorem illuſtris Ducalis Dominii Venetorum ad præfatum Gregcrium XII. pro unione Eccleſiæ conficienda.* (a)

Vindi-

(a) Electis a Concilio Conſtantienſi in Pontifices Romanos Alexandro V. & deinceps, eo mortuo, Martino V., Venetus Senatus a Gregorii obedientia receſſit, noviſque Pontificibus adhæſit: At multi Senatores a Gregorii obedientia cum nondum eſſe recedendum contenderent, exortus eſt iu Senatu rumor ille, quo de agit piiſſimus iſque doctiſſimus Senator Flaminius Cornelius eo in Libro in quo Patrii Pontificis cauſſam propugnat: ſcilicet Eccleſiarum Venetarum Tom. XIII. pag. 113.

Vindicatur EUGENIUS IV. *ab ejuſdem Bruji criminationibus*.

CRedi vix poteſt, Franciſci Bruji animum tanta in Romanos Pontifices ira incenſum fuiſſe, ut iniquiſſima probra ac maledicta in EUGENIUM IV. tanquam venenata tela jaceret, in eum inquam Eugenium, quem coævi, quem ſuppares, integerrimi ſane Scriptores a morum honeſtate, ab ardentiſſimo Orientales Populos & Occidentales ſacro diſſidio ſejunctos in unam unitatis & pacis gratiam uniendi ſtudio, a liberalitate in pauperes, a litteratorum amore, & in omnes humanitate multis laudibus extulerunt. *Hic gratioſus aſpectu, nec animo minor, liberaliſſimus ad pauperes, ad reparationem Eccleſiarum munificus, Religioſos Deum timentes eximio fovebat affectu pariter & effectu, cultus Divini & Chriſtianæ Religionis dilatandæ zelator præcipuus*: ſunt hæc laudum præconia ſine fuco & technis ab eo Scriptore exarata, a S. nempe Antonino Archiepiſcopo Florentino (a), cujus geſta plane indubia nullum reliquum faciunt ſuſpicandi locum, plus eum favori, aſſentationibus aliiſque affectibus, quam veritati tribuiſſe, quibus vitiis eos omnes, præter unum Niemium, laborare, qui Pontificum Vitas ſcripſere, ille audet affirmare in epiſtola dedicationis, qui primus Niemii Opus in lucem emiſit Simeon Schardius (b). Porro ſiquis Schardio regereret, neminem ex Vitarum Pontificiarum Scriptoribus Niemio iniquius ſcripſiſſe, is vero propius accederet. Atque ne longius irem, unam de Eugenio IV. narrationem proferre poſſem. Huic enim Pontifici fœdiſſimam infamiæ notam inurit, dum eum e Gregorii XII. lumbis, & quidem nothum prodiiſſe, litteris conſignavit, quam ſpurciſſimam calumniam arripere, ſuæque inſerere hiſtoriæ Brujus non erubuit: *Papa Gabriel Condulmere Bâtard du Pape Gregoire XII., bien que autres en parlent comme de ſon Neveu* (c). Immo vero non ſolum alii, ſed omnes (unum aut alterum ſi demas, qui Vatiniano odio in Pontifices Romanos fertur) Veneti exterique Scriptores affirmant, Eugenium Gregorio XII. fuiſſe ex ſorore nepotem; ſcilicet Angelus Condulmerius ei fuit pater, mater vero Bariola Corraria, electiſſima nobilis mulier, quæ raro felicitatis exemplo, tres vidit ſuo ex ſanguine Pontifices ſummos, Gregorium nempe XII. fra-

(a) Loc. cit.
(b) Baſileæ 1560.
(c) Loc. cit. T. IV. p. 101.

Digitized by Google

ſratrem, Eugenium IV. filium, & Paullum II. ex Polixena filia nepotem. Sed videamus quæſo quo ex ſonte ſingularem eam auroque pretioſiorem homo hauſerit notitiam; ſcilicet unum citat Theodoricum Niemium, quem jam oſtendimus, in iis quæ de Summis Pontificibus narrat, lubricæ omnino fidei. At enim jactat Niemius Cardinalium Gregorio adhærentium, & Gregorianæ Curiæ Officialium teſtimonium; quippe in eo libello, quem Piſis publicarunt, ita Gregorio exprobrant: *addendus tuus filius natu major Gabriel, qui de tuis exiit renibus* (a).

Qui Viri, bone Deus, qui teſtes, quæ nomina! Verum quem ego hic primum querar? Niemium irreligioſum, qui maledictum alienum literis conſignarit? an Operis editorem, qui hoc Niemio ſuppoſuerit? Anne Brujum, qui hoc maledicto peſſima fide abuſus eſt? At Niemium, qui Condulmerium Gregorii nepotem vocat (b), eundem Gregorii nothum aſſeruiſſe quis credat? Mirum vero, ſi Niemiano Operi a Proteſtante editore aſſuta hæc ſuſpicer. Henricus certe Meiboſiius quatuor iſtos de Nemore unionis libros, unde calumniam hanc hauſit Brujus, a MS. diſtare aſſerit (c); atque utinam præſto nobis eſſet exemplar illud: funditus tum maledictum iſtud ſubvertere fortaſſe liceret. Verum eſto: calumniam hanc nemo ſuppoſuerit, eam retulerit Niemius. Quid tum? Nonne ſibi adhuc conſtaret Niemius, qui ſuis verbis nepotem, alienis nothum Gregorii Gabrielem vocat? Sed animadvertere præſtat quam belle incredibilem calumniam hanc concinnet Brujus, *Les Cardinaux*, ait (d),.... *avec les Officiers de la Cour de Gregoire ....firent afficher a Lucques un Ecrit diffamatoire contre lui ....* cujus hæc verba refert (e): *Nous depoſons .... vôtre fils ainé Gabriel, qui eſt ſorti de vous reins;* tantamque utrique Pontifici objiciens maculam, quam ſe jactat, quam ſe oſtentat! *Cette Piece, qui eſt des plus ſanglantes, & des plus ſatyriques, nous a été conſervée par Theodoric de Niem.* Quid ais, bone vir, hiſtoricæ cuſtos defenſorque veritatis? ergo Eugenius nothus, immo ex ſacrilego ortus concubitu? Quam verbo ponis, verbo calumniam refello, parum id mihi eſt; quam ſtruis calumniam, ejuſdem fontem retegendo, deſtruo. Maculam certe hanc in Eugenium conferre te docuit caput XLI. libri ſexti Labyrinthi nemoris unionis ubi hæc leguntur: *privamus de renibus tuis deſcendentem tuum primogenitum Gabrielem,*

 cujus

(a) De Nemore unionis Tractatu VI. c. 41. p. 825.
(b) De Schiſmate Lib. III. c. 31. p. 205. & alibi.
(c) Teſte Fabricio Biblioth. *Mediæ & infimæ latinitatis* T. V. p. 163. Ed. Pat.
(d) Tom. III. pag. 657.
(e) Ibid. pag. 658.

cujus titulus hic eſt: *Epiſtola deluſoria Officialium Romanæ Curiæ, Pontificum coquinæ, & Curtizanorum de Stabulis* &c. (a) Ficta nomina, ficta calumnia. Tu vero ſapiens hiſtoricus, ne deridendum te lectoribus propines, ſi larvatam calumniam ficto ex fonte manantem proferas, ſcripti hujus germanum titulum taces, falſum ſupponis, indeque fictum hoc maledictum arripis, illudque ceu hiſtoriæ caput evulgas, ut Pontificio nomini valeas invidiam conflare. O criminandi libidinem! quod quiſpiam malevolus maledictum lectu clam expoſuerit, illud ab hiſtorico ceu verum vulgari, quod ab infimæ familiæ ſervulis, ſeu verius ab invidis & obtrectatoribus, ementito ſeu potius irriſo Pontificum nomine, convicium jocoſe confictum legis, illud ſummis viris ſerio adſcribis. O impiam audaciam, o effrontem inverecundiam! non timuiſſe ſi minus divinæ juſtitiæ vim, *omnes qui loquuntur mendacium*, perdituræ, at hominum famam, cui ſubſervire geſtiunt Pontificiæ hoſtes majeſtatis. Sed nimii in ſpurciſſima fuimus labefactanda aranea.

Erit fortaſſe qui hoc loci illud a nobis requiret, æque ut inanes Brujanos oſtendamus conatus, quibus Eugenium contendit Pontificatu excidiſſe, cum Concilii Baſileenſis Decreto Seſſione XXXIV. ſancito, honore ſummo privatus fuit, electuſque deinceps in ejus locum Felix hoc nomine Quintus, Amadeus nempe, qui ante annos quinque Ducatu Sabaudiæ abdicato, vitam agebat ſolitariam. At ego eam provinciam ſi ſuſciperem, otio nimis abuterer, propterea quod Eugenii cauſſa a præclaris ingeniis ita egregie pertractata ſit, ut ipſa in luce cæcutire ille dicendus ſit, qui Concilio Baſileenſi auctoritatem tribuat, pareſque contendat fuiſſe cauſſas Eugenii dignitate ſumma dejiciendi, aliumque in ejus locum ſufficiendi. Ut enim alias ſilentio præteream vacuas plane & inanes, quas Adverſarius profert rationes, Eugenii zelus nullo modo immanis vocandus eſt, atque inſolens, dum Huſſitas Boemos a Fide extorres, omniaque cum falſis erroribus, tum armis ſuſque deque vertentes, ut rem publicam liberaret, eoſque ad ſanitatem vocaret, adhibitis ſibi in conſilium piiſſimis viris, & ſibi armis utendum eſſe exiſtimavit: qua tamen in re ſiquid peccatum eſt, non æquiſſimo Eugenii animo vitio dandum eſt, ſed ardenti Friderici Electoris Brandeburgici, Pontificii exercitus Ducis, tribuendum militiæ, quæ in hoſtes immitiſſimos vim omnem exercere voluit (b).

Præterea cum maximam objectorum vim faciat Brujus in laudibus,

(a) De Nemore unionis Lib. VI. cap. 12. pag. 523.
(b) Has clades recenſet Æneas Silvius, qui poſtea fuit Pius II. Pont. M. Hiſtoriæ Boemicæ cap. 44. pag. 651. Lipſiæ 1707.

dibus, quibus Felix, quem modo nominavimus, ab Ænea Silvio exornatur, abs re non erit eas quoque laudes huc tranſcribere, quas idem Silvius Eugenio Pontifici tribuit in eo libro, quem mortuo Eugenio de Hiſtoriæ Europa ſcripſit, ubi hoc ejus extat elogium (a): „ Magnus profecto & clarus Pontifex fuit Eugenius, „ contempſit pecunias, virtutem apprime dilexit, neque ſecundis „ rebus intumuit, neque ſuccubuit adverſis, neque ſpes ei gau„ dium, neque metus triſtitiam auxit, ſedatus animus eundem „ ſemper ejus vultum oſtendit, ſermone brevi, eoque graviſſimo „ uſus eſt. Durus & aſper in hoſtes, promptior in fidem receptis. „ „ Et paucis interjectis: „ Hic Summum Pontificatum adeptus ma„ gis enituit, qui, etſi oriente ſchiſmate in principio ſui Pontifi„ catus, uſque ad obitum cum Baſileenſibus contenderit, coronato „ tamen Sigiſmundo Cæſare, Græcorum & Armeniorum peracta „ cum Eccleſia Latina unione, Civitatibus Eccleſiæ, quas amiſe„ rat, recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia Ro„ manorum edomita, victor inclytus hominem exuit. Hic me, quam„ vis aliquando adverſus eum, exiſtimans Deo ſacrificium facere, „ cum Baſileenſibus ſenſiſſem (nam meo tempore tota nutabat Ec„ cleſia) venientem ad ſe benigne recepit, inter Secretarios collo„ cavit, & Apoſtolici Subdiaconatus honore donavit „. Ex quo teſtimonio plane locupletiſſimo, utpote quod poſt Eugenii mortem conſcripto, illud primo conſicitur, Brujum ſuiſmet armis labefactatum eſſe, deinde Baſileenſes in Pontificiam Eugenii dignitatem auſu temerario injurios fuiſſe. Quam profecto injuriam & ipſi tandem ad ſanitatem vocati Baſileenſes ingenue confeſſi ſunt, cum mortuo Eugenio Lauſannæ collecti, irrita declararunt ea Acta, quæ adverſus eum tulerant, & Nicolaum V. a Cardinalibus in defuncti locum ſubrogatum, venerati ſunt (b).

Quam Æneæ Silvii, & Baſileenſium palinodiam Brujus, qui ab omni quocumque Scriptore ſcommata omnia in Pontifices Romanos, jacta expiſcatur, ut hiſtoriam ſuam ſpurciſſimis infarciat pannis ſi imitatus fuiſſet, profecto & honeſtati probi viri conſuluiſſet, & veritati boni Hiſtorici.

Cæterum ad cumulandam tanti, qui in noſtra Republica natus eſt, Pontificis gloriam, innocentiſſima vita omni ſibi comparatam, facit vehemens ejus erga litteras amor (c), quo factum eſt, ut quamplurimi viri doctiſſimi in Urbe tunc fuerint, liberaleſque diſci-

(a) Cap. 19. pag. 347.
(b) Ex Nicolai V. Epiſtola data Spoletii XIV. Cal. Julii 1449., quæ extat in Actis Concilii Baſileenſis . . . .
(c) Hujus Operis pag. 51.

diſciplinæ præ aliis Italiæ civitatibus inſigniter floruerint (a): facit accuratiſſimus in promovendis ad Cardinalatum ex omnibus nationibus & ordinibus delectus viris clariſſimis ſive a morum integritate, ſive a doctrinæ excellentia, ſive a generis ſplendore (b): facit tandem flagrantiſſimum ſtudium Mahometanæ ſectæ penitus evellendæ; quam in rem præclarum eſt Paulli Barbi in ea, quam ad Ludovicum XI. habuit Oratione, teſtimonium (c). Quamobrem Eugenii ſapientiæ & felicitati tributum, quod dirum vetuſque ſchiſma non ſolum Latinum, verum etiam Græcum ſua ætate extinctum fuerit; quod duo Cæſares Græcus Latinuſque, inaudito poſt hominum memoriam exemplo, eum adirent, parentem Orbis terrarum veneraturi; quod & Armena & Æthiopica Eccleſia præter Græcam longiſſimo tempore fœdis erroribus a Matre avulſæ, in ejuſdem ſinum, veteri ejurato ſchiſmate, Eugenio totis viribus connitente, ſe receperint. Quorum egregie factorum monumenta in Urbe poſita, ne vetuſtate obliterarentur, Aloyſius Galletius doctus Caſinenſis Monachus in unum collecta nuperrime vulgavit; ex quibus hoc unum harum Vindiciarum veluti coronidem retuliſſe non pigebit (d):

Ut Græci Armenii Æthiopes hic aſpice ut ipſa
Romanam amplexa eſt gens Jacobina fidem
Sunt hæc Eugenii monumenta inſignia Quarti
Excelſa hæc animi ſunt monumenta ſui.

Eugenius IIII. *Opus Antonii*
Pontif. Max. *De Florentia.*

NO-

(a) Diſcimus ex Joſepho Caraffa ex Clericis Regularibus Epiſcopo Mileti *De Gymnaſio Romano* pag. 71. Romæ 1751.

(b) Miror quid in mentem venerit Ciacconio in Vita Eugenii, in qua cætera præclare, illud falſo, Cardinales ab Eugenio creatos ex infima ferme fuiſſe conditione, cui propoſitioni labefactandæ vel unum ſat eſt conſuluiſſe Ciacconianum Opus.

(c) Edita eſt ad calcem libri Cardinalis Auguſtini Valerii *De Cautione adhibenda in edendis libris* pag. 186. Patavii apud Cominum 1719.

(d) Apud S. Petrum in Vaticano in valvis æneis. Ea autem Inſcriptio, qua moriens ex ſepulcro marmoreo exornatus fuit Eugenius, & a Ciacconio exhibita, fruſtra a nobis conquiſita fuit in Opere Galletii, eo quod cum Baſilica illa novis ornamentis illuſtraretur, diruta fuit. Rem per literas ipſe Galletius narravit Equiti P. Andreæ Capello, illi ipſi quem nos in Præfatione laudavimus, quique Galletio auctor fuit, ut immortalitati mandaret illud Opus, quod ipſimet Capello inſcriptum hanc frontem præfefert: *Inſcriptiones Venetæ infimi ævi Romæ extantes collectæ a P. Petro Aloyſio Galletio Romano Monaco Caſinenſi. Romæ* 1757.

Digitized by Google

NOVÆ IN UNIVERSUM OPUS ANNOTATIONES.

I.

Ludovicus Donatus *Anno* MCCCLXXIX.

Ludovicus Donatus claro & patritio ſanguine ortus, a pueritia nomen ſuum cum dediſſet Ordini Minorum Conventualium in Monaſterio *S. Mariæ Glorioſæ* Venetiarum, tantum & pietate & Theologicarum ſcientia diſciplinarum profecit, ut Fidei Inquiſitor, quod munus Venetiis a Patribus illius Monaſterii tunc temporis adminiſtrabatur, circiter annum 1360. electus fuerit (a). Magna huic laus tribuenda, quod locum habere meruerit inter novem celebres Theologos, qui anno 1360. ad inſtitutionem ſtudiorum Theologicæ facultatis in Academia Bononienſi adlecti ſunt (b). Porro tantum Conſcriptis ſe probarat Venetis Patribus, ut Patriis Inſulis anno 1367. parum abfuerit quin exornaretur (c). Sed etſi ad ſpem eventus non reſpondit, Patrum tamen ſtudium magno ei fuit adjumento ad conſequendam Cardinalitiam dignitatem, qua ab Urbano VI. inſignitus fuit vel anno 1379. ut eſt apud Scriptores (d), vel duobus poſt annis, ut eſt in Veneto S.C. lato die XXXI. Julii anni 1381., quo Publicæ Literæ ad Summum Pontificem decretæ fuerunt, ut Ludovicus Donatus Ordinis Minorum Generalis ad Cardinalitiam dignitatem promoveretur (e). Cum vero perdita in illa tempora homo priſcæ antiquitatis amator & cultor incidiſſet, quibus ob Clementis VII. inſanum ſchiſma tota laborabat Eccleſia, temporis calamitates injuriaſque declinare nequivit, quæ pag. 22. hujus Operis commemorantur.

II.

(a) Apud Cl. Senatorem Veneium Flaminium Cornelium *De Eccleſiis Venetis*. Tomo VI. pag. 296.
(b) Loc. cit.
(c) Tomo XIV. pag. 462..
(d) Apud Wadingum *Annalium* Tomo IV. pag. 328. E. N.
(e) Apud. Cornelium *De Eccleſiis Venetis* Tomo XIV. pag. 212.

II.

Angelus Corarius *Anno* MCCCCIV.

Pontifex deinde appellatus

GREGORIUS XII.

III.

Antonius Corarius *Anno* MCCCCVII.

Antonius Corarius (a) is ipſe eſt, quem vidimus a Niemio (b), aliiſque Scriptoribus, qui Niemium exſcripſere, inſimulatum, quod ſuaſionibus precibuſque Gregorio XII., cujus erat ex fratre Nepos, ne dominatu ſe abdicaret, impedimentum poſuiſſet, quam ei calumniam Conciliabuli Piſani Patres ſtruere, & in vulgus ſpargere non omiſerunt (c). At ab iniqua criminatione luculenter Antonium vindicant excelſitas animi & magnitudo, juſtitia & liberalitas, ob quas virtutes meruit a probatiſſimis commendari Scriptoribus tum coævis, tum ſupparibus, in primiſque a Sancto Joanne de Capiſtrano, atque a S. Antonino Florentiæ Archiepiſcopo præclariſſimis verbis iſtis: *Vir mundiſſimus, ſæculi contemptor, ſpeculum Religioſorum, Pater pauperum, Deo & hominibus dilectus* (d). Quibus eum virtutibus plane ornatum fuiſſe oſtendit Gregorius Corarius Protonotarius, veritatis, ſiquis alius, amicus eo in libello, *Soliloquium ad Deum de vita & obitu beatæ memoriæ Antonii Epiſcopi Oſtienſis*, inſcripto, quem Cardinalis Quirinus e tenebris eruit, publicique juris magna ex parte fecit (e). Præter has Chriſtiani hominis virtutes, quibus animum excoluerat, & illas etiam in pretio habuit coluitque, quæ doctum faciunt ſapientemque Eccleſiaſticum virum. Cujus rei argumento eſt non ſolum Bibliotheca plurimis Codicibus iiſque rarioribus, & eleganter conſcriptis referta, ingenti auri vi ſibi comparata, quamque moriens amantiſſimo ſuo legavit Monaſterio S. Georgii in Alga (f), verum etiam ſui ingenii monumenta, quæ litteris conſignavit: Nimirum.

Liber

(a) Barbaro *Alberi Genealogici delle Famiglie Nobili Veneziane*. Apud de Agoſtinis Tomo I. *Degli Scrittori Veneziani* pag. 358.

(b) De Schiſmate ſub initium Libri III.

(c) In Articulo XII., ex iis quos Oratoribus Principum Patres Pſeudo-Concilii Piſani propoſuerant; apud Raynaldum ad annum 1409. num. 53.

(d) Loco cit.

(e) Hujus Operis pag. 40.

(f) Perperam nonnulli ſcripſere eam donationem factam fuiſſe Monaſterio S. Joannis Patavii ejuſdem Congregationis S. Georgii de Alga. Dolendum maxime eo incendio, quo anno 1716. die ſecunda Julii Monaſterium ferme totum

Liber ſanctus annorum Filii Dei a temporali ejus Nativitate, in quo multa errata diligenti ſupputatione correxit, ſed nomen ſuum præſcribere noluit: habetur autem in Bibliotheca quam inſtituit apud Fratres ſuos; verba ſunt laudati Gregorii Corarii (a).

Hiſtoria ſui temporis, de qua ita Thomaſſinus Epiſcopus Æmoniæ (b): *Tanti viri res geſtæ temporum injuria deperditæ una cum ejuſdem lucubrationibus; e quibus præſertim non ſine deſiderio Eruditorum ejus temporis hiſtoriam ibi repoſitam, malis artibus, vel noſtrorum incuria cum aliis amiſſam dolemus, maximeque quod tanti Auctoris noſtri memoriam ea jactura non parum obſcuraverit.*

Sermones Sacri. Opuſcula Aſcetica. Epiſtolæ piæ & utiles.

Hinc factum eſt, ut inter ſummos Viros, qui doctrinæ gloria ſacræ Purpuræ ſplendorem auxerunt recenſitus fuerit ab Oldoino (c), & Eggers (d).

Antiquitatis etiam ſtudio eundem floruiſſe ſunt qui ſcripſerint, teſtimonio innixi Æneæ Silvii Piccolomini, qui in libro ſecundo *De factis & dictis Alphonſi Regis Aragoniæ* ſcripſerat (e): *Antonius Sancti Marci Cardinalis, Eugenii IV. Summi Præſulis nepos, incredibile eſt quam multa numiſmata, veterum conquiſierit, Imperatorum ac Principum, amator & hic vetuſtatis.* Ubi errorem aliquem vel typothetæ vel amanuenſis vitio contigiſſe jure ac merito adnotat Eques & Procurator Ædium D. Marci Marcus Fuſcarenus (f); propterea quod Antonius hic minime fuit Eugenii IV. nepos, ſed patruelis; neque titulum S. Marci habuit, quo tamen inſignitus fuit Petrus Barbus Eugenii IV. nepos ex ſorore Polixena, atque Pontifex deinde & ipſe maximus Paullus II. appellatus, Antiquitatis enixe amator. Ceterum nil mirum, ſi Antonius tot Eccleſiaſticis proventibus atque titulis, quos refert Ciacconius, a Pontificibus condecoratus fuerit, quibus addendus, ab aliis prætermiſſus, Abbatiæ Vangaditiæ in Pollicinio Rhodigii ſitæ, quam primus ab Eugenio IV. ſibi commendatam habuit (g).

Tanti

---

totum S. Georgii in Alga, quod recenter pientiſſimis PP. S. Thereſiæ Excalceatis tributum fuerat, conflagrarat, ſelectiſſimam illam per ipſe librorum ſupellectilem, ex ea auctam quam Hieronymus Aleander Cardinalis Brunduſinus Veneto Monaſterio S. Mariæ de Horto Ord. Ciſtercienſis Teſtamento legaverat. Hanc nos notitiam hauſimus ex laudato Opere Flaminii Cornelii *De Eccleſiis Venetis* Tom. VI. pag. 76.

(a) Hujus Operis pag. 45.

(b) Annalium Canonicorum Secularium S. Georgii in Alga pag. 262.

(c) Athænæi Romani pag. 77.

(d) *Purpuræ Doctæ* pag. 519.

(e) Pag. 18.

(f) Loc. cit. pag. 382.

(g) Diſcimus ex erudita Diſſertatione Ferrariæ recenter vulgata *De Cœnobio Van-*

Tanti viri egregia geſta recenſuit Veſpaſianus Strozzius in Vita nondum edita (a): nuperrime vero præclarum ei texuit Elogium Cardinalis Philippus Montius in pulcherrimo Opere quod inſcribitur: *Elogia S. R. E. Cardinalium pietate, doctrina, legationibus ac rebus pro Eccleſia geſtis illuſtrium* (b).

Non abs re tandem erit de Gregorii Corarii Protonotarii, Venetiarumque Patriarchæ nonnulla hic iis addere quæ de eodem commemoravit Quirinus (c), nimirum adminiſtratum minime fuiſſe a Gregorio Epiſcopatum Vicentinum, ut ex monumento ab ſe edito rite colligit laudatus Cornelius (d). Scripta vero ejus, quæ plurima referuntur, partim improbata fuere, ut metrica nonnulla, & partim laudata, & digna quæ typis ederentur, a Cardinali Petro Bembo in epiſtola Angelo Gabrieli Patritio Veneto data (e). Ex iis quæ poſteritati conſervanda lectuque digna arbitramur, ea epiſtola eſt quam primus Edmundus Martenes in lucem emiſit (f). Joannes deinde Baptiſta Contarenus vir pius ac doctus cum optimis collatam Codicibus Tom. I. Venetorum Anecdotorum exhibuit (g). Hac nos ad utriuſque editionis Codices exacta, Opus iſtud illuſtrare, cum Venetis, tum Divino cultui literiſque addictis viris non injucundum nec inutile fore ſperamus; ea enim non eloquentiæ ſolum, eruditionis pietatiſque Gregorii ſpecimen exhibebit, verum etiam ſuadendæ ſervandæque virginitati: rectæ inſuper ſtudiorum viæ rationique ediſcendæ plurimum poterit inſervire: pleraſque demum a Scriptoribus celebratas Gregorii laudes confirmat, eaſque cumulat, noſque admonet, eundem de litteraria republica optime meritum, Salviani aliorumque inſignium Virorum Opera e Germaniæ, ut ipſe ait, ergaſtulis in Italiæ ſinum deportaſſe.

EPI-

Vangaditienſi pag. 40. Cujus rei locupletiorem daturi ſunt notitiam in T. IV. Annalium Camaldulenſium propediem in lucem emittendo eruditiſſimi eorundem Conditores Joannes Benedictus Mittarellus, & Anſelmus Coſtadonus.

(a) Fuſcarenus l. c.

(b) Romæ 1751.

(c) Tiaræ pag. 50.

(d) Loc. cit. T. XIII. pag. 50. & XIV. pag. 267.

(e) Data eſt *ai 12. d' Ottobre* 1517. *Padova*, & extat inter Italicas *Libro ſecondo*.

(f) Tomo III. Collectionis Veterum Scriptorum pag. 810. Pariſiis 1724.

(g) P. Contarenus ex Ordine Prædicatorum Congregationis B. Jacobi Salomonii Tomum primum Venetorum Anecdotorum edidit Venetiis an. 1757. in quo præter integrum Soliloquium, quod Quirinus magna dumtaxat ex parte nobis dederat, & Opuſculum ad Cæciliam, vulgavit etiam Epiſtolam ad Novitium Carthuſianum, & Orationem in Conſilio Baſileenſi habitam; præterea carmina nonnulla, quæ reſtauratæ priſcæ Poeſeos incunabula ſapiunt.

EPISTOLA

Gregorii Corarii Veneti, Romanæ Eccleſiæ Protonotarii, ad Cæciliam (a) *Virginem de fugiendo ſæculo.*

NUper cum illuſtrem feminam genitricem tuam Florentiæ viſitaſſem, pauca quædam prælocuti, in ſancti propoſiti tui incidimus mentionem; quod repudiatis terrenis nuptiis, cæleſtem Sponſum elegeris, & ſpreto calcatoque ſæculo, ad Monaſterium tota cordis intentione ſuſpires: tantum tibi obſtare voluntatem patris adverſam, non dicam enim, familiam. Nam ipſa, ut eſt omnis ſanctimoniæ ſpeculum, mavult te ſponſam Chriſti cernere, quam de carne tua ſobolem expectare: & in hoc te plus diligit, & virum ſuperat vigore animi, qui muliebri in ſexu mollior eſſe conſuevit. Gratias egi Deo noſtro, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum; laudavi propoſitum tuum, dixi ſperare, hoc non ſolum ad ſalutem animæ tuæ pertinere, ſed & plurimarum Virginum, quæ tam claro inuſitatoque exemplo ad frugem melioris vitæ trahentur. Quin tu igitur, inquit præceptor noſter Victorinus [aſſiſtebat namque illacrymans præ gaudio, ut ſolet] Cæciliæ noſtræ aliquid ſcribe. Eſt enim ſtylus tuus ad hujuſmodi exhortationes non inefficax. Credo hoc pium patrem conjectaſſe ex quadam Epiſtola, quam jam fere decennio ad novitium Carthuſianum ſcriptam, ſibi legendam miſi. Sed o inanes exhortationes meæ, o vanæ ſpes, o vana ſtudia hominum! Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam: *ille ad ſæculum rediit. Sed abſint querelæ ab exordio noſtri ſermonis, potiuſque propoſitum tuum, quantum Deus donaverit, hac de te inſtituta Oratione adjuvare conemur: quod quidem Victorini monitu non arroganter fecimus, rogantes, ut has litteras eadem caritate ſuſcipias, qua ſcribuntur, nec ipſam caritatem de viribus ingenii noſtri metiaris.* Pſal. 126. v. 1.

Multi excellentium Doctorum Religionis Chriſtianæ, qui merito ſanctitatis & doctrinæ clariſſima Eccleſiæ lumina extitere, de profectu virginum, de ſtudiis, de moribus, miſſis epiſtolis ad ſacras virgines, ſcriptitarunt. Hinc illæ celebratæ epiſtolæ Hieronymi ad Euſtochium & Demetriadem virgines, & Ambroſii item ad Demetriadem. Multi etiam diverſis tractatibus de ſancta virginitate, de ſervanda continentia, & de utriuſque præſtanti laude diſſeruerunt, ſicut Auguſtinus & Baſilius in eo libro, quem nuper frater Ambroſius (b) *in*

(a) Filia erat natu minima Ludovici Gonzagæ Mantuæ Marchionis & Paulæ Malateſtæ.

(b) Celebris nempe ille Camaldulenſium Generalis.

latinum ſermonem vertit, cui pro ſuis bonis meritis rependat Deus in vita beata; multa quidem utilia ex Doctoribus eccleſiaſticis egregie tranſtulit, & plura tranſtuliſſet, ni eum a laboribus humanis immatura mors ſuſtuliſſet. Quid ceteros proſequar? quorum ſcripta partim extant, partim noſtra negligentia perierunt: diſce ex catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum, nihil invenies æque omnium ingeniis & litteris celebratum.

Pro deliciis olim habuerunt ſancti & eloquentiſſimi viri exhortari virgines, ſalutaribus documentis inſtruere, ſanctam laudare virginitatem. Neceſſe etiam fuit de ejus meritis adverſus rabidos hæreticorum latratus diſputare. Ut enim fuerunt quædam monſtra hominum, quæ de ſancta Trinitate, de ceteriſque divinis & eccleſiaſticis myſteriis impias falſaſque opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam proſtituti pudoris, in quibus fuit princeps Jovinianus, ut præponere auſi ſint nuptias virginitati. Quorum impietatem Doctores Catholici diverſis voluminibus confutarunt. Quidquid ergo de hac re cogitari aut dici poteſt, quidquid de Sacrarum Scripturarum teſtimoniis afferri, eorum litteris continetur. Quare ſtudioſas virgines omiſſis rivulis, ad eorum fontes delegamus. Quid enim a me meique ſimilibus, ideſt peccatoribus, & Divinarum Scripturarum rudibus, addi poſſet in tanta excellentium Scriptorum copia, auctoritate, præſtantia?

O donum Dei præcipuum, o Angelis cognata virginitas, in Matre Virgine, & in Filio Virginis conſecrata! Tu via cœli, tu fuga dæmonum, tu decus animæ, tu ſplendor, tu corona pudicitiæ, tu ſuper pectus Domini recumbis, tu Agnum ſequeris, dicente Scriptura in Apocalypſi
Cap XIV. v. 4. *S. Joannis*: Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt: hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. *In quibus verbis, virgo Chriſti Cæcilia, ne putes feminas præteriri, ſed per virilem ſexum utrumque ſignificari. Qua de re cum Dominus in*
Matt. IX. v. 11. & 12. *Evangelio loqueretur*: Non omnes, *inquit*, capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. *Et paulo poſt:* Qui poteſt capere, capiat.
I. Cor. cap. VII. *Et amplius ad Corinthios*: De Virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do . . . . Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum, *Et in conſequentibus*: Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

Vides quantum præſtet matrimonio ſancta virginitas; quantum ſcilicet præſtabilius eſt cogitare quæ Domini ſunt, ut ſanctificeris corpore & ſpiritu, quam quæ mundi, ut placeas viro. Merito igitur prælata nuptiis intemerata virginitas, ut ad tantum bonum cum omni humilitate ſuſpirent, quibus datum eſt magnam Dei miſericordiam hoc tam excellenti munere conſequi. Et ſecundum indulgentiam fragilitati humanæ ad propagationem humani generis conceſſæ nuptiæ,

qua-

Digitized by Google

quarum ſancta virginitas pulcherrimus atque optimus fructus exiſteret. Dicas ergo cum Propheta: Voluntarie ſacrificabo tibi, *cujus vel eo* Pſal. 15. v. 8. *ſublimius meritum, quod voluntaria oblatio; cum poſſes in nuptias ſecundum indulgentiam declinare,* ſi nupſerit, *inquit,* virgo, non I Cor. VII. v. 28. peccavit, tribulationem tamen carnis habebit hujuſmodi. *Vis ſcire cujuſmodi? Audi Domini maledictionem ad Hevam:* Multiplicabo Gen. III. v. 16. ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui: *a qua ſententia virgines liberæ ſunt, & pro viris Deo tantum ſubditæ. Ceterum ne videar accuſare naturam, proſequi deſinam nuptiarum moleſtiam, & hujuſmodi, ad virginem non ſcribenda, de quibus Maro popularis tuus:*

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Quo igitur ſtylum vertam? laudem ingenuam indolem? mirer virginem nobiliſſimam in patris Principis fortunata domo, in ſummis deliciis educatam, formæ corporis eximia, ætate integra (a), *protinus ſeculi pompas, & paratas nuptias* (b) *abjeciſſe? Nihil voluntatem patris, nihil fratrum & ſponſi adoleſcentis preces valuiſſe? nihil moviſſe virginis animum nutricis lacrymas, quæ te, ſcio, tanquam mortuam lugent; ut eſt amor hujuſmodi mulierculaꝛum inſanus; omnia pro Chriſti amore calcaſſe, magnas inter opes patris pauperem eſſe, inter lautas epulas jejunare, in magnificis ædibus de monaſterio cogitare, ſpectare in ancillis pretioſiores veſtes, & purpuram quam abjeciſti, & ab eiſdem, ut ſunt nonnullæ procaces, humilitatem habitus tui ſuppreſſo cachinno derideri. Hæc, ut vides, magna Dei dona ſunt, & ornari digna, & rhetorum ampla materia, ſed non ad te ab Eccleſiaſtico homine ſcribenda, ſi modo Eccleſiaſticum nomen meremur, neque enim noſtri propoſiti eſt panegyricon ad te ſcribere. Si quod fortaſſe de te ad alios ſcribemus, faciemus, ut alias virgines excitemus, utque propoſito exemplo tuo multarum luxum & petulantiam retundamus.*

Verum quoniam nec de officiis virginum, deque ipſa virginitate prolixius, nec tibi de te, id eſt de tuis laudibus ſcripturus ſum, reſtat ut, propoſitis difficultatibus atque periculis, doceam te nondum in ſolido fixiſſe pedem, donec procul a monaſterio paterna domo detineris; tamquam ſi per aſpera montium iter ingreſſam coner per plana deducere, unde minus de lapſu formidandum ſit. Quæ quidem magis patri tuo ſcribendæ eſſent, ut tandem exoratus, votis tuis acquieſceret, immo ne Spiritui Sancto adverſaretur. Nam te audio ob id ipſum miro amore flagrare.

(a) Anno circiter duodevigeſimo.
(b) Cum Urbini Principe.

Miror autem, virum ſapientiſſimum, cum tibi reſcindere pactas nuptias, & virginitate frui permiſerit, non videre ſtudiis tuis contrariam eſſe ſæcularis Principis domum, quantumcumque modeſtam. At pater eſt, vult filiam videre, vult alloqui. Sed quis hyeme navigaturus per ſcopulos, per piratas, cum poſſit tuto hoſpitio credere, & nihil in rem ſit ducere filiam, ſecum tullat; ac non malit procul ſecuram abeſſe, quam in periculis cernere; niſi forte animæ pericula levius tremenda quam corporis? Si diligit, cur filiæ profectum moratur? putat ne ſe a filia, aut filiam a ſe plus Deo diligi debere?
Matt. 10. *Proteſtatur Dominus in Evangelio*: Qui amat patrem aut matrem
v. 37. pluſquam me, non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam
ſuper me, non eſt me dignus. *Sed nec putet filiam a ſe plus quam a Deo diligi. Quod ſub prætextu nuptiarum propoſito tuo adverſabatur, ſuberat umbra quædam rationis, ſpes nepotum, amplificatio domus, affinitas illuſtris familiæ, repudianda tamen præ virginitatis bono. Cum hoc autem concesſerit, cur illud neget quod conſequens erat, ut abjuratis nuptiis, pariter ſæculo renuntiares, non intelligo rationem.*

Si Virgines terrenis ſponſis tradendæ, tanta parentum cura a conſpectu virorum arcentur, quanto magis immortale conjugium cum cæleſti Sponſo celebraturæ, a conſpectu ſæculi removendæ. Quid facis
Pſ. XLIV. *in ſæculo virgo Deo devota? Si Sponſa Chriſti es*, obliviſcere po-
v. 11. pulum tuum, & domum patris tui. *Illum ſequere qua facilius*
prehendi poteſt. Natus ad præſepe, raro intrat ſuperba palatia. In
Matt. 11. *anguſta caſa pauper Chriſtus quærendus eſt*. Qui mollibus veſtiun-
v. 8 tur, in domibus regum ſunt. *Abjeciſti mollia, exi Principis domo. Atque non te ad deſerta, non ad locuſtas Joannis voco, ut pilis camelorum veſtiaris, ſed ad monaſterium, ubi ſæculi conſpectum fugias.*

Eris ergo in paterna domo, & nihil tot ſæcularium rerum turba
Prov. VI. *movebere?* Numquid abſcondere poteſt homo ignem in ſinu ſuo, ut
v. 28 veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ut non
Eccleſ. XIII. v. 1. comburantur plantæ ejus? Numquid & qui tetigerit picem, non inqui-
Job. VII. nabitur ab ea? *heu*! militia eſt vita hominis ſuper terram. *Putaſne*
v. 1. *adverſus carnem, indomitum malum, nulla nobis luctatio eſt? Audi*
Rom. VII. *Apoſtolum*. Video, *inquit*, aliam legem in membris meis repu-
v. 23. gnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. *Caſtigabat itaque Vas electionis corpus ſuum in labore, & ærumna, in vigiliis, fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, ne cum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur.*

Scio hoc, inquis, ego quoque, jejunabo: non permittent. Mihi crede, Cæcilia, pallent ora jejuniis, contrahitur cutis, ſiccatur corpus macie, labant infirmi greſſus: hæc in te, non expectabuntur, ſed ſi quo caſu pallidula fueris, continuo ſenatus medicorum citabitur,

cur-

Digitized by Google

curſitabunt ancillæ, blandietur nutrix, lectus molliſſimus ſternetur, tu ſuperimponère, tangent arterias medici, cogitantes quomodo parentibus adſtantibus adulentur. Collocuti quidpiam de latere, converſi demum ad patrem tuum, hæc tibi, virgo, inquient, nimis jejunat, nimis vigilat contra regulas Hippocratis; quare laceſſente ſtomacho in febriculam incidit. Interim longum eſt proſequi quibus deliciis fatigaberis, donec potionis aliquid decreverint. Credemus ergo Chironi aut Melampo, & non credemus Samaritano illi, qui percuſſum a latronibus impoſuit in jumentum ſuum, infundens vulneribus oleum & vinum, ſuadenti tollendam crucem, vigilandum, & orandum, ne ſubintret tentatio: nec Apoſtolo dicenti: Mortificate membra veſtra: Ad Col. III. v. 5.
&, Bonum eſt homini non manducare carnem, & non bibere Ro. XIV. v. 21.
vinum?

Quid faciebas, Hieronyme, in illa vaſta ſolitudine, exuſta ſolis ardoribus cute? cur tibi ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis adduxerat? Cur nuda humo vix oſſa hærentia collidebas? cur aqua frigida utebaris, & coctum aliquid accepiſſe timebas! Mens, inquit, deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & in homine ſicca jam carne præmortuo ſola libidinum incendia bulliebant. Quid ergo patiemur in deliciis, ſi ſancti viri, vitam extrema per omnia ducentes, talia patiuntur?

Vocaberis inſuper ad convivia fratrum, jubentè patre, obſtabit reverentia ne recuſes, vocabuntur & nurus, venies, ſedebis media, cœna dubia ponetur. Miniſtrabunt compti adoleſcentes, ſingula prælibantes. Spectabis te pro ſpeculo in vaſis aureis, videbis intextas choreas parietibus pendentes, canent tibicines. Aderunt vina varia, epulæ lautiſſimæ, quibus gula diverſa nomina impoſuit. Aderunt puellæ miniſtræ, quæ tibi merum miſceant, quia nec meri miſcendi pro arbitrio tuo tibi facultas erit. Quid facies inter hæc? Scio, oculos demiſſa, vix hæc animæ venena contingere audebis, recordata Danielis pueri regias epulas vitantis, & Heliæ aſcendentis in montem, non a lautis conviviis, ſed ab aqua & ſubcinericio pane. Damnas ergo propinquorum convivia, dicet aliquis de clericis fortaſſe illis, quos non pudet murænulam auro coemere, & eſuriente Chriſto in pauperibus ſuis ante clauſas & ſuperbas fores, luxurioſis conviviis cum ſæcularibus certare, in quorum ſi domos introeas, putes bacchanalia celebrari? Reſpondebo: Veſtra convivia ſemper damno, modeſtiora non damno, ſed timeo. Lege quid ſcriptum ſit de ſancto Job. Ibant filii ejus, Job. Cap.
& faciebant convivia per domos unuſquiſque in die ſuo, & mit- I. v. 12.
tentes vocabant tres ſorores ſuas, ut comederent & biberent cum eis: cumque in orbem tranſiſſent dies convivii, mittebat ad eos Job, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis. Dicebat enim, ne forte peccaverint filii mei.

Time-

Timebat igitur prudens pater in conviviis peccata, ſicut alibi ſcri-
Eccl VII. *ptum eſt*: Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum con-
v. 4. vivii. *Neque erant temporibus illis tot inſtrumenta gulæ, tot coquo-*
rum artes: nondum Marcus Apicius, comeſo patrimonio, infame volumen de condiendis cibis ediderat.

Neque hæc dico, quod deſideretur in moribus veſtris modeſtia. Novi parentes, novi fratres, novi inſtituta domeſtica, & familiæ diſciplinam, biennio in domo veſtra eruditus a prima adoleſcentia ſub Victorino præceptore, quo tempore nata es. Sed in domibus Principum magnifici apparatus videntur, non ad luxum, ſed ad ſplendorem, & liberalitatem pertinere. Scio a domo illa abeſſe laſciviam veſtium, cantus & verborum obſcænitatem: ab adoleſcentulis, & puellis domeſticis abeſſe procacitatem, & cultus impudicos, adeſſe verecundiam & honeſtatem; ſcurras, paraſitos, pſaltrias, & hujuſmodi humani generis dedecora apud vos locum non habere; quæ in pleriſque domibus Principum pudet in deliciis haberi, & domeſtica flagitia ad humanitatem referri. Ceterum quoniam & in bene inſtitutis Principum domibus, non indecorum videtur ſaltare ad tibias, choreas ducere, cantare aliquid molliuſcule, hæc quoque in paterna domo ſenties, non dicam videbis. Abſit, ut rear, virginem Deo devotam in tam modeſta domo ad hujuſmodi ſpectanda invitari, quibus non pudet pleroſque mei ordinis intereſſe. De clericis dico. Fuge, virgo Chriſti Cæcilia, fuge, contine oculos, contine aures; fuge, ſi potes, quo neque cantus neque ſymphonia exaudiri poſſint. Sed in tam magna domo vix poteris.

Patieris præterea garrulas anus, cum in multiloquio peccatum non deſit. Patieris nuptarum conſortia, ſpectabis in uxoribus fratrum coronas, aurum, gemmas, & picturatas auri ſubtegmine veſtes. Videbis tumentes uteros. Quidquod & puerperas viſitabis; nolo enim te ab officiis humanitatis abhorrere; atque aliqua ex ancillis nudum & adhuc rubentem infantem bajulans, en tibi nepotulum, inquiet, & gremio fovendum dabit. Hæc, mihi crede, ſtudiis virginum adver-
ſantur, animum turbant. Cor hominis inſtabile eſt, & a duris ad
Gal. V. *mollia facilis reditus*. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Omne
v. 17 quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculo-
Joan I. Cap. II rum, & ſuperbia vitæ.
v. 16. *Quod hodie te non flexit, cras movebit. Vertuntur montes, ſtellæ cadunt de cœlo. Aqua rerum molliſſima in longo temporis ſpatio ſaxa pertundit; & tot tentamenta cor virginis non movebunt? Putas diabolum, qui ſolet montes vertere, & ſtellas de cœlo trahere, id eſt ſanctos viros in peccati ruinam ducere, non carminibus, de quibus dixit Poeta*:

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam:

ſed

Digitized by Google

ſed occultis tentationibus: qui ſtupra & adulteria perſuadere, de unius puellæ, donec in ſæculo fueris, matrimonio non ſperare? Heu! quos victor triumphos duceret ad inferos, ſi ſponſam Chriſto præripere poſſet, & mortali conjugio ſociare? quod Deus avertat.

Nam licet in monaſterio virginitatem profitendo non te dicaveris, ſcias tamen apud cæleſtem Sponſum, qui videt in occulto cordis, ratum mentis tuæ votum & propoſitum manere. Unde enim tibi tanta conſtantia contra voluntatem patris, niſi virginitatis votum animo non leviter concepiſſes? quam conſtantiam pater tuus cæleſtis ſuggerebat adverſus patrem carnis tuæ, cujus animum flexit in partem præcipuam votorum tuorum, ut quod reſtat ab eo crebris orationibus flagitares. Scriptum eſt quippe: Cor regis in manu Dei. *Miſiſti manum* *Prov XXI. v. 1.* *ad aratrum, ne retroſpexeris. Memento uxoris Loth, quæ cum virum ſequens, caſus omnes evaſiſſet, immemor, & animo victa, non potuit oculos ab ardenti Sodoma continere, magnum documentum poſteris præbitura. Fugiſti e mediis nuptiis, quaſi ex incendio in montem virginitatis, ne reſpexeris ſæculum.*

Quot credis ſanctas virgines tuo te exemplo excitaſſe? quot monaſteria a Domino votis aſſiduis petere? felices vocant, quas tuo conſortio Dominus dignabitur. Quod ſi de nuptiis audirent: primo non crederent, deinde converſæ in lacrymas, quibus te lamentis deplorarent? dicerent ſæculi homines, te non nuptias olim, ſed ſponſum repudiaſſe.

Eja igitur, Chriſti tyruncula, roga Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ut mentem patris tui flectat; qui orante olim Cæcilia virgine & martyre ſua, quam tu nomine & virginitatis titulo reddis, ſponſum ardentem in concupiſcentiam carnis ejus, a nuptiis ad baptiſmi gratiam & martyrium revocavit. Implora auxilium clementiſſimæ matris Dei ſemper Virginis Mariæ, nullis libentius precibus annuentis, quam his quæ teneræ virginitati præſidium implorant. Et genubus patris tui advoluta, loquere confidenter: rogo te, pater, per ſiqua eſt tibi cura meæ ſalutis, per ſpem melioris vitæ, per caritatem qua dilexit nos Deus, mittens Filium ſuum in redemtionem animarum, ne tamdiu filiam tuam inter ſirenas ſæculi periclitari velis. Cur igitur his oculis, quibus Chriſtum videre deſidero, tot ſæcularis vitæ blandimenta conſpicio? Si, te e rebus humanis ſublato, monaſterium petitura ſum, cur non potius incolumi & volente peto? ſi me mortali conjugio longa trans maria deſpondiſſes, mitteres profecto in remotas terras filiam numquam viſurus. Nunc quia ad cæleſtem ſponſum feſtino, piget muro tantum & parietibus ſeparari. Una in urbe, ſi ita vis, erimus, iiſdem mœnibus claudemur. Habes hujus vitæ ſolatia, conjugem, filios, nurus, nepotes. Aliam ſororem meam ſæculo tradidiſti; ex qua, quoniam vita ceſſit, reſtat tibi dulcis nepotulus. Inter tot

cara

cara pignora quid una deſideror? quid invita detineor? cur mihi cellula, & humilis familiæ Chriſti pauper menſa invidetur? Sine illuc proficiſcar, unde facilius preces filiæ tuæ pro te jugiter oraturæ, aures divinæ majeſtatis attingant. Ceterum, ſi me audies, dotem pactam terrenis nuptiis Chriſto reddens; in cœleſtes theſauros recondens, pauperibus erogabo.

His & hujuſmodi rationibus, ſpero patrem tuum [neque enim ferreus eſt] flecti poſſe. Adhibe precibus tuis ſociam genitricem tuam, adhibe & Victorinum, & has litterulas meas, ſiquid momenti habituras exiſtimaveris. Quod ſi flecti non poſſit, maneam? an abeam clam patre; quia Mantuæ, ipſo nolente, in monaſterium admitti nequeo? Scio propter Deum, parentes, patriam & omnia relinquenda, & quoquo modo ad vexillum crucis fugiendum, vel calcato patre, nedum clam & ignorante, ſi neceſſe ſit. Sed quod incunctanter ſuaderem robuſtiori ætati, & virili ſexui, non audeo puellæ virgini ſuadere. Parco ætati, parco pudori, parco ſexui. Malo te in paterna domo manere, ne quid ſiniſtri rumoris de ſponſa Chriſti oriatur, neve exemplo tuo prætextu religionis diſcant puellæ fugam meditari. Mane potius in domo patris, ſed quantum fieri poteſt, tamquam in monaſterio. Matrem tuam venerare velut præſidem monaſterii; ſi quid mollius indulſerit materno affectu, humiliter reddita ratione declina. Menſa ſua corpuſculum refice quantum valetudini ſat eſt, tantum etiam ſomno tribue. Cum matre divinis aſſiſte, numquam ſine ea eccleſias aut monaſteria viſe. Ne tibi elegeris ſacerdotem confeſſiones cauſa, eum mater eligat. Comites quoque habeas quas ipſa decreverit. Multa mihi monendi curam demit religioſiſſimæ feminæ ſpectata prudentia. Frequenter ora, aſſidua lectione animum paſce.

Cave ne quid acu pingas in uſum rerum ſæcularium: quin malo te uberius quam tenui ſubtegmine nere (a), quod mox arguto pectine procures, ut ſemper occupata ſis. Nolo enim te Lydem imitari aut pleraſque virgines ſæculi, quæ niſi ſericum & purpuram & aurum textile vix primoribus digitis attrectare dignantur. Cave ne obtentu nobilitatis, aut virginitatis, aut peritiæ litterarum, quod poſtremum in puella noſtri temporis pro miraculo habetur, quempiam his dotibus carentem præ te contemnas. Nobilior habeatur quæ magis proficit in lucta ſpirituali, quæ oculis Dei placens, ſibi contemptibilis videatur, Cum talibus humilitate certa. Imperfectiores a te humilitatem diſcant. Nulla ad conſpectum tuum a ceruſſa aut a ſpeculo veniat: cultus in moribus habeatur. Nulla ingenium tuum coram te laudet, & multo minus corporis venuſtatem: nulla te illuſtrem, nulla te dominam vocet,

(a) Codices editi: *tenus*, *tenues*: utrumque, ni fallimur, præpoſtere.

cet, & genu nixa veneretur: nulla inter vos de nuptiis mentio; noverint aliæ quæ nubant, quæ uterum ferant, quibus infantes in cunis vagiant, de quibus ſcribit Apoſtolus: Otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum autem otioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ, loquentes quod non oportet. I. Tim. Cap. V. v. 13.

Sit ſermo veſter gravis & modeſtus, de miſerationibus Dei, de Sanctorum gloria, de ſacris Virginibus, de conſtantia Martyrum, de Fide, Spe & Caritate, ceteriſque virtutibus: denique quid ſequi aut vitare beas, pulcberrimæ te Sanctorum Opuſcula edocebunt, præcipue Hieronymi, ad quorum te mittimus lectionem. Nobis quæ tibi in paterna domo ſervanda ſint ſummatim ſcripſiſſe ſufficiat. Cum vero ad monaſterium veneris, quod materno conſilio eligere debes, ut, Deo propitio, propediem futurum reor, te ſacris diſciplinis imbuendam veteranis virginibus relinquo. Ne expectes, ut interim tibi formulam regularis vitæ depingam, quam ab eiſdem accipies, & legendo poteris per te ipſa, & proficiendo, rectius intelligere. Quanto autem tutius ſit in bene inſtitutis monaſteriis, quam in ſæculo degere, potes ex ſupradictorum comparatione intelligere.

Ceterum de commodis vitæ regularis multi ſcripſerunt, & ego ipſe in ſupra memorata epiſtola ad novitium Carthuſianum. O ſi poſſem te, veluti ex Ægypto fugientem, per ſtagna noſtra, tamquam per mare rubrum devehere ad monaſterium Sancti Andreæ, quod Venetiis jam octuageſimo (a) *anno ſub Auguſtini Regula omnium religioſiſſimum habetur, non timerem perſequentem Pharaonem mergendum cum exercitu ſuo! Bone Jeſu! quales ibi palmites germinant de vinea Domini, quam fertilis gleba Paradiſo fructificat? quæ ibi Angelorum cuſtodia? quæ conſolatio Spiritus Sancti? qui animorum in Deum, & qui crebri raptus? quæ lacrymæ? quæ gaudia?*

Poſſum hic gentilis meæ Beriolæ (b) *memoriam litteris conſecrare, ut ab unius ſanctitate ceteras diſcas. Hæc ex familia noſtra oriunda, inter primas fuit venerabilium Chriſti ancillarum, quæ ipſo in loco, ubi nunc monaſterium eſt, antequam regularem vitam profiterentur, coactis patrimoniis hoſpitalitatem exercebant in pauperculas mulieres, in operibus bonis teſtimonium habentes, juxta edictum Apoſtoli: has alebant ut matres, ut ſorores. Eleemoſynas inſuper ab honeſtis domibus petebant.*

Beriola ergo cum ab hujuſmodi officio rediret, conſtitit e regione, hoſpitiolum petens, quæritans ſtagnum tranſvehi, ut ſolebat. Remi-

(a) Recte *nonageſimo anno* eſt apud Contarenum loc. cit. Tom. I. Anecdot. Venetor. pag. 41.
(b) Celebre apud Corarias Matronas nomen.

gem nullum cum cymba videt, & maturato opus erat. Rejecto itaque ex humeris palliolo, & in morem retiaculi ſuper aquas expanſo, poſt ſignum crucis ſecura conſcendit, & ſic remigio fidei in alteram ripam
Pſal.117. *trajecit. Quid mrum?* Dextera Domini fecit virtutem. *Nihil dubi-*
16. *tavit fidelis femina. Sciebat enim Petrum, cum dubitaſſet, cœpiſſe mergi, & a Domino ſuper aquas ambulante reprehenſum.*

Reſtat ut tibi ſæcularium litterarum lectionem penitus interdicam, maxime poetarum. Quomodo enim ſæculo renuntiaſſe crediderim, ſi quæ ſunt ſæculi, amas? Quid refert qua ex parte ſæculum diligas? diligis certe ſæculum, ſi ſæculi litteras amas. Danda venia ſæcularibus, ut, rejectis tantum obſcœnis ſcriptoribus, cætera diſcant. Sponſa Chriſti nihil aliud legat quam ſacra Volumina, & Scriptores Eccleſiaſticos. Proinde illum tuum dilectum Maronem, vel cum Victorini pace, dimitte. Sume pro eo pſalterium, pro Cicerone Evangelium. Crede mihi, expertus dico, ſæculares litteræ ni aliud noceant, animum a divina lectione ſubducunt.

Habes in Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſi etiam illud requiris, ſummam eloquentiam. Revolve libros Lactantii, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Leonis, Caſſiani, Sulpicii, Bernardi, Salviani quoque, cujus libros de Providentia Dei e Concilio Baſileenſi rediens, de Germanorum ergaſtulis in Italiam deportavi. Nonne in his tanta eloquentia, ut ne hujus quoque rei delectatio, ſive mutatio ab ethnicis petenda ſit? Hos igitur lege, & quæ a græcis Doctoribus traducta ſunt, Euſebio, Baſilio, Chryſoſtomo, Athanaſio, & Joanne, cui Climaci nomen inditum, Syrum quoque Ephrem memorare poſſem, & plures præterea, ſi tibi catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum ſcribere inſtituiſſem.

Quid ergo aliena quæri mus in tanta noſtrorum, id eſt Chriſtianorum copia? Aliena quoque exiſtimare debes nænias quaſdam & deliramenta ſomniantium, ſicut libellum illum neſcio cujus mulierculæ, qui Speculum animarum ſimplicium *inſcribitur. Quibus repudiatis, nil niſi a doctis uſitatum & probatum leges. Habes Sanctorum ſcripta, quibus te oblectes, quibus animum paſcas. Hæc legito. Horum inſuper flores ne pigeat carpere, & pro ædificatione ſimplicium virginum in maternum ſermonem vertere.*

Sed cum optimos quoſque tibi legendos cenſeam, Auguſtini libros familiarius ediſcas velim. Tanta quippe divini hominis orationis ſuavitas, tanta gratia in ediſſerendis Scripturis, tantum acumen in tractandis rebus divinis, tanta undecumque eruditio, tanta ingenii vis, ut miris modis in eo legendo proficere poſſis. Nunc ejus oratio animum tuum ita in cæleſtia eriget, ut oblitus mortalis ſarcinæ, totus in Deum rapiatur. Nunc cor tuum in dulciſſimos lacrymarum fontes lique-

liqueſaciet: nunc amaras pœnitentiæ lacrymas exprimet, nunc cœlum ſperare perſuadebit, nunc gehennam timere coget, nunc delectabit, nunc omnimoda doctrina erudiet. Tot ab eo edita ad ædificationem filiorum Eccleſiæ, tot adverſus hæreticos diſputata, tot ex canonicis libris expoſita; ut ſtudioſus lector vix ea omnia percurrere legendo poſſit.

Ceterum quoniam audivi te verſum non ineleganter facere, hoc quoque ſtudium ad religionem & pietatem convertas moneo. Tibi dulce ſit, ſpretis canticis ſæculi, cum pueris Hebræorum cantare Hoſanna; & nunc diverſorium Mariæ, & Bethlehemica rura curarum Domini conſcia, nunc Jordanis fluenta & aquas, ſuper quas ſiccis pedibus Dominus ambulavit, nunc montem Oliveti & Calvariæ locum, & Crucis trophæum, nunc ipſum Dominum portas mortis & vectes inferi confringentem, conſurgentem a mortuis, aſcendentem in cælum, coactis in numerum verbis celebrare, nunc victorias martyrum dicere, nunc virginum coronas. Habes exempla noſtrorum, qui res eccleſiaſticas & ipſa evangelia carminibus cecinerunt. Damaſus Romanus Pontifex, teſte Hieronymo, ſtudio verſuum delectatus eſt, & plerique Græcorum. Noſter Ambroſius dulciſſimos hymnos edidit. Abs re quoque metrica non abhorruiſſe Hilarium argumento ſunt verſiculi, quos filiæ deſtinavit.

Nollem tamen te hac occaſione poetas legere, & Probam ingenioſam feminam imitari velle. Sed ſi quid ſcribendi in mentem venerit eorum quæ didiciſti, & quæ tenera ætas, hujuſmodi rebus imbuta, haud facile oblivıſci poteſt, non abnuo quin ultro venientem verſum ad rem eccleſiaſticam transferas, ſicut eleganter quidam e noſtris: Chriſte graves hominum ſemper miſerate labores: *verſum Virgilii recognoſcas,* Phœbe *tamen &* Trojæ *duobus nominibus immutatis. Et ego ipſe:* Gentis humanæ Pater & Redemtor, *ſumſi ex carmine Horatii paulum immutato, ut Chriſtum ſignificantius denotarem.*

Atque utinam hoc exemplo cetera feciſſem; ſed me in adoleſcentia ſecularibus ſtudiis florentem ingens & inſanus poetarum amor invaſerat. Nullum diem poteram ſine Virgilio ducere. Verſus quotidie plurimos ad ejus exemplar fingebam. Tenebat ſpes Victorinum quaſi alter Maro futurus eſſem. Erat per ea tempora miræ indolis puer Ludovicus Feltrenſis, quem Victorinus pro filio educaverat, qui mecum eodem ſtudio flagrabat. Hunc ego puerum pro amore diligebam, malebam tamen eum ceteris ſtudiis excellere; verſum ſibi invidebam: nam ut ego plurima invenire facilius poteram, ita ille pauca difficulter inventa elegantius dicere. Itaque cum me charactere illo ſuperatum viderem, nec faterer tamen, & ſecundum locum pro typho ſuperbiæ pati non poſſem, cœpi ſtylum ad alia poetandi genera convertere.

Scripſi Prognem tragœdiam anno ætatis meæ decimooctavo; quam poſtquam edidi, nihil non ſperavit de me Victorinus. Cadebant legenti ubertim lacrymæ. Scripſi etiam, dum adhuc Mantuæ eſſem, ſtylo ſatyrico libellum de educandis & erudiendis liberis; deinde diverſis in locis distractus, ſatyras ſex, & carmen lyricum ad Martinum Papam Quintum, quo ſuadente, clericalem vitam agere inſtitui: poſtea vero ad eccleſiaſtica converſus, multa legi, pauca ſcribere potui. Ita demum a Romanæ Curiæ fluctibus quartumdecimum poſt annum rediens, collectis ingenii viribus, tamquam naufragis mercibus, pergam lucrum exequi cum fœnore, & damna retroacti temporis reparare.

Quorſum hæc tam multa de me, ut intelligas me per ſpinas & tribulos ſæcularium litterarum, quos tibi tanta cura diſſuadeo, tranſiſſe. Unde vix diſciſſa tunica, & vulneribus plenus evadens, ad divinæ lectionis medicamenta confugio.

Tu quoque, virgo Chriſti Cæcilia, quære Dominum per prata Scri-
Cant. II. v. 1. *pturarum. Dicit enim:* Ego flos campi, & lilium convallium.
Leva oculos tuos in montes, unde veniat auxilium tibi. Non tibi
exanimatus in ſepulchro quærendus eſt: aſcendit in cælum, ſedet ad
dexteram Dei Patris. Ibi quærendus, ibi quantum potes, mente habita:
Matt. VI. v. 21. Ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum, *donec peracto vitæ hujus*
curriculo, te in cæleſtem patriam lætus accipiat, ſicut dixit: Ubi ego
Jo. XII. v. 26. ſum, illic & miniſter meus erit. *Si miniſter, quanto magis ſpon-*
ſa? Ipſum ergo dilige ex toto corde tuo, & ex tota anima tua ip-
ſum exopta, in ipſo quieſce. De lege ejus meditare die ac nocte,
quære faciem ejus ſemper: denique ſancta corpore & ſpiritu, ad eum
venire ſtude; ut ſponſam ſuam cum veſte nuptiali recognoſcens, cæ-
leſti menſæ diſcumbere faciat, cum ſanctarum virginum choris, quæ
Agnum immaculatum merito virginitatis conſequi familiarius meru-
erunt.

Hæc habui, optimà Virgo, quæ tibi de inopia ſtudiorum meorum primus offerrem. Erunt alii, quorum ingenia theſauris Eccleſiæ cudunt, qui meo forſan exemplo nomen tuum celebrent, & uberiori copia ad te ſcribant, quaſi ad alteram noſtri temporis Demetriadem. Vale in Domino, & ſiquid in his litteris placet, orationibus rependæ. Florentiæ nonis Auguſti.

IV.

ANGELUS BARBADICUS *Anno* MCCCCVII.

ANGELUS BARBADICUS Joannis filius, primus (ut fertur) qui Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptus, ampliſſimos in ſuam gentem intu-

lerit

lerit ſacri honoris gradus (a), etſi ad Epiſcopatus Cretenſem & Caſtellanum, atque Gradenſem Patriarchatum eligi contenderit, numquam tamen voti compos factus (b), Eccleſiæ Chiſſamenſis in inſula Creta Infulis admotus fuit, plane ante annum 1387.; nam die 26. Martii ejuſdem anni inter eos qui *ad probam* Archiepiſcopatus Cretenſis ſcripti fuerunt, eſt *Angelus Barbadicus filius Joannis Barbadico, Epiſcopus Chiſſamenſis* (c). Bonifacius VIII. pluris eum cum feciſſet, *Delegatum* Apoſtolicum elegit ad componendas exortas inter Canonicos Seculares S. Georgii in Alga Venetiarum controverſias (d). Deductus deinceps fuit ad Epiſcopatum Veronenſem, poſtulante Veneto Senatu, ut fidem faciunt Epiſtolæ Michaelis Steni Venetiarum Principis nomine datæ Antonio de Luſcis apud Pontificem Oratori, quæ ſic ſe habent: (e) *Quia pro conſervatione Status noſtri in Civitate Veronæ opus eſt, quod Epiſcopatui prædicto præſit perſona ſapientiſſima & nobis fidiſſima, ut eſt R. P. D. Angelus Barbadico Epiſcopus Chiſſamenſis, nobilis Civis noſter, Prælatus utique ſcientificus, licentiatus in Jure Canonico, moribus honeſtus, conſpicuus, approbatæ conſcientiæ, & ſanctæ vitæ claritate decorus &c.* Sacra deinceps purpura ornatus, multorum elogiis celebratus fuit, & *ob eminentiam eruditionis* inter Cardinales recenſitus doctrina præſtantes (f). Eccleſia Veronenſi duobus annis ſancte adminiſtrata, Romam contendit, ut Pontifici Gregorio XII. avunculo ſuo difficillimis temporibus adeſſet.

V.

GABRIEL CONDULMERIUS *Anno* MCCCCVI.

Pontifex deinde Maximus appellatus

EUGENIUS IV.

VI.

(a) Numiſmata Barbadicæ gentis N. XIII. Patavii regiis plane ſumtibus edita 1732.

(b) Ex laudato Flaminio Cornelio Cretæ Sacræ Tom. II. pag. 162

(c) Apud Cornelium Eccleſiarum Venetarum Tom. XIV. pag. 464. Eam Eccleſiam Lequiennius Tom. III. Orient. Chriſt. pag. 930. vocat Ciſſamiæ, vel Ciſami, aut Cyſami, nunquam tamen Chimenſem, uti apud Ughellum Tom. V. in Epiſcopis Veronenſibus pag. 93.

(d) Apud Cornelium Eccleſiarum Venetarum Tom. VI. pag. 80.

(e) Apud Ughellum loco cit.

(f) Apud Eggers Lib. II. Supplementi Purpuræ doctæ pag. 162.

Digitized by Google

V I.

Petrus Maurocenus *Anno* MCCCCXXIV.

Petrus Maurocenus gentilis illius, quem Joannes XXII. ob inſignem prudentiæ gloriam anno 1332. Patriarchatui Conſtantinopolitano præfecerat (a), inter Cardinales litteris celebriores recenſetur (b) ab Oldovino & Eggers (c). In Athenæo Patavino Jus Canonicum interpretatus eſt, primuſque fuit ex Venetis, qui eam ſpartam illuſtrarunt, ut recte conjectatur Clariſſimus Fuſcarenus, a quo ſingulari hac inſtruimur notitia. Fertur inſuper auctor Tractatus de Schiſmate, quem in lucem emittere olim cogitabat Academia Veneta (d). Inſcriptionis veteris, pag. 27. hujus Operis relatæ, laciniam, recenter datam in citata Venetarum Inſcriptionum Collectione (e), ſubnectimus:

PETRO MAUROCENO S R E. DIACONO CARDINALI
UNI EX PATRIBUS CONCILII CONSTANTIENSIS
JURIS DIVINI CONSULTISSIMO
QUI
EX LEGATIONE NEAPOLITANA IN URBEM REDUX DIEM OBIIT
GENTILI SUO
JOANNES FRANCISCUS MAUROCENUS
REIPUBLICÆ VENETÆ ORATOR AD CLEMENTEM XI. P. M.
AN. SAL. MDCCIV.

V I I.

Franciscus Landus *Anno* MCCCCXXVII.

Ad Cardinalem Franciscum Landum quod ſpectat, id unum addendum mihi eſt, ſcilicet, inſcriptionem tumulo appoſitam, leviter immutatam referri in citata Venetarum Inſcriptionum Collectione (f), eamque extare in Domo Canonicorum S. Mariæ Majoris parieti adfixam cum imagine jacente, opere anaglyptico elaboratam.

VIII.

(a) Cornelius de Eccleſiis Venetis Tom. X. P. II. pag. 65. Sunt qui hunc Patriarcham inter Cardinalium numerum referunt: at *Cardinale* vocatum fuiſſe nomine non dignitate eſt animadverſum a Raynaldo in Annalibus ad annum 1335. n. 63., quem ſequitur Lequiennius loc. cit. p. 812., ipſomet haud refragrante Cornelio.

(b) In Athenæo pag. 552.

(c) Purpuræ doctæ Tom. II. pag. 512.

(d) Fuſcarenus *Della Letteratura Veneziana* pag. 45.

(e) Pag. IX

(f) Pag. VIII.

VIII.

Petrus Barbus *Anno* MCCCCXL.
Pontifex deinde Summus appellatus
PAULLUS II.

IX.

Franciscus Condulmerius *Anno* MCCCCLIII.

Franciscus Condulmerius Eugenii IV. ex fratre nepos, in Cardinalium Cœtum juvenis a patruo relatus, præfuerat claſſi, quam in Turcas Pontifex, collatis cum Veneto Senatu viribus, anno 1445. paraverat. Inertiæ ejus vitio a Panvinio tribuitur clades, quam maximam Chriſtianis intulere Turcæ. Cum Panvinius rei hujus teſtem det Pium (a), inferimus, eum Scriptorem præ oculis habuiſſe Opuſculum : *De nonnullis Viris Claris*, quod Æneas Piccolomineus Maximus deinde Pontifex, Pius II. appellatus, conſcripſerat, cujus Opuſculi editionem gratam referre debemus Dominico Mantio Congregationis Matris Dei, optime de republica literaria merito. Exemplari tamen diſſimili uterque uſus dicendus eſt; proptereaquod textu Mantiano omni ejus cladis culpa liberatur Condulmerius; ſic enim ſe habet: *Cum Ungari inſtante Juliano, Teucros qui in Græcia morabantur, aggredi vellent, magnumque confeciſſent exercitum, is cum claſſe in Helleſpontum miſſus eſt, prohibiturus, ne Teucer magnus Omerat ex Aſia poſſet in Europam transfretare. Omerat autem ſuis laturus opem, una cum magno exercitu trajecit, ſive quod in alio loco, improviſo Legato, tranſivit, ſive quod magnas gentes parva claſſis impedire non potuit. Is adhuc ex Græcia non rediit* (b). Conſtantinopolim deinde profectus, teſte S. Antonino (c), Theologicis concertationibus interfuit inter Marcum Epheſium & Bartholomæum de Florentia Epiſcopum non quidem Cortonenſem, ut nonnullis viſum fuit, ſed Coronenſem, qui in Legati comitatu erat. Paullo poſt Romæ obiit die 30. Octobris anno 1454. circiter horam ſecundam noctis (d).

X.

(a) Hujus Operis pag. 31.
(b) Tomo II. Orationum Æneæ Silvii pag. 145. Lucæ 1757.
(c) Parte I. Hiſtor. Tit. XXII. Cap. XI.
(d) Ex Diariis Conſiſtorialibus apud Dominicum Georgium in Vita Nicolai V. pag. 144.

Digitized by Google

X.

Marcus Barbus *Anno* MCCCCLXVII.

Marcus Barbus filius Paulli viri in Republica celebris, & Vintimiliæ *dalla Vedova* mulieris minime patritio, ingenuo tamen inter Venetos ſanguine ortæ, quantum morum integritate, rerum agendarum dexteritate, ſcientiarum cognitione, linguarumque latinæ & græcæ peritia valuerit, ſatis eſt ſuo loco (a) a Quirino oſtenſum; unde Oldovino (b) & Eggers (c) æqua fuit cauſſa ejus laudandi. Hic a Quirino pag. 31. dicitur Paulli II. patruelis, ſcilicet ex patre nepos, uti ſe ipſe Quirinus explicat in Annotationibus pag. 57. Reipſa Marcus Barbus Paulli Pontificis ex fratre fuit nepos, utpote qui filius Paulli germani fratris Paulli Pontificis (d). Romæ dum verſaretur, ad Venetas Patriarchales Inſulas Patrum ſuffragiis vocatus, muneri renuntiavit, ne a Patrui latere evelleretur, ſpe fortaſſe ſplendidioris fortunæ allectus (e). Patriam tamen juvare non prætermiſit; namque præter alia, Jacobo Piceno (inter Sanctorum cœtum deinceps relato) qui dicitur Jacobus de Marchia, auctor fuit, interpoſita etiam Patrui Pontificis auctoritate, ne diſcederet Venetiis, ubi infinita prope populi frequentia ſacris concionibus totus incumbebat (f). Ob inſigne ſcientiarum integerrimique judicii nomen a Platina & Roderico Calagoritano Epiſcopo electus fuit arbiter doctæ concertationis, eos inter exortæ, quam editis quiſque doctiſſimis elucubrationibus tueri ſatagebat, utrum ſcilicet bello præſtaret Chriſtianæ Reipublicæ pax Pii II. ſtudiis per eos dies inter Principes inita (g). Tanto viro poſt obitum plurima fuere in Urbe dicata monumenta, quæ in citata referuntur Venetarum Inſcriptionum Collectione (h).

XI.

(a) Hoc loci pag. 66. &c.
(b) Athenæi Romani 480.
(c) Purpuræ doctæ Tom. II. pag. 192.
(d) Ex Marco Barbaro *Alberi Genealogici* &c.
(e) Cornelius Eccleſiarum Venetarum Tom. XIII. pag. 150.
(f) Cornelius Lib. cit. Tomo. VIII. pag. 45. Animadvertendum in Indice Generali Operis citati loco *Jacobi Piceni*, ſive de Marchia, editum fuiſſe *Joannis de Capiſtrano*, aliquo plane Amanuenſis errore.
(g) Rem habes narratam apud de Agoſtinis *Degli Scrittori Veneziani* T. I. pag. 431.
(h) Pag. XI. XII. XXX. & XXXVII.

Digitized by Google

X I.

BAPTISTA ZENUS *Anno* MCCCCLXVIII.

Patritiæ gentis ZENIANÆ decus illuſtre fuit JOANNES BAPTISTA, vir in primis bonus & prudens, dives & doctus, iccirco ad Cardinalitiam dignitatem evectus, plurimis Sacerdotiis auctus; eximie a ſui ſeculi Scriptoribus commendatus, atque inter Cardinales literis celebres relatus (a). Locupletiſſimam librorum latinorum & græcorum Bibliothecam ſibi inſtruxerat (b). Varias expertus eſt erga Patriam viciſſitudines, quarum Flaminius meminit Cornelius (c). Funus plane ſplendidiſſimum latina Oratione ab Angelo Gabrielio aurei ſeculi viro Patritioque Veneto ornatum fuit (d). Ejus memoria in cryptis Vaticanis cuſtoditur arca marmorea, inſcriptione hac ſignata (e):

BAPTISTA ZENUS
VENETUS CAR
DINALIS S. MARI
AE IN PORTICU
MCCCCLXXXIIII.

X I I.

JOANNES MICHAELIUS *Anno* MCCCCLXVIII.

JOANNEM MICHAELIUM Cardinalem ad Patavinæ Eccleſiæ clavum tribus fere annis ſediſſe, ſcilicet ab anno 1485. ad annum 1488., eſt apud Ughellum in Patavinis Epiſcopis (f), Ciacconium

 alioſ-

(a) Eggers loc. cit. Tom. II. pag. 195.

(b) *Non requirentur poſtremo ornamenta noſtræ Reipublicæ Venetæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ validiſſimæ columnæ . . . Joannes Baptiſtæ Zeni, Dominici Grimani Cardinea dignitate præditi, quorum doctrinam & ſapientiam præter multa alia teſtantur tam ornatiſſimæ, quam locupletiſſimæ librorum græcorum & latinorum Bibliothecæ ad eorum memoriam perpetuam poſteris relictæ &c.*, verba ſunt Franciſci Piſani Patritii Veneti in Oratione de univerſæ Philoſophiæ ornamentis, edita ad calcem Auguſtini Valerii *De Cautione adhibenda in edendis libris* pag. 266.

(c) Loc. cit.

(d) Hunc præſefert titulum: *Angeli Gabrielis Silveſtri filii, patritii Veneti, in funere Reverendiſſimi Cardinalis Baptiſtæ Zeni, Pauli II. Pontificis Maximi ſororis filii, qui obiit Patavii* VIII. *Idus Majas Anno a partu Virginis* MDI. Angelus Gabrielius ipſe eſt quem ſæpius in Epiſtolis familiaribus laudat Petrus Cardinalis Bembus, cujus erat affinis. Eam autem Orationem edidit Vulpius in laudato Valerii volumine.

(e) Cit. Collectionis pag XI.

(f) Tom. V. Ital. Sacr. Ughelli pag. 457.

alioſque. Verum illam Eccleſiam numquam ab eo adminiſtratam fuiſſe, probat (ut ego exiſtimo) coævum Chriſtophori Marcelli Patavini Canonici teſtimonium. Hic in Oratione, quam in Petri Baroccii Patavini Epiſcopi funere habuit (a), cum retuliſſet illum, defuncto Patavino Præſule, illis Infulis ſuffectum fuiſſe a Senatu Veneto, hæc habet: „ Quod onus Petrus noſter non ambitioſæ digni„ tatis, & virtutis ſemper inimicæ, querulus, tamquam magnanimus „ heros, ſubeundum proculdubio renuit . . . namque cum Inno„ centius VIII. P. M. Joannem illum Michaelem Reverendiſſimum „ Cardinalem eidem muneri præficiendum inſtituiſſet, nondum il„ lius inſtitutione percepta, ſi quod jus . . . . hac Senatus ele„ ctione obtinuiſſet, totum illud quam libentiſſime ceſſit, cum „ neque magis aliud affectaret, ut beatiſſime viveret. At Ponti„ fex Summus cum tam ingentem animi magnitudinem & libe„ ralitatem inſpiceret, Veneto ſemper annuente Senatu, humani„ tate devictus, invitum illum tantæ Urbis meritiſſimum Paſto„ rem inſtituit „ (b). Quo teſtimonio omnium probatiſſimo patet clariſſime, minime poſt mortem Cardinalis Michaelii, ut eſt apud Scriptores omnes, ſed defuncto Petro Fuſcaro anno 1485. neglecta de Michaelio eligendo mente, Petrum Baroccium, ut Veneto Senatui gratificaretur, Eccleſiæ Patavinæ ab eodem Pontifice Innocentio VIII. præfectum fuiſſe. Noſtra hæc ſententia confirmari poſſet inſcriptionibus Michaelio poſitis, relatiſque in ipſo Ciacconiano Opere, atque in ſæpe a nobis citata Collectione, in quibus Patavinæ Infulæ mentio deſideratur. Verum argumento hoc, utpote negante, uti nolumus. Poſtremo adnotare non omittimus, Michaelium hunc ob ingenii præſtantiam litterarumque culturam locum obtinuiſſe inter Cardinales litteris celebriores (c).

XIII.

(a) Obiit Baroccius Pontifex Patavinus Anno MDVII. Oratio funebris extat ad calcem cit. Operis Valerii pag. 105.

(b) Petrus Baroccius affinis erat Cardinalis Joannis Michaelii, cui plurimum ſe obſtrictum profitetur in Epiſtola Conſolatoria ad Petrum Cardinalem Fuſcarum Epiſcopum Patavinum, quam ſcripſerat Baroccius, dum Bellunenſem Eccleſiam moderabatur: *Memini*, ſunt hæc ejus verba p. 202. T. I. Anecdotor. Venet. Contareni, *quo primo die Turcarum in Italiam tranſitus Romæ nuntiatus eſt, me inter equitandum (nam a Pontifice accerſiti eramus) a Joanne S. Marcelli Presbytero Cardinali, cui partim ob conſanguinitatem, partim ob ſumma in me domumque meam beneficia plurimum debeo, interrogatum* &c. Præterea & duos Conſolatorios ſcripſit Libros ad eundem Cardinalem in morte Victoris Michaelii patruelis, de quibus videndus laudatus Contarenus p. 195.

(c) Eggers loc. cit. pag. 199.

XIII.

Petrus Fuscarus *Anno* MCCCCLXXV.

Ad Cardinalatus dignitatem perveniſſe Petrum Fuscarum Patritium Venetum, Patavinumque Præſulem ſive Veneti Senatus, ſive trium Cardinalium Venetorum Romæ tum commorantium, Barbi nimirum, Michaelii & Zeni officiis, putat Hiſtoriæ Scriptorum Venetorum Auctor (a). Cui tamen dignitati ejuſdem virtutem parem fuiſſe fidem facit caſtigatiſſimus Scriptor Petrus Delphinus in ſua Epiſtola ipſum Fuſcarum ita alloquens: „ Congra„ tulor itaque tibi, Reverendiſſime Domine, non ſolum quod ad „ S. R. E. cardinem translatus es, verum etiam multo magis, quod „ id tuo merito, ſolaque virtutis exiſtimatione fueris conſecutus. „ Pluris enim faciendum duco, quod in hunc ordinem aſſumi om„ nium judicio antea promerueris, quam quod modo fama tui no„ minis, ac odore probitatis tuæ adeptus es. Nihil enim tibi in„ de acceſſit, qui ſingulari virtutum ſplendore fulgebas, niſi quod „ quo major tibi delata eſt poteſtas, eo ſane magis poteris prodeſſe „ quamplurimis. Nemo enim eſt qui modo te noverit, qui non „ certiſſima ſibi ſpe polliceatur, futurum te firmiſſimum totius „ labentis Eccleſiæ fulcrum, columnamque validiſſimam (b). „ Data eſt hæc epiſtola Venetiis XXII. Junii anno MCCCCLXXV. Ex qua corrigendi Ciacconius & Ughellus, quorum primus promulgatam fuiſſe Fuſcari dignitatem aſſerit anno dumtaxat MCCCCLXXVII. (c), alter vero anno MCCCCLXXXI. (d). Præterea de inſignibus Fuſcari meritis luculentum perhibet teſtimonium Petrus ille Baroccius, quem modo citavimus, vir priſcæ antiquitatis cultor, in Conſolatoria ad Fuſcarum pro fratris morte, Belluni data idibus Sextilibus 1481., atque extat in ſuorum Carminum Prologo (e)

Poſtremo adnotare placet, typothetæ lapſu in textu Quiriniano legi Fuſcarum obiiſſe anno 1495. Textus enim Ciacconianus, quem ibi ad verbum exſcribit Eminentiſſimus Auctor, ait: anno 1485.

(a) De Agoſtinis loco citato Tomo I. pag. 193.
(b) Edita eſt a Martene & Durando Tomo III. Collect. Venetorum Scriptorum pag. 978.
(c) Hoc loci.
(d) Ughellus in Epiſc. Patav. Tomo. V. pag. 457.
(e) Utrunque Opuſculum edidit Contarenus loc. cit. pag. 198.

X I V.

GERARDUS MAFFÆUS *Anno* MCCCCLXXXIX.

GERARDI MAFFÆI ut præclarum nomen a falſis, quibus Ciacconius & Garimbertus decepti ſunt, relationibus, Quirini labore hoc loci liberatum, noſtra quoque qualicunque induſtria illuſtretur, illud pro certo affirmare poſſumus, veneni ſuſpicionem Maffæo propinati, *ne hominis fortaſſe, etſi inſulſiſſimi, verbis Senatus magis irritaretur Venetus* (a), a vero prorſus abhorrere; nullam quippe eundem apud Venetos incurriſſe offenſam optime arguit Cornelius ex S. C., quo Cardinalem in Patriam rediturum expectans, mandavit Senatus, ut *omni honorificentia exciperetur, & Princeps ipſe cum aurea navi, vulgo Bucintoro, ipſi obviam ire deberet* (b).

Gerardi demum integritatis virtutiſque teſtes appello Veneti Senatus Litteras, & quas ſuis apud Summum Pontificem Oratoribus dedit, ut ejuſdem in Patriæ Patriarcham electionis confirmationem impetraret, *conſiderata integerrima vita, moribuſque tam caſtiſſimis & probatiſſimis Ven. D. Maphæi Gerardo* (c), & quas ad ſuum in Urbe Oratorem miſit, ut Innocentio, qui Maffæum Cardinalium albo inſcripſerat, *uberes & reverentes gratias haberet*, eamque ſibi electionem gratiſſimam fuiſſe teſtaretur *ob ſingularem viri probitatem, vitæ ſanctimoniam & pietatem* (d).

X V.

HERMOLAUS BARBARUS *Anno* MCCCCLXXXXI.

HERMOLAUS BARBARUS (minime confundendus, ut plerique fecere, cum alio ejuſdem nominis, ob eadem ſtudia, ætatem, patriam, vitæque rationem) Juris Civilis Doctor, & Orator ad Summum Pontificem Innocentium VIII., a quo ad Cardinalitiam Dignitatem deſignatus, Patriarchatu Aquilejenſi, legibus Venetis repugnantibus, fuit condecoratus. An Operis *De conſcribenda hiſtoria*, quod ex Trithemio Ciacconius eidem adſcribit, fuerit auctor, jure ac merito eſt a Fuſcareno dubitatum (e). Volumina quidem duo epiſtolarum ab eodem conſcripta, & nondum vulgata, vi-

(a) Verba ſunt Ciacconii.
(b) Tom. X III. pag. 163.
(c) Cornelius Tom. XIII. pag. 167.
(d) Loc. cit.
(e) *Della Letteratura Veneziana* pag. 396.

viderat apud præclarum Senatorem Baptiſtam Nani Apoſtolus Zeno, qui omnibus accuratius de Hermolai ſtudiis diſſeruit (a). Quem tamen latuit Opus *De Legato*, quod nunc primum in Operis ſui pagina *99.* exhibuit Quirinus.

X V I.

DOMINICUS GRIMANUS *Anno* MCCCCLXXXXIII.

DOMINICI GRIMANI, viri & Oratione gravis & auctoritate, præclara de re literaria merita Fuſcarenus copioſe recenſet (b). Icon numiſmatis in ejus honorem cuſi, atque pag. 48. Tiaræ hujus ex Victorello commemorati, eſt in laudato Mazzuchelliano Muſæo, eleganti deſcriptione a Petro Antonio de Comitibus Cajetanis illuſtrata (c). Cardinalis autem Montius breve ſed nitidum Dominico texuit elogium (d).

X V I I.

MARCUS CORNELIUS *Anno* MD.

Alexander VI. in octava Cardinalium creatione, eorum in numerum retulit MARCUM CORNELIUM. Hic ſequentibus Pontificibus, in primis vero Leoni Decimo, quam fuerit carus, oſtenditur cum teſtimoniis hoc in Opere relatis, tum ejuſdem Leonis Epiſtolà Thomæ Feltrinorum Epiſcopo data, atque a Petro Bembo, qui erat Pontificiis ab Epiſtolis, ſcripta: *diu eſt quod cum illo* [Marco Cornelio] *tamquam cum fratre optimo atque jucundiſſimo vivo: omniaque fraterna germanaque benevolentiæ ſtudia atque officia inter nos exercentur. Nunc autem ad priorem veteremque noſtram neceſſitudinem amoremque mutuum additis ingentibus illius meritis, ita eſt mihi animoque meo gratus, nihil ut addi poſſe ad noſtram conjunctionem videatur* (e).

XVIII.

(a) *Diſſertazioni Woſſiane* Tom. II. pag. 349.
(b) Loc. cit. pag. 343.
(c) Pag. 280.
(d) Loc. cit. pag. 95.
(e) Inter epiſtolas latinas Bembi. Lib. X. epiſt. 22.

XVIII.

PETRUS CIERA *Anno* MDI.

De egregio hoc Veneto CARDINALI quod addamus nihil ſuppetit, niſi ex ejuſdem familia plures extitiſſe, doctrina & Eccleſiaſticis Dignitatibus præclaros viros, uti legere eſt in Cornelii de Eccleſiis Venetis Opere (a).

XIX.

FRANCISCUS ARGENTINUS *Anno* MDV.

FRANCISCUM ARGENTINUM ob præclaram doctrinæ famam Julius II. in ſecunda creatione animo ita hilari adlegit, ut præ lætitia lacrymas effudiſſe legatur. Sacri civiliſque juris peritus nonnulla edidit commentaria; ideoque inter Cardinales ſcriptis celebres ab Oldovino (b), & inter Venetos qui Pontificium jus interpretati ſunt, a Fuſcareno recenſitus.

XX.

FRANCISCUS PISANUS *Anno* MDXIII.

FRANCISCO PISANO ætate integra a Leone X. Cardinalitio, ut ajunt, pileo ornato, atque inter doctos Cardinales *relato*, epitaphium in Marciana Urbis Baſilica poſitum, cujus partem ex Ciacconio exhibuit Quirinus, nos ex citata Galletii Collectione integrum ſubjicimus (c).

D. O. M.
FRANCISCO PISANO. CARDINALI. EPISCOPO OSTIENSI.
VIRO ANTIQUÆ PROBITATIS ET INNOCENTIÆ.
HÆREDES. EX TESTAMENTO. POSUERE.
VIXIT ANNIS LXXVI. OBIIT TERTIO KAL. JULII.
M. D. LXX.
HIERONYMO QUIRINO. PATRITIO VENETO.
CLARA PISANA. POST EREPTOS. INTRA MENSEM.
ALOY-

(a) Loc. cit. Tom. II. pag. 238. & Tom. XII. pag. 309. & alibi.
(b) Loc. cit. pag. 56.
(c) Pag. XIV.

ALOYSIUM FRATREM, FRANCISCUM PATRUUM.
CARDINALES.
CONJUGI DESIDERATISS. SUBITA VI MORBI
EXTINCTO MŒSTISSIMA. POS.
TUMULOQUE PATRUI INFERRI VOLUIT.
VIX. ANNOS XLIIII. OBIIT QUARTO IDUS MARTII
M. D. LXXI.

XXI.

PETRUS QUIRINUS.

XXII.

MARINUS GRIMANUS *Anno* MDXXVII.

MARINO Cardinali GRIMANO ſuam Deſiderius Eraſmus inſcripſit in Epiſtolas Catholicas paraphraſem propter ardens in eaſdem Marini ſtudium. Tria in ejus honorem cuſa numiſmata perrarum poſſidet Mazzuchellianum Muſæum, quorum duo deſcripta jam fuere pag. 93. Tiaræ: tertium vero ob egregiam Peruſinam legationem a Peruſinis decretum, ut putat laudatus Petrus Antonius de Comitibus Cajetanis. Facies exhibet Cardinalis effigiem, Cardinalis nomine circumducto: pars autem averſa eundem refert ſtantem, feminamque jacentem porrecta dextera, ſubſcriptis verbis: *Peruſia ſurge*. Præter alia quæ reliquit ſuæ doctrinæ monumenta, nonnullæ extant latinæ Orationes.

XXIII.

FRANCISCUS CORNELIUS *Anno* MDXXVII.

FRANCISCI CORNELII laus haud exigua eſt, quod nepos fuerit Catharinæ illius Corneliæ ob Cyprici Regni dominium & jura Veneto Senatui tradita, optime de Patria meritæ. Ut primum per ætatem licuit, rei militaris amans, & Martis gloriæ cupidus, magnam juventutis partem longiſſimis conſumpſit peregrinationibus, quibus confectis, eligitur S. C. Præfectus maritimæ claſſis, qua tutæ redderentur oræ Liguſticæ ad præſidium Julii II. Rom. Pontif., qui neglectis Cameracenſis fœderis Sociis, Venetæ ſe tandem conjunxe-

xerat Reipublicæ. Qua in expeditione, ſæva jactatus in freto Siculo tempeſtate, e Scyllæ & Charybdis faucibus divini plane Numinis auxilio ereptus, Romanum adiit ipſa in Urbe Pontificem, qui juvenis moderatione captus & prudentia, eximiis eum excepit honoribus. Venetias inde redux, Hieroſolymam Religionis cauſa navigavit. Perdifficili eo itinere abſoluto, ſplendida ornatus legatione ad Carolum Auſtriacum Imperatorem Hiſpaniæque Regem, magnifice adeo ſolerterque cum ex Senatus ſententia, tum ex Caroli voto eam geſſit, ut ab illo eximiam laudem, ab iſto inſignes honoris titulos, quibus in omnem poſteritatem Cornelia gens aucta eſt, ſit conſecutus. Ætate deinde provectum, & ne cogitantem quidem atque abſentem Clemens VII. die 20. Decembris anno 1527. ad Romanam purpuram accivit (a). Novo hoc ornatus honore, eo animi ardore, quas a puero vix ſalutarat, literis incubuit, ut brevi latini ſermonis adeo peritus evaſerit, eamque eloquentiæ copiam acquiſierit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoſcerent. Veneti tandem Senatus beneficio ſacris Brixianis rebus ab eodem Pontifice præfectus, imbecilla licet valetudine Brixiam veniens, Epiſcopatum iniit maxima Civium lætitia IX. Cal. Junias anni milleſimi quingenteſimi triceſimi ſecundi. Creditum ſibi populum caſto Religionis cultu ita diligenter continuit, ut eam provinciam nulla perverſarum opinionum labes inquinaret: quæ ſolicitudo in primis commendanda ob pravarum opinionum venenum, quod finitima Rhetiæ Germaniæque loca miſerum in modum labefactare cœperat. Ob eum finem imprimi denuo fecit Tractatum *Dominici de Dominicis* Brixiani olim Epiſcopi, cui titulus: *Rudimenta ad ſciendum & ſervandum neceſſaria Clericis & Presbyteris curam animarum habentibus* (b). Verum apud ſuam Eccleſiam diutius commorari non permiſſus, quod a Pontifice, ejus opera in univerſa Chriſtianæ Reipublicæ commoda uſuro, accerſitus iterum Romam, eam abſens moderatus eſt miniſterio eorum virorum, quorum in primis fidem, prudentiam, doctrinam maxime cognitam perſpectamque habebat, hanc ſæpe repetens regalem ſane & dignam prudentiſſimo Principe ſententiam: *Bonum Principem malis utentem miniſtris malo bonis utente pejorem eſſe*. Anno tandem 1543., ætatis vero quinto ſupra ſexageſimum obiit non quidem Venetiis, ut eſt

a

(a) Cardinalis hujus elogium nos in *Brixia Sacra* texentes, primum diximus qui in gentem ſuam purpuræ ſacræ honorem intulerit, quod perperam dictum volumus. Marcus enim, ut vetuſtiores a Ciacconio commemoratos prætercam, ea dignitate auctus fuerat.

(b) Brixiæ apud Damianum Turlinum anno 1540.

a Hieronymo Nigro Veneto, Canonico Patavino habita (a).

XXIV.

Gaspar Contarenus *Anno* MDXXXIV.

Gasparis Contareni viri ſummi (cujus Contarena ad D. Mariæ *ab Horto* Familia, divitiarum hæres & nominis, illuſtria virtutum exempla æmulari pergit) res omnes ita ſunt copioſe expoſitæ in latina, quam de eo Joannes Caſa conſcripſit, Vita (b), quamque ex Ciacconiano Opere Quirinus exſcripſit (c), ut reliqui nihil nobis ſit factum quod addamus, ſi illud excipiatur bonum, quo univerſam majorem in modum ſibi devinxit Eccleſiam, cum ejus maxime conſilio ac ſtudio Triumviri illi Petrus Caraffa, qui poſtea fuit Summus Pontifex Paulus IV., Jacobus Sadoletus, & Reginaldus Polus homines doctiſſimi ac ſanctiſſimi in ampliſſimum Cardinalium Collegium triſtiſſima illa ætate a Paulo III. cooptati ſunt: qua de re Coſmas Gherius eximiis verbis Contareno gratulatus eſt (d). Ad ejus tamen ſtudia quod attinet, nonnulla nobis ſuppetunt, quibus commentarium hoc augeamus. In primis enim animadvertendum eſt judicium, quod de Contareni Theologicis in rebus peritia tulit Niceronius (e). Referens enim ejus de Sacramentis librum, res Theologicas extremis digitis Contarenum attigiſſe affirmat: *Il ne fait*, inquit, *qui effleurer la matiere des Sacremens dans cet Ouvrage, qui eſt plûtot une belle inſtruction, qu'un Ouvrage de Theologie, ou de Controverſe*. Præmonendum itaque cenſeo Lectorem, non ex uno hoc, ſed ex quamplurimis aliis, quæ poſteritati reliquit, Theologicis Operibus, Contareni in hiſce diſciplinis peritiam perſpiciendam eſſe. Porro, ſiquid hiſce in rebus nos valemus, aſſerere non dubitamus, ex earum lectione hunc virum nobis videri non minus in Theologicis, quam in Philoſophicis profundum. Concedimus quidem, in laudato de Sacramentis libro Theologicas eum res leviter

 teti-

(a) Inſcriptam Joanni Cornelio Franciſci fratri, Patavinis typis eodem anno publici juris fecit Niger; inlata deinde fuit in T. I. Orationum Claror. Viror. cuſum in Acad. Venet. anno 1559.

(b) Hic paucis de ſuo permixtis latinam eleganter reddidit, quam Italico ſermone Contareni Vitam conſcripſerat Ludovicus Beccatellus, quamque Cardinalis Quirinus e tenebris erutam, ſeorſim primo anno 1746., duos deinde poſt annos in Cardinalis Poli Operum Tomum III. inlatam, edidit.

(c) Hic pag. 137.

(d) Sunt hæc piiſſimi Coſmæ Fanenſis Epiſcopi verba inter Epiſtolas Clariſſimorum Virorum p. 91. *Gratulor tibi primum, quod ex Cardinalatus tui quaſi ſemente eam Cardinalium tui ſimilium frugem Deus colligere velle videatur, quæ ſit in veterem ſuam dignitatem Chriſtianam Rempublicam triſtiſſimis temporibus vindicatura*.

(e) *Memoires des Hommes Illuſtres* &c. Tomo XXII. pag. 331. & 338.

Digitized by Google

tetigiſſe, ſed hoc ex induſtria factum putamus. Etenim in illius prooemio illis potiſſimum ſe librum profitetur conſcripſiſſe, qui præter eorum ſpem vitæque inſtitutum ad Sacerdotalia munera obeunda vocati, nec otium habent nec facultatem diutius dandi operam Theologorum lectioni, quibus conſultum cum vellet, non ſubtilem ſalebroſamque, ſed planam expeditamque lectionem exhibere ſibi propoſuerat. Aſt cum graves, ſpinoſæque quæſtiones ipſi verſandæ contigerunt, quis eo profundior & clarior? Cum præcipua noſtræ Fidei dogmata contra ſubortos Proteſtantes aſſerenda atque illuſtranda eſſent, quis eo robuſtior ac felicior? Ratiſponenſi in Colloquio S. R. E. Legati munere fungens, cum Novatorum doctiſſimis in arenam deſcendens, non inanibus, aut e trivio collectis ratiunculis contorta & ad fallendum compoſita eorum argumenta eludens, veriſſimam Religionem aſſeruit & vindicavit. Graviſſimam de bonorum operum neceſſitate, deque per Chriſti merita juſtificatione [cui ſatis nondum lucis orthodoxi Scriptores affuderant, quæque ideo Tridentinæ Synodi Patrum ingenia cæteris acrius torſit] doctrinam, de qua incredibili animorum æſtu heterodoxi digladiabantur, ex ipſis divinis oraculis hauſit, expoſuit & confirmavit. Summo ei tunc adjumento præſidioque fuit græcæ linguæ peritia, quam Patavino in Lyceo, Marco Muſuro Præceptore uſus (a), puer didicerat; græca enim D. Pauli archetypa exemplaria conſulens, clarius inde ac tutius Apoſtoli dogmata animo ſuo indidit, a quibus Eccleſiæ doctrinam diſſidere non poſſe perſpiciebat.

Nec minus in Theologicis diſciplinis peritum ſe præbuit Contarenus, vel cum de Pœnitentiæ Sacramento Tractatum italice conſcripſit, quo nihil ſolidius, nihil ſanctius ſcribi poterat (b): vel cum Paullo III. Summo Pontifici aliquot dedit epiſtolas æque ſuæ fidei ac in Romanam Eccleſiam obſequii teſtes locupletes, quibus irritas reddidit & inanes eas criminationes, quibus homines aut indocti aut invidi apud delicatiſſimas Pontificis aures ejus nomen in invidiam adducere conabantur. Quod non eſt a me longiori oratione comprobandum, utpote quia & olim a Joanne Eckio edito libello (c), & recenti memoria a Cardinali Quirino (d) quan-

(a) Guillelmus Pacius ſuam Poeticæ Ariſtotelis interpretationem e græco in latinum ſermonem Contareno ob eam ſe teſtatur nuncupaſſe rationem; quia græcam linguam callebat. Edita eſt typis Aldinis anno 1536.

(b) Quirini verba ſunt in Epiſtola Romæ data 17. Auguſti 1750. doctiſſimo Trombellio, nunc Canonicorum Regularium S. Salvatoris Generali Præſide.

(c) Rariſſimus hic libellus ita inſcribitur: *Apologia pro Reverendiſſimis, & Illuſtriſſimis Principibus Catholicis, ac aliis Ordinibus Imperii adverſus mucores & calumnias Buceri ſuper Actis Comitiorum Ratiſponæ* &c. Pariſiis 1542.

(d) In Diatribis ad III. & IV. Tomum Epiſtolarum Reginaldi Poli.

Digitized by Google

quantum in profundiori Theologica facultate valuerit Contarenus, oſtenſum eſt. Ad hæc profundioris cognitionis ſtudia adjecit etiam politiorum ſcientiam literarum, & loquendi ſcribendique elegantiam: præterea Medicos legebat græcos latinoſque, qui valetudinem juvare poſſent; reique ruſticæ Scriptoribus delectabatur: neque Aſtronomiam colere neglexit, eam tamen partem, quæ Stellarum curſum reſpicit: cujus rei teſtes ſunt binæ Epiſtolæ (a) ad Geneſium Sepulvedam datæ, in quibus, adhibitis Galeno, Ovidio, Columella, aliiſque præclarioribus Scriptoribus, judicium tulit de ſcriptis ejuſdem Sepulvedæ *de Ratione Anni*, quæ, antequam in lucem prodirent, ipſi diligenter expendenda ſubmiſerat.

Oſſa ejus in D. Chriſtophori, ſeu S. Mariæ *ab Horto* requieſcere hæc teſtatur marmorea in eo Templo ſepulcralis epigraphes.

GASPARIS CONTARENI S. R. E. CARD. OSSA
CUJUS
ADMIRANDAM INTEGRITATEM, DOCTRINAM
AC ELOQUENTIAM
IN UTRAQUE REP. ET APUD SUMMOS REGES
GESTA ET SCRIPTA TESTANTUR.
BONONIÆ LEGATUS PONTIFICIS NATURÆ CESSIT MDXLII.
VIXIT ANNOS LIX.
ALOYSIUS EQUES, ET GASPAR EX FRATRE NEPOS
TANTO VIRO (b).

Cæterum operæ pretium illum me arbitror facturum, remque juvaturum catholicam, qui Theologica tanti viri ſcripta partim olim, partim a Quirino e tenebris eruta, atque ſuas inter elucubrationes in lucem emiſſa, in unum colligeret: qua occaſione prætereundæ non eſſent præfationes a Contareno primis ſuorum Opuſculorum editionibus præfixæ, quas multis & doctrinis & notitiis refertas vidimus (c). Inter alios quamplurimos, qui hujus Cardina-

(a) Extant inter Epiſtolas latinas Clariſſimorum Virorum pag. 181. Coloniæ 1586.

(b) Cornelius loc. cit. Tom. XII. pag. 19.

(c) Aloyſius Contarenus omnia patrui Cardinalis Opera, quæ tum ſive edita, ſive manuſcripta circumferebantur, in unum colligi, & Alexandro Cardinali Farneſio nuncupata, Pariſiis anno 1571. edi curavit. Ad hanc Pariſinam expreſſæ fuere binæ Editiones Venetæ, altera anno 1578. apud Aldum, altera vero anno 1589. apud Damianum Zenarium, quibus tamen inſigniora præfixa ſunt Theologorum teſtimonia. Præterea in Tractatu *De Juſtificatione* has inter & Pariſinam nonnihil intercedit diſcriminis, quippe in fronte Tractatus *De Juſtificatione* in Venetis additus eſt hic titulus: *Hic Tractatus ante Con-*

dinalis geſtis lucem addidere, locum præcipuum obtinent Cardinales Quirinus & Montius: ille cum in Prolegomenis ad Cardinalis Poli epiſtolas, tum ſingulari edito Brixiæ libello (a): hic in laudato Elogiorum Opere (b).

XXV.

PETRUS BEMBUS *Anno* MDXXXIX.

PETRO Cardinali BEMBO gratum referre debemus, quod politiores græcas latinaſque literas poſt earum cum Romano Imperio obliterationem ex aureis Veterum fontibus hauſtas inter primos coluerit (c), noſtramque italicam ſuis omnibus floſculis ornarit linguam. Quas amœniores litteras, ut ſacris ſtudiis vacaret, ſimul dimiſit, ac in auguſtum S. R. E. Collegium cooptatum ſe vidit. Sacras autem eum paginas adeo ob ſtyli ſimplicitatem contemtui habuiſſe, ut Pontificio munitus diplomate, Divini Officii curſum de græco codice legeret, ſunt qui poſteritati tradidere. Sed inter aniles fabellas eam narratiunculam eſſe amandandam nullus dubito (d). Quod fortaſſe ab iis excogitatum eſt, qui nullum non movere lapidem, ne Pontifex ille eximiorum virorum, ſi quiſpiam alius, eſtimator ſingularis Paulus III. in Cardinalium Senatum referret Bembum. Quorum hominum criminationes non ſolum ipſemet Bembus, ſed clariſſima, quæ tum in Eccleſia fulgebant, lumina, Farneſius, Polus, Contarenus, Sadoletus Cardinales diluendas nullo negotio ſuſcepere. Nemo enim inficias ire poteſt, lubrica ineuntis ætatis vitia magnis ab eo fuiſſe emendata virtutibus, quarum ſpecimen haud obſcurum præbuit, cum, ut a ſe eam digni.

Concilium Tridentinum editus fuit, nunc vero poſt commemoratum Concilium *expurgatus prodit*. Aliqua etiam inveniuntur mutata, pauca ſublata; unde accidit, ut lineæ non omnino, ut in reliquo Opere, Pariſinæ editioni reſpondeant. Correctio autem iſta nihil de Contareni Theologicis in rebus peritia detrahit; cum omnia ejus ſcripta ne lato quidem ungue ab Orthodoxa Fide abhorrere conſtet.

(a) *Vita del Cardinal Gaſparo Contarini. Breſcia* 1746.

(b) Pag. 118.

(c) Quæ in Bembianæ eloquentiæ laudem ſunt ex Ciacconiano Opere hue pag. 193. translata, ut *omnium primus* ad Ciceronis, Virgilii ac Cæſaris ſcripta animum digitumque intenderit, minime conveniunt cum elucubrationibus, quas Franciſcus Barbarus, quas plurimi alii illius ævi Scriptores literis conſignavere, ex quibus facile eſt conjicere quantum uno pene ante Bembum ſæculo laboris ſtudiique in politioribus literis græcis latiniſque excolendis impenſum ſit. Quam in rem cum Cardinalis Quirini Opus *De Brixiana Litteratura*, tum noſtrum *Della Letteratura Greco-Italiana* legi poſſunt.

(d) Mazzuchellius: *Degli Scrittori Italiani* T. IV. pag. 750. V. Bembo.

dignitatem deprecaretur, multos dies cum Octaviano Zeno, qui purpureum biretum Pontificis juſſu ad eum tulerat, omni conatu contendit. Cujus tantæ moderationis licet in ejus epiſtolis non extaret veſtigium, ei tamen confirmandæ, præter Caſæ, Beccatellique, in promtu habemus teſtimonium miſerrimi Aonii Palearii Bembo amiciſſimi ea in epiſtola, qua tantam ei dignitatem gratulatus eſt (a). Mira hac auctus dignitate, incredibile dictu eſt, quantum in amicis juvandis, quorum frequentiſſimus erat numerus, operæ ſtudiique contulerit, eorum etiam vota, teſte Longolio, (b) *præveniendo atque ſuperando*. Ampliſſimum eum honorem decenter ut ſuſtineret, Eugubinæ Eccleſiæ IV. Calendas Auguſti anni MDXLI. creatus fuit Epiſcopus: biennio poſt Eugubium cum veniſſet, quaſi triumphantis in modum Civitatem eſt ingreſſus. At ſubortis eum inter & Eugubinos ſimultatibus, abdicatis iis Inſulis, ad Bergomenſes tranſlatus fuit (c).

Bembi laudes quamplurimi celebrarunt & ſcripta recenſuerunt, quos tamen omnes unus, meo quidem judicio, ſuperavit Mazzuchellius, qui præterea Epiſtolarum Bembi editarum auxit cenſum (d). Idem etiam inſigne, quod laudavimus, ſuum Muſæum quatuor numiſmatibus Bembi in honorem cuſis ditavit; horum duo imberbem exhibent Bembum, inſcripto nomine; in averſa vero parte humi ſedentem, deſerto loco, Muſis vacantem, quæ antequam purpura ornatus eſſet, cuſa fuiſſe putat laudatus Cajetanus (e): reliqua auguſto habitu, prolixaque barba eundem referunt, uniuſque contraria in parte alatus eminet Pegaſus Caſtalium fontem eliciens.

XXVI.

ANDREAS CORNELIUS *Anno* MDXLIV.

ANDREAS CORNELIUS etſi jam ab anno 1543. a patruo Franciſco Cardinali Cornelio Brixianam Eccleſiam, cui Franciſcus præ-

(a) Libro II. Epiſtolarum pag. 81. Lugduni 1552.

(b) Pag. 186. Epiſtolarum Longolii, ex quibus plurimæ extant ad Bembum in Collectione Operum Longolii Lugduni 1542.

(c) Maurus Sartus vir doctiſſimus ac Abbas Camaldulenſis de Epiſcopis Eugubinis pag. 222. Piſauri 1755.

(d) Duæ ſunt ab eo noviſſime editæ in Miſcellanea Mediolanenſi Tom. I. anno 1756., qua occaſione Epiſtolarum Bembi editiones perbelle ab eodem illuſtrantur. Eam ipſam occaſionem arripuit Mazzuchellius ex nonnullis obſervationibus, quas docti Miſcellaneæ Mediolanenſis Editores præmiſerunt uni ab ipſis publici juris primo factæ Bembi Epiſtolæ.

(e) Tomo I. Muſæi Mazzuchelliani pag. 257

præerat, adminiſtrandam Epiſcopus deſignatus ſuſcepiſſet, Electus tantummodo dicebatur anno etiam ſeculi decimiſexti quinquageſimo: namque Paduanus Barletta quendam libellum eo anno eidem (a) inſcribens, hoc titulo uſus eſt: *Reverendiſſimo Andreæ Cornelio Brixienſi Electo*. Porro Cornelius *ſcientiarum tutor*, *ſtudioſorum patronus*, *juſtitiæ zelator*, *pauperumque pius parens apud omnes audiebat*. Eos inter literarum laude florentes viros, quorum amicitiam excoluit, Petrum invenimus Bunellum, natione Gallum, latinis græciſque literis peritum, qui [ut plurimi alii exterarum nationum acerrimi ingenii viri] propriis relictis laribus, in Italia eloquentiæ tum altrice ſedem fixerat (b), Bartholomæum Riccium Lugienſem (c), & Bernardum Taſſum, qui hunc Andream proculdubio præ oculis habuit, ubi ſcripſit: *Io ho due Cherici di Camera, cioè il Veſcovo di Breſcia* (d). Paullo poſt obiit Andreas non quidem Venetiis, ut eſt apud Franciſcum Florentinium (e), ſed ipſa in Urbe, ætate adhuc integra.

XXVII.

Aloysius Cornelius *Anno* MDLI.

Julius III. Pontiſex Cal. Januarii 1551., defuncto Franciſco Cornelio

(a) Theologiam profitebatur Barletta ex Ordine Minorum Conventualium in gymnaſio Domus magnæ Veneriarum (nunc i *Frari*). Libro autem Cornelio dicato Veneriiſque anno 1550. impreſſo hunc fecit titulum *Concilium Pauli*.

(b) Hujus eſt ad Andream Cornelium Epiſtola inter illas clarorum Virorum pag. 121. Coloniæ Agrippinæ. 1586.

(c) Bartholomæum Riccium Cornelius mirifice diligebat, quem nos amorem diſcimus ex nonnullis ejuſdem Riccii Epiſtolis, quæ editæ fuere typis Ferrarienſibus anno 1562.

(d) Tomo III. pag. 63. *Delle Lettere di Bernardo Taſſo. Padova* 1751. Hic animadvertendum, perdoctum Epiſtolarum Taſſi Editorem putaſſe, eum Epiſcopum, quem Taſſus appellar, fuiſſe Aloyſium Priolum; aſt nullus dubito dicendum Andream hunc Cornelium; namque Taſſi Epiſtola data eſt die 17. Decembris anno 1543. quo Paullus III. adhuc in vivis erat, Priolum autem ad Brixianam Eccleſiam, cujus ad regimen minime pervenit, Julius III. anno dumtaxat 1550. Pontiſex electus, deſtinarat. Quæ res certiſſime conſtat tum ex iis monumentis, quæ alio Nos Opere exhibuimus, tum ex Epiſtola Cardinalis Poli ad Paulum IV. data, quæque eſt XV. Tomi V. Epiſtolarum Poli, Brixiæ editi anno 1757., cujus hoc eſt initium: „ Beatiſſime Pater. Poſtquam mihi allatum eſt de morte Cardinalis Durantis nuntium, etſi ante audieram S. V. Aloyſio Priolo, Familiari meo, jus ademiſſe acceſſus ad Epiſcopatum Brixienſem, quod ei nihil minus cogitanti ſanctæ Memoriæ Julius III. S. V. Prædeceſſor, Illuſtriſſimi Dominii Venetorum rogatu detulerat &c. „

(e) In Indice Epiſcoporum Brixienſium. Brixiæ 1514.

nelio, ALOYSIUM ejus nepotem, qui Patruum, apud quem vixerat, tamquam ſpeculum & exemplar ad imitandum ſibi propoſuerat, in ſplendidiſſimum S. R. E. Collegium cooptavit. Protector Congregationis Cruciferorum, cum ejus Comitiis generalibus Bononiæ celebrandis intereſſe ſtatuiſſet, Benedicto Leoni Congregationis alumno Protectoris congratulandi provincia demandata fuit: verum negotiis impeditus, Cardinalis cum id exequi minime potuiſſet, quam laudis Orationem elucubrarat, typis editam (a) ejuſque nomini inſcriptam, ad Cornelium miſit legendam. Vixit annis LXVII., ut eſt in inſcriptionibus (b), ex quibus ii corrigendi, qui decem vitæ annos ei detraxere. Eggers jure ac merito Aloyſium inter doctos recenſuit Cardinales.

XXVIII.

MARCUS ANTONIUS AMULIUS *Anno* MDLXI.

Februarii die 26. anni 1561. a ſummo Hierarcha Pio IV. MARCUS ANTONIUS AMULIUS, præclara antiquitatis imago, creatus eſt Cardinalis, ſingularique hoc elogio ab eodem Pontifice celebratus: *Hic eſt vas electionis* (c). Erat Amulius cum literis latinis tum etiam græcis eruditus. Valde prudenter & acute cum loqueretur atque ſcriberet, Pontifex Summus in negotiis, quæ a Tridentino Concilio Romam mittebantur, ibidem expediendis, nihil ſine Amulii conſilio decernendum ſtatuerat. Quas ob res eas Amulius conſcripſit epiſtolas, quas in Concilii texenda hiſtoria magno ſibi uſui fuiſſe fatetur Pallavicinus (d). Patriarcha Aſſyriorum Orientalium, qui in Urbe Fidei profeſſionem emiſerat, cum Tridentinam inviſere cuperet Synodum, docta ad eos Patres data epiſtola, eundem Amulius proſecutus eſt, qua invicto argumento ex vetuſtiſſima deprompto Aſſyriorum Fide, quæ cum Romanæ Eccleſiæ doctrina apprime convenit, omnia fere Novatorum figmenta labefactantur (e). Quotquot ea tempeſtate literis florere ſciebat præclaros viros, & amabat enixe, & omni humanitatis ſtudio complectebatur: *Amulius Cardinalis optimarum artium*, teſte Paullo Manutio (f), *patronus pene ſin-*

(a) Bononiæ 1568.
(b) Hic pag. 213. & apud citatum Galletium pag. XIV.
(c) Pallavicinus *Iſtoria del Concilio di Trento*. Lib. XV. Cap. VI. num. VII.
(d) Pallavicinus pluribus hiſtoriæ locis. Iis etiam uſum ſe dicit in ejuſdem Concilii Hiſtoria Paullus Soave, qua de re fuſe differit Fuſcarenus l. c. p. 250.
(e) Eam Epiſtolam cum profeſſione Fidei editam habemus anno 1562. Ripæ, quæ oppidum eſt Tridentinæ ditionis ad Lacum Benacenſem.
(f) Epiſtolarum Lib. VII. pag. 361. Venetiis 1582.

ſingularis. Hinc & ſua Opera multi eximii Scriptores Amulio nuncupavere, & cum aliquando ex gravi morbo convaluiſſet (a), omnes bono publico lætati ſunt. Suam demum Bibliothecam ſeleċtiſſimis refertam libris italica, latina, græcaque lingua, moriens Aloyſio legavit Maripetro (b). Plurima reliquit ſui ingenii monumenta, quæ ex Auguſtino Superbi laudatus recenſet Mazzuchellius (c): iecirco inter Cardinales doċtrina celebres ab Oldovino, & Eggers jure ac merito recenſitus, præclaroque a Cardinali Montio exornatus elogio (d).

XXIX.

Bernardus Navagerius *Anno* MDLXI.

Summus Pontifex Pius IV. una cum Amulio in ſacrum cooptavit R.E. Senatum Bernardum Navagerium, illius conſanguineum Andreæ elegantiſſimi Oratoris, Hiſtorici, atque Poetæ, qui paterno amore Bernardum tamquam ſuæ gloriæ hæredem diligebat mirifice. Patavium venerat Bernardus viceſimum ante ætatis annum, ubi ad æmulandam gentilis Andreæ gloriam in eloquentiæ, poeſis, hiſtoriæque ſtudia totus incubuit. Quamobrem Sixtus Medices O. P. inſignis illius ævi Theologus ſic eum eſt allocutus: *Sicut brevi annorum ſpatio univerſos ordinis tui viros* [*pro ætatis ratione*] *honoribus ampliſſimis*, & *laboribus maximis ſumma cum tua laude perſunċtus*, *facile deviceras*: *ita eoſdem linguarum cognitione*, *bonarum artium ſcientia*, *atque eloquentiæ ſplendore cunċtos magnopere ſuperaveris*. Reipſa erat in eo incorrupta quædam latini ſermonis integritas, nec ei deerat in ſententia dicenda cum prudentia, tum elegans quoddam & eruditum Orationis genus, quæ perſpici ex ea Oratione poſſunt, qua novo Pontifici Paullo IV. (e) Veneti Senatus nomine Orator gratulatus eſt (f). Ad Veronenſem deinceps Eccleſiam promotus, eidem diligentiſſime

(a) Apud Manutinm loco citato pag. 391. Illius autem morbi meminerat Amulius in Epiſtola Franciſco Sanſovino data, quæ extat in Sanſovini *Secretario* lib. VI. pag. 165. Venet. 1588.

(b) Superbi *Trionfo glorioſo degli Eroi di Venezia* lib. I. pag. 82.

(c) Loco citato Tomo I. Parte II. V. Amulio.

(d) Loco citato pag. 147.

(e) In Orationis nuncupatione *De Ingenio Theologicis facultatibus excolendo*. Venetiis 1555.

(f) Eam Orationem edidit piiſſimus vir Joannes Baptiſta Contarenus Ord. Præd. Congreg. B. Jacobi Salomonii Tom. I. pag. 135. Legationis illius Commentarium eodem loci editum conſcripſit Auguſtinus Cardinalis Valerius.

me præfuit. Præclara tanti viri geſta plurimi celebrarunt, in primis vero ejuſdem nepos Auguſtinus Valerius (a).

XXX.

Aloysius Pisanus *Anno* MDLXV.

Aloysius Pisanus anno 1565. ab eodem Pontifice ſacro Cardinalium Collegio adſcriptus, Cardinalis Piſanus junior [dum Franciſcus Cardinalis patruus vixit] dictus. Eodem tamen menſe utrumque obiiſſe diſcimus ex inſcriptione quam ex Galletio in Franciſco retulimus Cardinali Piſano. Latinas Græcaſque literas optime callebat. Præter Patavinam adminiſtravit etiam, ut temporibus illis, Tarviſinam decem annis Eccleſiam (b).

XXXI.

Joannes Franciscus Commendonus *Anno* MDLXV.

Quod de Antonio Maria Gratiano Cardinalis Commendoni amiciſſimo Janus ſcripſerat Nicius Erythræus (c), futurum ut is procul a Republica, ſine aliquo rerum uſu, agrum a patre relictum coluiſſet, vel inertem, deſidem, mortique ſimilem vitam exegiſſet, niſi in Commendoni conſuetudinem incidiſſet, ad Commendonum etiam referri quodammodo poteſt. Hic enim Antonii Commendoni, vetuſtæ honeſtæque apud Bergomates originis filius, & Lauræ Barbadicæ ex nobiliſſima patriciorum Venetorum familia xv. Calendas Junii anni 1524. natus (d) Venetiis, [quo Commendoni ſtipitis ramus ſe olim tranſtulerat (e)] rei domeſticæ curandæ, amœnioribuſque colendis ſtudiis totum ſe dediſſet, niſi in amicitiam veniſſet Aloyſii Cornelii. Qui ſenex ea tempeſtate, Patavinæ urbis delicium, juveni Commendono literis ibidem operam danti, in

 quo

(a) Hanc Petrus Valerius Auguſtini nepos dicatam Abbati Bernardo Navagerio, Bernardi Cardinalis nepoti, ab auctore obtinuit, ut poſteritati typis Veronenſibus conſignaretur anno 1605., quam nitidioribus poſtea Cominianis typis Antonius Vulpius elegantiſſimus in Academia Patavina Profeſſor recudi curavit juxta Opus ejuſdem Auguſtini *De Cautione adhibenda in edendis libris*, Patavii 1719.

(b) Ughellus Tom. X. p. 570.

(c) In Pinacotheca.

(d) Ita apud Gratianum in Commendoni Vita; unde corrigendus Ciacconius, qui habet xv. *Calendas Aprilis* 1523.

(e) Antonius frater natu minor & Cardinalis hæres, ſacris addictus, ultimuſque rami Venetias tranſlati.

quo clariſſima ingenii induſtriæque lumina cognoverat, auctor fuit, ut Romam ſe conferret, in qua urbe omnium virtutum altrice facilem ad res magnas aditum ei prænuntiabat. Quod conſilium ab amantiſſimo ſui, perſpicuoque ſene profectum, cum adoleſcens arripuiſſet, initium ei fuit tantorum honorum, quibus per univerſam ferme Europam Commendoni nominis celebritas pervagata eſt. Icciroo nulla magis re bonus ille ſenex gloriari ſolebat, quam de prima Romana Commendoni profectione, quem omni benevolentiæ genere coluit ad extremos vitæ dies, quibus collatam Commendono Cardinalitiam dignitatem lætitia tanta ipſi contigit gratulari, ut parem nunquam ſe expertum fuiſſe teſtaretur. Cæterum in Angliam ad hortandam Reginam Mariam, Anglicum ut regnum avitæ reſtitueret Catholicæ Fidei: ad Italiæ Principes Romanæ Eccleſiæ Beneficiarios, nequis eorum auctoritate & pollicitationibus Imperatoris abductus, de fide decederet: ad Venetos contra Cæſarem Pontifici conjungendos: ad Poloniæ Regem: ad omnes Germaniæ Principes ſemel, iterum ac tertium, ut rem catholicam juvaret, Tridentinæque Synodi celebrationem promoveret, a Pontifice miſſus, ſtrenue ubique feliciterque ſe geſſit, plurimumque gratiæ auctoritatiſque ne dum apud Romanæ Eccleſiæ Proceres, verum etiam apud Proteſtantes Principes collegit. Eas ipſe peregrinationes Commentariis deſcripſit, quæ manuſcripta in nonnullis cuſtodiuntur bibliothecis una cum ejuſdem epiſtolis, ex quibus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ haud modicum lucis accedere poteſt (a). In ejus honorem cuſus fuit numus, quem exhibet laudatum Mazzuchellianum Muſæum (b). Commendoni hermam effigiem refert heroicam potius, quam Eccleſiaſticam; averſa in parte ſtat Janus, obſervante laudato de Cajetanis, virgam tenens, parvuluſque genius aliquid ei offerens, cum lemmate: *Amicitiam*. Præter ea, quæ modo commemoravimus, ejus ingenii monumenta, Orationes habemus & carmina, deque Romana Curia librum. Commendoni laudes celebrant quotquot ejus ævi hiſtoriam poſteritati tradidere, quibus addere placet Paulum Sacratum (c) Canonicum Ferrarienſem, Cardinalem Montium (d); ſed præ omnibus copioſius, labo-

(a) Teſte laudato Fuſcareno pag. 352. & 460. Ex his Epiſtolis duas Cardinali Hoſio datas; alteram nimirum Viennæ die 20. Novembris anno 1568.: alteram Patavii 5. Junii 1569., publici juris fecit in Tabulario Eccleſiæ Romanæ Salomon Cyprianus pag. 487. & 495. Francofurti 1743., in eo corrigendus, quod in Notis ad primam Epiſtolam ſcripſit: *Obiit diem ſuum Romæ anno* 1584., cum certum ſit ex inſcriptione, & ex Gratiani Vita eum obiiſſe Patavii.

(b) Pag. 359.

(c) Epiſtolarum lib. IV.

(d) Pag. 152.

laborum itinerumque comes, omniumque conſiliorum particeps Amerinus Epiſcopus Antonius Maria Gratianus cum libro *De Scriptis invita Minerva* (a), tum integro volumine (b); in quibus cum a Principis gratia, hominumque fama vel leviter excidiſſe, nullum reperio veſtigium: iccirco me latet, quid ſibi velit Auctor Annalium Italicorum Gregorii XIII. (c) ſcribens de illo: *Cardinale .... anco più memorabile, ſe aveſſe, come pochi, ſaputo .... eſcluſo da negozj e dalla ſegreta communicazione del Principe, accomodarſi ad onorato receſſo, ed a ſicura quiete.*

XXXII.

AUGUSTINUS VALERIUS *Anno* MDLXXXIII.

AUGUSTINUS Cardinalis VALERIUS, magnus homo, ita in omni ſua ætate virtutibus eluxit, ut cum clarioribus graviſſimæ antiquitatis hominibus æquiſſimo jure comparari poſſit. Hunc nihil minus cogitantem Gregorius XIII. die 12. Decembris anno 1583., Divo Carolo Borromæo auctore, Romanæ Eccleſiæ fecit Cardinalem; cujus dignitatis ut Veronam nuntium pervenit, non ſolum ullum non dedit lætitiæ ſignum, ſed etiam ea die Bethlehemiticis Innocentibus ſacra, qua a Canonico Carnio certo nuntio rubrum pileum inter Miſſarum ſolemnia accepit, populum pro concione rogavit, ut ab omni lætitiæ ſigno abſtineret, Deumque potius deprecaretur, ne ipſe tanti honoris oneri ferendo impar foret. Eam nimirum animi moderationem, frequentibus virtutum actibus ab ineunte ætate partam, ad extremam uſque ſenectutem excolendo perfecit. Suaviſſimos mores cum tanta conjunxit honeſtate, ut non ſolum impudicæ mulierculæ, pretio a nonnullis juvenibus, quorum conſuetudine juvenis & ipſe uti ſolebat, conductæ, atque in ſecretum cubiculum, ubi ſolus legebat, callide immiſſæ, ex eo ſeſe ſtatim proripiens, pellicis laqueos evaſerit, verum etiam virginalis innocentiæ candorem nulla unquam labe inquinaſſe feratur. Neque in iræ motibus comprimendis ſegnior fuit, cujus de animi moderatione ſatis eſt unam rem ex ejus Vitæ Scriptore (d) exempli gratia

(a) Hos Gratiani libros e tenebris in lucem eduxit, doctiſſimiſque annotationibus illuſtravit celebris Hieronymus Lagomarſinius S. J. Florentiæ 1745.

(b) Prodiit primum Vita Commendoni latine a Gratiano conſcripta Pariſiis anno 1669., deinde Patavii anno 1685., gallice inſuper reddita, & ſæpius recuſa.

(c) Pag. 392.

(d) Rem teſtatur Joannes Ventura Clericus Veronenſis in Vita Cardinalis Valerii, in Opuſculis Calogerianis Tomo XXV. edita, pag. 81., & ſub initium duorum ejuſdem Opuſc. Venet. 1754.

tia proferre. Seminarium a fundamentis ad Tridentini Decreta excitandum cum ſuſcepiſſet, nonnullos id minime probantes, propterea quod aliud ſimile, quod *Acolythatum* appellant, inſtitutum fuerat, tanta cepit inſania, unus ut ex iis *inventus ſit homo audaciſſimus, qui ſub ſolio Epiſcopali, in quo ſedens Epiſcopus verbum Dei auditurus erat, parvum tormentum, in quod globulos plumbeos conjecerat, collocavit; & accendit funem, ita ut pro tempore, quo illic ſederet Epiſcopus, ignis ad tormentum perveniens, illud diſploderet; & Auguſtinum percuteret. Sed ſcelcratorum hominum machinationes plane ſatanicas avertit Deus; nam ad quemdam pervento funis odore, & viſo etiam fumo, e ſolio ſtatim ereptus eſt Epiſcopus, & malorum hominum minas evaſit: & quod mirandum eſt, rem animadverſione dignam conſtanti admodum animo tulit*. Accedit etiam eum diſſenſiones *maxime omnium auſugiſſe: & ſiquis eum offendiſſet, tanta in eum erat manſuetudo, ut nunquam de ulciſcendo cogitarit. Iram, ſi quando in eam incidebat, mira temperavit arte* (a).

Prioribus ſex Epiſcopatus annis cum adduci ob linguæ hæſitantiam minime potuerit, ut populum ipſe ſuum verbo divino de ſuggeſtu paſceret, eum aliorum, tum maxime Caroli Cardinalis Borromæi, quem veluti patrem venerabatur & diligebat, conſiliis tandem victus, ſpreto linguæ impedimento, ſuggeſtum aſcendit: *Die Aſcenſioni*, ita ad Carolum ipſe ſcribebat tertio Calendas Junias anno 1582., *Dominicæ ſacra, & Dominica item ſubſequente, Orationem ad populum habere cœpi, quod præſtare etiam die Pentecoſtes meditor. Ago tibi immortales gratias, quod mihi tandem perſuaſeris, ut crebro id officii ſuſciperem: vere hoc eſt Patris, hoc Paſtoris, hoc Epiſcopi* (b). Quæ Caroli auctoritas tantum apud ejus animum valuit, ut ſingulis in poſterum ſolemnibus diebus ſermonem ad populum habere non prætermiſerit, magna plane hominum frequentia, quos oratio gravis alliciebat & ornata, & hominum mentibus & ſenſibus accomodata (c), & ullis ſine ſalebris, quaſi placidus amnis, fluens. Hos deinde ſermones unum in volumen redactos Federico Cardinali Borromæo benevolentiæ ſuæ teſtes dono dedit, inque illos copioſam elegantemque conſcripſit præfationem Sil-

(a) Idem loco citato. Eandem tragœdiam, brevius tamen narratam habemus ab Aloyſio Lollino Bellunenſium Præſule Valeriique amiciſſimo, de Epiſcopalium curarum characteribus pag. 240. Ad eandem porro comprobandam moderatiſſimi ſui animi virtutem ea facere poſſunt, quæ ipſe habet *De Cantrone* pag. 89.

(a) Ea Epiſtolæ particula eſt a Clariſſimo Oltrochio producta in notis ad latinam D. Caroli Vitam pag. 630. Mediolani 1751.

(b) Duo hæc Oratori a Cicerone præſcripta ſunt, *De Oratore* Lib. I.

Silvius Antonianus Cardinalis doctiſſimus (a). Eximiam, qua pollebat Valerius, ſacræ eloquentiæ peritiam animo reputans Sanctus ille Borromæus, qui diu noctuque in procurandis ſuo gregi commodis invigilabat, Auguſtino auctor fuit, ut librum *de Rhetorica Eccleſiaſtica* concinnaret; qui ſtatim ac ad peritiores pervenit Eccleſiaſticos, aptiſſimus viſus fuit, quem Clerici non ſolum Veronenſes, verum etiam aliarum Diœceſeon ſedulo verſarent (b). Neque inter Italiæ limites illius Operis fama ſubſtitit, ſed ad diſſitas etiam vulgata regiones, ſeveriorum Criticorum eximiis laudibus celebrata fuit (c). In eundem quoque finem aliud ſibi ſumſit elucubrandum Opuſculum, *De Accolytorum Veronenſium diſciplina* inſcriptum, Carolo Borromæo ita probatum, ut ad ſui Seminarii uſum, eleganti per Franciſcum Adurnium S. J. munitum præfatione, novis typis prodire juſſerit. Cardinalis quoque Quirinus tanti illud Opuſculum faciebat, ut non ſolum recentem cogitaret editionem, verum etiam Clericis tamquam ſtudiorum ducem proponeret. Quo in libro illa ſunt duo monita laude omni cumulanda: a latina græcæ linguæ cognitionem Seminarienſibus Clericis minime eſſe ſejungendam, ab iiſque Poeſeos ſtudia, a ſacris tamen Poetis haurienda, minime eſſe negligenda (d).

Ad æterni autem Numinis cultum augendum, fovendamque animarum ſalutem primo S. Franciſci de Paula, ac S. Ignatii filiis domicilia dedit in urbe, deinde anno 1591. Clericis Regularibus, quos a prima ætate, conſcientiæ purgandæ adhibere ſolebat; ipſaque in urbe Roma familiariter utebatur Joanne Baptiſta Milano Veneto, qui primus fuit Clericorum Regularium Præſes ſupremus; eos, Veronam ut pervenere, ita eſt allocutus: *Scio ego, Patres, quæ morum cuique veſtrum integritas ac prudentia, quæque inſint præſidia doctrinarum; quare ut latius ſeſe virtuti veſtræ campus aperiat, quidquid in Civitate ac Diœceſi Veronenſi Infula hæc mea valet, communicatum vobis volo; ita ut una eademque ſit vobis, & mihi relaxandi, ſolvendique facultas. Vos Epiſcopi, vos Præſules. Scilicet nihil non a veſtra induſtria, curiſque mihi polliceor in com-*

(a) Teſte ipſomet Valerio: *De Cautione adhibenda* &c. pag. 30.

(b) Brevi temporis intervallo pluries typis commiſſus fuit; namque editio, quam præ manibus habeo, Veronenſis anni 1583. ſeptima eſt.

(c) Videndus Gibert, *Jugemens des Sçavans ſur les Auteurs:* Tom. 8. part. 2. pag. 11. Amſtelodami 1725.

(d) Cap. IX. pag. 23. Vetus hujus libelli bipartito diſtributi exemplum extat in Bibliotheca Quiriniana; quod Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtituendæ inſtans Cardinalis Quirinus, utriuſque Curiæ teſtimoniis præmunitum, jamjam recuſurus, aliis diſtentus curis, typographo iteratis exemplaribus vulgandum non commiſit: cujus tamen loco ſuos Clericos ad hujus libelli lectionem exhortatus eſt Epiſtola Encyclica italice edita XIV. Aprilis 1751.

Digitized by Google

communem hujuſce Eccleſiæ, mearumque ovium utilitatem (a). Tum deductos ad S. Mariæ *de Glarea*, ubi cœnobium ſumtibus ipſe ſuis paraverat, victu quotidiano aluit; quod non ultimum fuit ſplendidiſſimæ ejus in pauperes, inque loca ſacra munificentiæ argumentum.

Neque præterire mihi fas eſt ſingularem Valerii in rebus agendis prudentiam, cujus luculentiſſimum dedit ſpecimen (b) in ſacra Venetæ urbis luſtratione, quæ Patribus Conſcriptis, graves ob rei novitatem difficultates (c) objicientibus, plurimum eundem commendavit.

Præterea eruditorum hominum, raro admodum negotioſis in hominibus exemplo, conſuetudine fruebatur libentiſſime: ſæpius eos ad menſam adbibebat, frequentibuſque ut plurimum latinis italicisque litteris (d) conveniebat, omnique officiorum colebat genere; ex iſtis nominaſſe ſat erit præter Cardinales quoſcumque & Epiſcopos doctrina conſpicuos, Paullum, quem alibi laudavimus, Sacratum Ferrarienſem Canonicum, Panvinium Veronenſem, Pantagaton, Madiumque Brixianos, Vincentium Pinellum Genuenſem, eoſque omnes, quos in Academia Vaticana Socios habuerat. Porro ea in Academia (quæ noctu, ut tum moris erat, celebrabatur, ideoque *Noctes Vaticanæ* appellatæ, cœtus virorum in ea diſſerentium, quos Carolus Borromæus, dum Romæ ſubſtitit, quinquennio nempe, ipſis in Vaticanis Ædibus coegerat) ſymbolas non ſolum ſuas contulit Valerius eaſque ſelectiſſimas, verum etiam Commentario eandem illuſtravit. Hoc edocemur, quinam foret in ea diſputandi modus, quanta animi utilitate, ac voluptate doctæ illæ tranſigerentur vigiliæ, quinam convenirent viri nobiles ac docti. Hunc fecit Opuſculo titulum: *Convivium Noctium Vaticanarum*: tituli rationem in ſæpe laudato *De Cautione* libello ipſe explicat. Federicus Cardinalis Borromæus lib. 1. cap. 8. de fugienda oſtentatione ſpem aliquando fecerat publico, ut eo una cum aliis Valerii Opuſculis frui poſſemus: verum Sociis Mediolanenſibus, qui ex Ambroſianæ Bibliothecæ codicibus Noctes illas Vaticanas in lucem emiſere, gratum referre debemus, qui laudatum *Convivium* Noctibus Vaticanis præfixerunt (e). Academiam quoque

---

(a) Silos Hiſtor. Cler. Reg. Tomo II. pag. 24.

(b) Vide Cornelium de Eccleſiis Venetis Tomo XIII. pag. 179.

(c) Eæ recenſitæ ſunt in Italicis Gregorii XIII. Annalibus libro X. Tomo II. pag. 175. Romæ 1742.

(d) Ex iis plurimas Bibliotheca cuſtodit Ambroſiana, eas maxime, quas Carolo dederat Borromæo.

(e) Prodiit Volumen Præfatione & notis a Clariſſimo Saxio illuſtratum Mediolani anno 1748.

que Philarmonicam, quæ Veronæ florebat, miris eloquentiæ ſuæ radiis colluſtravit, cum ſummis lætitiæ ſignis (a) ejuſdem Mœcenas adlectus fuit.

Sacris pro Romanorum Pontificum electione Comitiis pluries cum interfuiſſet, ubi prope aliquando fuit, ut ad ſummum Eccleſiaſtici honoris proveheretur faſtigium, opportunam nactus eſt occaſionem conſcribendi libelli: *De Utilitate ex Conclavi capienda*; quo de Cardinalis Quirini mentem referre juvat (b): *Libellum De Utilitate ex Conclavi capienda conſcripſiſſe fertur doctrina æque ac ſanctimonia clariſſimus Cardinalis Valerius Veronæ Epiſcopus, quem nec manu exaratum, nec typis editum nanciſci, quod vehementer optabamus, adhuc contigit. Si tamen divinationi locus eſt, adducimur ad credendum, eam utilitatem ſapientiſſimum illum virum ad ea ipſa literarum ſtudia præſertim retuliſſe, quibus nimirum immorantes, otium illud conſumamus, quod per plura temporis intervalla comitialis actio ſingulis impartitur*. Tanta iccirco Valerii virtus cum in ſacris muneribus obeundis, tum in gravioribus, politiſque literis colendis enituerit, tot eum clarorum virorum elogiis celebratum fuiſſe mirum non eſt, non ſolum ex Catholicis, verum etiam ex heterodoxis, ex quibus unum Bællium produxiſſe ſufficiat (c): *Valerius.... entendoit bien la languc latine, & il parloit elegamment, & facilement.... les moeurs ètoient fort edifiantes: & il s' acquita des devoirs de l' Epiſcopat en bon Paſteur*.

Præterea ſcripſit libellos pene innumeros, eoſque haud magnæ molis: qua de re ex ipſomet præſtat audire rationem, quam, ſui ut erat in primis deſpiciens, affert in proœmio Operis manuſcripti *De Occultis Dei Beneficiis*, cujus initium infra daturi ſumus: *Ad opera magna ſcribenda numquam ſum auſus animum adjicere, Horatii carmina illa uſque ab adoleſcentia memoriæ mihi inhæſerunt: Sumite materiam &c.* Paucos emendare conatum ſe eſſe, ipſe fatetur. Inter emendatos recenſeri poſſunt memoratus libellus *De Cautione adhibenda in edendis libris*, & Navagerii Cardinalis avunculi ſui Vita (d). Ex

(a) Quam primo ingreſſu decoravit, mirifice refulſit Baſilica omni ornatus genere, latinis præſertim emblematibus; latina eundem Oratione Sociorum nomine ſalutavit Franciſcus Pola. Iſthæc omnia una cum Oratione, & carminibus in funere Valerii ab eodem Academico habitis, Veronæ anno 1616. typis commiſſa ſunt: quæ deinde ne propter exemplarium caritatem perirent, Aloyſii Novarini C. R. in Tom. I. & II. Opuſculorum inſerta ſunt.

(b) Vindiciarum Pauli II. pag. 4. Romæ 1740.

(c) Bayle *Dictionaire* V. Valerius.

(d) Judicium noſtrum de hoc libello confirmat Fuſcarenus loc. cit. pag. 305. *La Vita poi del Cardinal Bernardo Navagero è forſe la miglior Opera di quante Agoſtino Valier giammai ne faceſſe*. Hanc ſub ſæculi elapſi initium Veronæ editum, ſed raro admodum occurrentem Vulpius Antonius reſtitutum nitori ſuo Cominianis typis protulit poſt libellum de Cautione adhibenda.

Ex iis vero, quæ inter Codices manuſcriptos in Bibliothecis aſſervantur, tanti Cardinalis Opuſculis, duo ſibi deſcribi fecit Cardinalis Quirinus, quæ publico donare meditabatur, quæque Quiriniana cuſtodit Bibliotheca; alterum nimirum *De Nicoſia capta*, alterum *De Occultis Dei Beneficiis*, quorum brevem ſubjicere notitiam operis noſtri pretium eſt. Cum anno 1571. urbs Nicoſia, quæ Cyprici regni princeps eſt, ſtrenue a Venetis diu, ſed irrito conatu defenſa, in Turcarum ditionem cecidiſſet, Valerius qui ad ſuæ Eccleſiæ clavum tunc ſedebat, occaſionem ejus Opuſculi conſcribendi arripuit. Præfationis loco Epiſtola eſt ad Franciſcum Venerium urbis Veronæ Præfectum, qua librum ad ipſum legendum mittit, quem ſe concinnaſſe teſtatur ex amicis eruditiſque cum eodem collocutionibus, quibus mœrentia invicem pectora mulcere ſolebant. Hunc librum inſcripſit Philippo Mocenico, Aloyſii Mocenici Reipublicæ Principis patrueli, Nicoſienſi Archiepiſcopo, cujus æque ſuaviſſima ac caſtiſſima, dum uterque Lyceum Patavinum frequentaret, uſus fuerat amicitia, quam colere, longiſſimis licet locorum intervallis diſcretus, numquam intermiſerat. Nam in eo admirabatur Valerius *præclarum ingenium*, *acre judicium*, *morum probitatem*; *ſciendi cupiditatem*, *vehemens ſtudium Religionis*, *aſſiduamque Veterum Patrum lectionem* (a); quamobrem eum exhortatur ad perficiendum quem magna ex parte *De gubernandi ratione* librum elucubrarat: *Opus illud tuum præclarum*, [ipſa verba refero prope finem libri] *quod de gubernandi ratione meditaris, quod etiam tractare cœpiſti, nunc tempus eſt, ut abſolvas, atque etiam cum aliis communices. Hoc otium ſanctum tibi donavit Dominus, quod non minimum exiſtimandum eſt donum: illo utere ad ipſius laudem, & ad hominum juvanda ſtudia*. Opus præclarum ſane ex penitiori Veterum Philoſophia, ex purioribus Sacræ Scripturæ Patrumque fontibus depromtum, dignum plane eſt, quod rerum terrenarum fluctibus vexati legant, mediſtenturque.

Alterum *De Occultis Dei Beneficiis* Opus tribus diſpertitum libris editurus tres antequam repentino obierit annos, Cardinalis Quirinus prælo deſtinarat, atque Cardinali Delphino Patriarchæ Aquilejenſi, a quo codicem acceperat, hac nuncupaturus erat inſcriptione:

Aureum Libellum
Quem Mibi
Cardinalis Ampliſſime
Ex Codicibus MSS. Bibliothecæ Tuæ

Dono

(a) In ipſo Opuſculo ejus laudes ita celebrat.

Dono Dediſti
Nunc
Brixianis Formis Excuſum
Tibi Ipſi Offero
In Obſervantiæ Erga Te Meæ
Gratique Animi Argumentum
A. M. Cardinalis Quirinus.

Eminentiſſimi Cardinalis conſilium, quo utrumque libellum edere ſtatuerat, nos, otium Deo dante, exequemur: interim ſpeciminis loco Valerii Præfationes utrique ſubjicimus:

Auguſtinus Epiſcopus Veronæ
Franciſco Venerio Veronæ Præfecto.

CUm de Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu ac variis periculis, proximis diebus multa audierimus, & Patriæ chariſſimæ matris noſtræ, veræ Religionis, pacis & libertatis altricis multiplices perturbationes, Nicoſiæ, quæ Cyprii Regni eſt caput, everſionem, & calamitatem nobiſcum conſideraremus, vix conſolationem ullam capere poteramus. Afferebas tu multa ex Philoſophorum libris ſumpta: nihil novi accidiſſe, mutabilia eſſe omnia, quæ infra globum Lunæ ſunt, extrinſecus non eſſe pendendum, humana æquo animo ferenda, mærorem eſſe mollis animi indicem, nihil prodeſſe, obeſſe potius quamplurimum. Quæ & ipſe confirmabam, ſunt enim veriſſima. Sed tamen ut in arte medica multo facilius eſt ſalutaria laudare medicamenta, quam ea ægris corporibus adhibere, ita accidit nobis, qui etſi illas, quas dixi, & pleraſque alias ſententias habemus in ore, aſſequi tamen non poſſumus quin doleamus, & voces multas doloris plenas proferamus. Cum autem in Philippi Mocenici miſerrimæ Urbis Archiepiſcopi, quem uterque noſtrum mirifice ob ſuaviſſimum ejus ingenium, multiplicem doctrinam, & varias virtutes diligit, mentionem incidimus, incidimus autem ſæpe, magis etiam dolemus. Quam ob rem ut me ipſe primum, deinde clariſſimum fratrem meum Archiepiſcopum, qui fortaſſe pro ſua prudentia conſolatione non eget, conſolarer, ſcripſi in magnis occupationibus libellum de amiſſa Nicoſia, quem ad te ſtatim mittendum judicavi, quia e familiaribus ſermonibus noſtris quaſi videtur natus. Si amor Patriæ communem mærorem alens impedit quominus tu etiam robore animi armatus omnem poſſis mærorem abjicere, lege hoc opuſculum, quo illum fortaſſe lenies: ſi nulla eges conſolatione, adde aliquid quod ad alios conſolandos conferre poſſe exiſtimas. Vale.

Ex Epiſcopatu Cal. Februarii MDLXXI.

DE MANIFESTIS OCCULTISQUE DEI BENEFICIIS
Præſertim erga Epiſcopos
LIBRI TRES.

Federico Cardinali Borromæo Archiepiſeopo Mediolanenſi Auguſtinus Cardinalis Veronæ Epiſcopus S. D.

IN tanta rerum humanarum varietate, in tam magna rerum contingentium latitudine, accidit ſæpiſſime, ut non ſolum deeipiantur homines ſpecie rerum, ſed ea vehementer exoptent, & magno ſtudio conſequi nitantur quæ minime ipſis utilia, pernicioſa potius futura ſint: quod uſuveniſſe fere omnes eognoſcunt. Quæ enim expetita ſunt valde, quæſita diligentiſſime, acquiſita etiam facile, & quæ lætitiam maximam attulerunt, triſtem ſæpe exitum habent: & quæ moleſtiam attuliſſe ab initio maximam videntur, & effugienda valde & deploranda putamus, occulta & magna Dei beneficia in nos collata fuiſſe reipſa comperimus. Hæc ipſa oceultorum Dei beneficiorum meditatio, Divinæ providentiæ illuſtris portio, paternæ gubernationis, & eximiæ charitatis in genus humanum compendium, quod ad tollendam omnem querimoniam & ad interiorem lætitiam conſervandam confert plurimum, eſt Paſtoribus animarum valde cognoſcenda, ſenili vero ætati opportuna & neceſſaria. Quamobrem cum inter ſeniles ſermones, qui aliquando inter Cardinalem Florentiæ, & me ambos ſexagenarios haberi conſueverunt, ineidiſſet ſermo de occultis Dei beneficiis, & eidem Cardinali Florentino, quem uterque noſtrum mirifice diligit & obſervat, aliquid præter ejus opinionem, & voluntatem contigiſſet, nimirum, ut Legatus ad Henricum Quartum Gallorum Regem a Clemente VIII. Romano Pontifice declararetur; Provinciam tantam cum non libenter ſuſcipere idem Cardinalis videretur, quamquam ad eam ſuſtinendam rationibus plurimis idoneus ſit, libros tres ſcripſi, de Occultis Dei beneficiis, in quorum poſtrema parte, non ſolum occultum, ſed manifeſtum fuiſſe illud collatum benefieium, quod difficillimis temporibus ſexagenarios Reipublieæ Chriſtianæ conſulat, tam longum iter ſuſcipiat, cum aliquo etiam vitæ periculo. Hoc ipſum argumentum tractans, interdum ineidi in mentionem Caroli Cardinalis noſtri, cui poſt alterum in illo Archiepiſeopatu ſuccedis, De Paſtoralibus etiam ſollicitudinibus cum aliqua inſeruiſſet, occulta & maxima fuiſſe Dei beneficia animadverti.

Communicandum eſſe tecum, ampliſſime & amantiſſime Cardinalis, hoc ipſum opus cenſui. De aſſiduis & maximis laboribus Paſtoralibus tuis multa in Urbem perſeruntur, ad aures etiam Beatiſſimi Patris Noſtri Clementis pervenerunt: de quotidianis Sacrificiis tuis,

de

de celebratione Divinorum Officiorum in Cathedrali Eccleſia, de verbi Dei prædicatione, de Parochialium Eccleſiarum viſitatione, de eleemoſynis tuis, de hoſpitalitate, de piorum locorum incrementis, de patientia in audiendis ſingulis, qui te conveniunt, de imitatione domeſtica Patruelis tui narrantur plurima, & audiuntur magna cum animi voluptate ab omnibus, præſertim a me, qui te unice diligo: illud etiam ipſum, quod ſerviens Deo corporis valetudinem videaris negligere, & quotidie magis corpus tuum in ſervitutem redigas, libenter audio, ſperans illum ipſum bonorum largitorem Deum, cui ſervis, effecturum ut incolumis diu munus tuum obeas, & ad lucrandas Chriſto animas tuo exemplo alios Paſtores excites. Libros hos meos [certo ſcio] non recuſabis legere, cum meis ſcriptionibus delectari ſoleas, & in libellis meis avide legendis amori indulgeas in me tuo; Renatum Comitem fratrem tuum mœrore confectum magno ob dilectiſſimæ, & nobiliſſimæ uxoris obitum meis verbis conſoleris, & ſalutes velim. De officiis autem, quæ in morientem, deinde & mortuam ejus uxorem pie contuliſti, ut in cæteris, laudandus es valde. Occultum Dei beneficium vir nobilitate, & pietate præſtans frater tuus exiſtimet, quod ſuſceptis filiis, Uxore in Domino mortua, libentius & ferventius ſervire poſſit Deo, & moderationis animi, & plurimarum aliarum virtutum exempla dare. Quod futurum eſſe, ſuaſore in primis te tanto Fratre, & totius illius Civitatis Paſtore, & utriuſque veſtrum matre, graviſſima & prudentiſſima matrona hortante, non dubito. Dominus Deus te pro Collegii noſtri ornamento, & tui gregis utilitate ſervet incolumem, Cardinalis optime & Paſtor vigilantiſſime.

DE OCCULTIS DEI BENEFICIIS LIBER PRIMUS.

Ad Alexandrum Mediceum S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum, Archiepiſcopum Florentinum

PROŒMIUM.

Senum eſt ſenilibus delectari colloquiis. Colloquentes nos plerumque ſexagenarii ambo recreare conſuevimus ſenectutem noſtram. Hi ſæpe fuerunt colloquiorum noſtrorum epilogi: inanes cogitationes noſtras, vana ſtudia mortalium, ſpes fallaces, mare perpetuo agitatum eſſe vitam humanam, ærumnis plenam, miſeriis quampluribus expoſitam, curas hominum in cœlos eſſe dirigendas, extrinſecus minime pendendum, noviſſima meditanda: has ætati noſtræ morti proximæ congruas, & opportunas eſſe meditationes; & quia in ſermonem de querulis hominibus, quorum plena ſunt omnia, incidimus, per-

proſerebamus hæc: Animal ſagax, & providum homo, ad cujus uſum omnia, quæ cælo, & terra continentur, creata ſunt, ad quem maxime pertineret diebus ſingulis, immo momentis potius, in aſſidua gratiarum actione verſari, innumerabilia & quotidiana Dei beneficia non perpendens, quaſi ſibi omnia a Clementiſſimo Cæli, & Terræ Deo debeantur, queritur, & domeſticæ infelicitatis auctor factus, miſerabiliter ſcipſum excruciat angore animi, & querelis plurimis. Quamobrem in hominem pulcherrimis titulis inſignitum, ob ejus culpam hos convenire etiam titulos dicebamus, ut ſit inquietum, ingratum, miſerabile, querulum animal; querelarum autem, in aulis Principum, præſertim Romæ plena ſunt omnia, qui innumerabilia Dei beneficia non conſiderantes, & occulta Divinæ Providentiæ munera reſpuentes, immo ea ipſa calamitates interpretantes, plerumque inſaniunt, ſuam oſtendentes levitatem, querimoniis ſuis ridiculi efficiuntur. Has ob cauſas argumentum minime contemnendum, laborem non infructuoſum, cum inter nos familiariter loqueremur, [ut ſolemus] exiſtimavimus, ſi de occultis Dei beneficiis ſcriberetur, & publica negotia, quæ Romæ nulli Cardinali deeſſe poſſunt, lucubrationibus hujuſmodi condirentur. Etiam hac ratione aulicis quampluriniis, cognitione occultorum beneficiorum Dei maxime indigentibus, ut a querelis, a detractionibus, a maledicentiis, ab invidia ſuperbiæ filia, & calamitatum domeſticarum infeliciſſima propagine liberentur. In qua lucubratione, in quo ſcribendo Commentario, nemo, qui ſcripſerit, ſibi etiam ipſi non conſulat, cum vix fieri queat, ut aliquis hoc ipſo medicamento meditationis occultorum Dei beneficiorum non indigeat, & de iis quandoque non ſit queſtus, de quibus queri non oportuerat; tanta eſt humanæ naturę infirmitas, tam late ſerpit morbus querimoniæ. Agam igitur de re propoſita ordine quodam adhibito, non tamen exquiſito; nec omnia, quæ dici poſſent, complecti eſt in animo, opus enim nimium excreſceret. Ad opera magna ſcribenda nunquam ſum auſus animum adjicere, Horatii carmina illa uſque ab adoleſcentia mihi memoriæ inhæſerunt: Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam viribus, & verſate diu quid ferre recuſent, quid valeant humeri. Opuſculis ipſe delectatus ſum, & delector, non ſane ut doceam, ſcio enim quam omnia in me ſint minus quam mediocria, ſed ut me ipſum interdum recreem, ut illis, quos præcipuo amore diligo, obſequar, ut quoſdam ad uberius tractanda argumenta, quæ ipſe ſolum attingo, excitem, ut denique lucubrationibus hujuſmodi otioſam prorſus vitam me non traduxiſſe, conſanguineis meis, qui futuri ſunt, teſtatum relinquam. De hac autem mea, quantulacunque eſt, induſtria, modo culpam vitem, nullam unquam laudem poſtulo.

Quæ

Quæ vero typis conſignata Valerii Opuſcula ad noſtram notitiam venere, ſunt

I. *PRæfationes XI. Venetiis habitæ, cum moralem Philoſophiam explicaret*. Ex libro De Cautione adhibenda in edendis libris pag. 17.
II. *De recta philoſophandi ratione libri II.* Ibidem (a).
III. *Epiſtola, qua laudatur liber Hieronymi Oſorii de Juſtitia*. Ibidem. Edita vero fuit primum una cum eodem libro ſine Valerii nomine, deinde recuſa, eo addito. pag. 18.
IV. *De Accolytorum diſciplina libri II. ad Accolytos Veronenſes*. Horum duas habeo præ manibus editiones: alteram Venetam anni 1571., alteram Veronenſem anni 1583., in utraque eſt Præfatio Franciſci Adurni S. J. ad Clericos Mediolanenſes, cujus tamen nomen reticetur in prima editione. In ea Adurnus ſperare ſe dicit gratam fore D. Carolo eam editionem, quia eum Valerius unice colebat.
V. *Bernardi Cardinalis Navagerii Vita*. Veronæ 1602. & Patavii cum Libro de Cautione &c. 1719.
VI. *De Rhetorica Eccleſiaſtica libri tres*, Venetiis 1574., & alibi ſæpius.
VII. *Prælectiones tres de Rhetorica Veronæ habitæ*. Extant cum ejus Rhetorica, & alibi.
VIII. *Epiſcopus, ſeu de Optima Epiſcoporum forma*. Editus eſt Mediolani primum, juſſu D. Caroli, deinde Veronæ una cum libello, cui titulus: *Cardinalis*, Sylvio Antoniano curante anno 1586., recuſus anno 1604., recenter præmiſſa Venturæ Vita Venetiis 1754.
IX. *Vita Cardinalis Borromæi*, quam Cardinali Antonio Caraffæ miſerat legendam Sylvius Antonianus, exemplar ab eodem Valerio nactus, pulchraque adornatam præfatione Cardinali Andreæ Bathoreo dicavit: qua ex præfatione diſcimus, Valerium accepto Romæ luctoſiſſimo de Borromæi obitu nuntio, omnium primum voluiſſe per æſtivos calores, ſanctiſſimi Archiepiſcopi, quæ ſuiſmet oculis viderat, geſta immortalitate digna conſignare poſteritati. Veronæ 1686., & 1604. una cum *Epiſcopo & Cardinali*.
X. *Libellus de iis, quæ anno 1577. Veronæ acciderunt, cum peſtilentiæ ſuſpicione laboraretur*. De Cautione adhibenda &c.

XI.

(a) Cum nonnullis Rhetoricis Opuſculis Auguſtinus Nanius edi curavit Veronæ 1577.

XI. *Libellus : Cur Conſtitutiones ipſe hactenus non ediderit*. Extat in calce Conſtitutionum Joannis Matthæi Giberti Epiſcopi Veronenſis, quæ a Valerio recognitæ, notis illuſtratæ, atque ad Concilii Tridentini Decreta exactæ ſunt. Veronæ 1589. Et inter Opera Giberti Veronæ.

XII. *Conſtitutiones ad Dalmatiæ, & Iſtriæ uſum* De Cautione &c. pag. 35.

XIII. *Liber Paræneticus Conſtitutionum Venetarum a Valerio, & Campegio editarum, cum viſitandi munere functi eſſent*. Ibidem.

XIV. *SS. Epiſcoporum Veronenſium hiſtoriæ contextæ ex Opere Raphaelis Bagattæ*. Venetiis 1576.

XV. *De Benedictione* Agnorum Dei *a Gregorio XIV. anno* 1591. *peracta*. Extat cum Panvinio de Baptiſmate Paſchali. pag. 165.

XVI. *Quædam de utilitate capienda ex hiſtoriis de Regno Italiæ ad Nicolaum Barbadicum Prætorem & ad Aloyſium Equitem Contarenum Præfectum Veronæ, unanimes Rectores*. Extant Tomo VI. Operum Sigonii pag. 1069. Mediolani 1737.

XVII. *Convivium noctium Vaticanarum*. Mediolani 1748.

XVIII. *De Jubilæo Anni Sancti, quod anno* 1600. *Clemens VIII. celebravit*. Edidit pene ex integro Cardinalis Quirinus in Epiſtola ad S. P. Benedictum XIV. Brixiæ die 7. Januarii 1749. Decadis VI. epiſtola X., & in Editione omnium Quirini Epiſtolarum a Coleto Venetiis facta anno 1756., eſt num. LXV.

XIX. *Libellus : Quatenus cum iis, qui a S. Matris Eccleſiæ gremio receſſerunt, ſit verſandum. Ad Nicolaum Tomiskum Polonum*. Extat in Epiſtola Cardinalis Quirini ad Sigiſmundum de Kollonitz S. R. E. Cardinalem & Viennæ Archiepiſcopum data Brixiæ pridie Idus Februarii 1749. In Editione Coleti num. LXVI.

XX. *Libellus : De paterna charitate Clementis VIII. erga ampliſſimum Regnum Galliæ ad Federicum Cardinalem Borromæum*. Extat in Epiſtola Quirini ad laudatum Pontificem (a). Brixiæ die 23. Aprilis 1749. In Editione Coleti num. LXIX.

XXI. *Epiſtola ad Petrum Franciſcum Contarenum*. Tomo I. Anecdotorum I. B. Contareni. Venetiis 1757.

XXII. *Oratio in funere Marci Antonii Triviſani Venetorum Ducis*. Ibid.

XXIII. *Gratulatio ad Petrum Franciſcum Contarenum Venetæ Urbis Patriarcham*. Ibidem.

XXIV. *Oratio in obitu ejuſdem*. Ibidem.

XXV. *Epiſtola ad Laurentium Bernardum*. Ibidem.

XXVI.

(a) XIX. & XX. Valerii Opus una cum duabus Quirini Epiſtolis italice reddidit vir politiſſimis moribus ac politioribus excultus litteris Franciſcus Torricenus Civis Brixianus, typiſque commiſit Jacobus Turlinus Brixianus 1749.

XXVI. *Commentarius Legationis Bernardi Navagerii ad Paulum IV. Papam*. Ibidem.

XXVII. *De Venetæ Reipublicæ laudibus*. Ibidem.

XXVIII. *Dialogus de Ambitione ad Joannem Grittum*. Ibidem.

XXIX. *Ricordi per ſcrivere le Storie della Republica Veneta*. Ibidem.

XXX. *Endecaſyllabon in laudem hiſtoriæ belli Cyprici Antonii Mariæ Gratiani*. Extat Tomo I. pag. LIII. Operis *De Scriptis invita Minerva*, quod publici juris fecis laudatus Lagomarſinius.

XXXI. *Epiſtola Jo: Franciſco Muſato*: extat in memoriis Hiſtoriæ Litterariæ Tom. IV. Particula III. pag. 20. Venetiis 1754.

XXXII. *Iſtituzione de' quatro ſtati delle Donne Chriſtiane*. Padova preſſo il Comino. 1744.

X X I I I.

FEDERICUS CORNELIUS Senior *Anno* MDLXXXXV.

Hunc antequam Cardinalitia dignitate Sixtus V. exornaret, deſtinaverat Gregorius XIII. ad ſacram una cum Auguſtino Valerio Venetæ Eccleſiæ luſtrationem. Erat enim in eo gravitas ſumma, & naturalis quædam auctoritas ab Eccleſiaſticarum rerum, Patriarumque conſuetudinum cognitione minime disjuncta. Verum ne illud ſibi oneris imponeretur, ſupplices Pontifici dedit libellos, quibus probatis, in ejus locum Laurentius Campegius ſuffectus eſt (a). Hieronymum Mercurialem æque rei medicæ ac eruditionis gloria Patavino in Lyceo florentem, amore proſecutus eſt adeo munifico, ut ſuarum ædium *de Turre* cum horto & viridario uſumfructum ipſi quoad viveret, elargitus ſit (b).

X X X I V.

JOANNES FRANCISCUS MAUROCENUS *Anno* MDLXXXVIII.

JOANNI FRANCISCO MAUROCENO in Annalibus Gregorii XIII. latinis, loco ex Ciacconiano Opere huc tranſlato (c), gloriæ tribuitur, quod Baylivii munus Conſtantinopoli gerens, humaniter una cum Gallico Oratore duos exceperit Pontificis internuntios, eoſ-

(a) *Annali di Gregorio XIII.* Tom. II. pag. 180. *Roma* 1742.
(b) *Lettere del Secolo XVII.* pag. 468. *Venezia* 1744.
(c) Pag. 246.

eoſque rem Catholicam curantes juverit ope omni; quæ laus in iiſdem Italicis Annalibus uni tributa eſt Jacobo Germinio Gallico Oratori, tacito prorſus Mauroceni nomine (a). Epiſcopo Brixiano Joanne Delphino vita functo, alius cum eſſet ſufficiendus, illud plane mirum contigit, ut Gregorius Pontifex Maximus Antonio Cardinali Caraffæ provinciam dederit ſecreto interpellandi aliquot ex Ordinum Religioſorum Præſulibus urbis Venetiarum, quem ipſi ex Venetis Patritiis ad Inſulas Brixianas aptiorem putarent, quorum omnium in Baylivium Maurocenum vota, conſiliis invicem minime collatis, conſenſere. Quod admiratus Pontifex Maurocenum continuo Brixianorum deſignavit Præſulem, eumque Conſtantinopoli degentem, certiorem fecit; Gregorio vero paullo poſt e vita ſublato, Sixtus V. prædeceſſoris electionem confirmavit. Renuerat Maurocenus novum onus, ſupplicesque Pontifici dederat excuſationis epiſtolas, quæ, ut Pontifici probarentur, ad Patrii Senatus vota confugerat; verum Sixtus a ſententia non receſſit, quamobrem curis muneribuſque ſuis expeditus, Brixianam provinciam adminiſtrandam ſuſcepit, Brixiamque tandem nonis Decembris anni MDLXXXXV. ingreſſus, Pontificio apparatu magnaque pompa ſuſceptus (b), erudita italica Oratione a Davide Podavino principis Eccleſiæ *Manſionario* Civitatis nomine fuit ſalutatus (c). At intervallo temporis nimis brevi in Paſtoris vultu conquieſcere Brixia potuit; namque ab eodem Pontifice miſſus fuit Legatus in Galliam, utpote illius Regni peritiſſimus, & turbarum quæ inibi erant: illud enim in Regnum ante venerat Orator pro Veneta Republica, regnante Henrico III., cui ob ſenatoriam ſententiam, ſimplicem in loquendo veritatem, conſtantem in agendo fidem valde acceptus fuerat (d).

Ibidem degens ſacro Cardinalium Collegio ab eodem Sixto V. adſcriptus eſt, qui Gallicanorum, quæ tum agitabantur, negotiorum expers eſſe nolens, cupiduſque adjuvandi fœderatas Catholicorum partes adverſus Ugonottos, de Legato ad id opportune deligendo cogitavit. Virum ſcilicet quærebat, qui ſuo nomine Sanctæ illi Statuum unioni intereſſet in illis, quæ ad Religionem ſpectarent,

(a) Hujus rei ſilentium in editis Gregorii Annalibus probabiliter Manuſcriptorum tribuendum eſt diſcrepantiæ, qua de re videſis in eoſdem Annales Præfationem pag. XIX.

(b) Res narrata eſt in funebri ejus Oratione.

(c) Eam continuo typis vulgavit Policretus Turlinus. Primus hic Mauroceni ingreſſus conſtat etiam ex initio deſcriptionis alterius ingreſſus longe ſplendidioris mox commemorandi.

(d) Catharinus Davila lib. IX. Hiſtoriæ.

rent, & ad Romana jura, nequid ea detrimenti caperent: quique per Cardinalem Borbonicum, perque Guiſæ Ducem, accelerarent apud Regem eorumdem Catholicorum Conventum, ſententiamque Regiam eliceret adverſus Regem Navarræ Henricum Borbonicum, adverſuſque Principem Condæum ejuſdem ſanguinis, prognatos Roberto Comite Claramontenſi, ſecundogenito Ludovici IX.; ſavebant quippe Hæreticis ab hiſque in primis ſtabant: eaque de cauſſa regnum ad ipſos pervenire nullo modo poterat, ubi Rex decederet, qui nullos habebat filios, in eoque ſtirps Valeſiorum deſinebat.

Neſciebat Pontifex, quemnam ad eam dignitatem proveheret, quo Galliarum regno, & Religioni, & Apoſtolicæ Sedi ſimul conſuleretur. Nolebat ex una parte Regem a ſe alienare, ne ab Hæreticis ſtaret, ad quos propenſus videbatur: ex alia Guiſæ Ducem refugiebat offendere, præcipuum Catholicorum caput. Hac de re certior factus Rex per Legatum Piſanum, Venetæ Reipublicæ nomine in Galliis reſidentem, virum mitti a Pontifice cupiebat, memorato Duci minime familiarem. Hinc apud Sanctam Sedem ſtrenue agebat, ut Legatus crearetur Maurocenus Brixiæ Epiſcopus. Hujus virtutem prudentiamque ſummam Pontifex compertam habens, ex iis præſertim, quæ pro Venetis ante ille egerat; ipſiuſque, ut Veneti Patritii, animum a Galliarum regno non alienum fore confidens, neque partium, æquum ultra, ſtudioſum [hoc enim Sua Sanctitas cupiebat, niſi ſicubi negotia Religionis, & Romanæ Eccleſiæ aliter poſtularent] eumdem Legatum renuntiavit, Regique ac Catholicorum Societati æque gratum ſecit. Hujus Societatis Proceres cum de eo certiores per literas feciſſet, & erga Legatum bene animare curaſſet, ii Pontificis literas prælo excuſas ediderunt. Quod gravate Rex tulit; nolebat enim, ea de re ad Sociorum capita ſic ſcriptum eſſet. Noſtrum Præſulem Pontifex inde Cardinalem creavit, quarto nempe anno Pontificatus ſui, die xv. Julii, tituloque Presbyteri *S. Mariæ in Via* ornavit. Curavit idem Pontifex O. M. ut in urbe Bleſenſi, ubi generale Galliarum Concilium habendum erat menſe Octobri anni MDLXXXVIII., in Edictum ad Catholicam Unionem juraretur, & Synodus Tridentina admitteretur. Juravit Rex, & ratas habuit Societatis conditiones: ſecus de Synodo Tridentina ſactum.

Perſiſtebat Cardinalis noſter apud Regem, cum Bernardinus de Mendozza Legatus Hiſpanus, ſecuta Guiſiorum, Ducis nempe ac Cardinalis fratrum, cæde anno MDLXXXIX., audiens, Regem ab Ugonottis ſtare, Bleſenſi relicta, in urbem ſeceſſit Pariſienſem. Hinc anceps Cardinalis quid conſilii caperet: Regem inde verebatur

 de-

deſerere, ne tota ſpes corrueret eum redigendi ad Catholicorum partes: reprehendi aliunde metuebat, ſi minus, quam Legatus Hiſpanus, de Religione ſollicitus videretur. Nihilominus ſtatuit non abſcedere, priuſquam rerum exitum videret. Id fiebat eo conſilio, ut morbo invaleſcenti, quatenus liceret, occurrendi quamlibet occaſionem captaret: interim Romam literis certiorem facere, ac conſulere non deſiſtens. Non omnem tamen ſuſpicionem evadere potuit, ejuſque conſilia itidem ſuſpecta eo uſque habebantur, ut cum eo Pontifex, tamquam reo, non tamquam Legato, agere videretur. At Sanctitas tandem Sua, quod ipſe geſſerat, approbavit, ipſiuſque prudentiam valde commendans, magni conſilii virum eumdem appellavit, Cardinalis candorem, & ſummam in agendo dexteritatem admiratus. Maxime vero laudatum ſpectatumque fuit, quod illum, ſedatis iis turbis, feciſſe conſtabat. Ad ſacram enim rem Cardinalis noſter a Rege per eum, qui a ſecretis erat, vocatus, ſapienter illum increpaſſe dicitur, Cœlique ipſi & Eccleſiæ minas intentaſſe, niſi Præſules in carcerem ab eodem conjectos, liberaret. Tentaverat etiam ſæpe ac valide in ſuas partes trahere Cardinalem Vandomenſem, qui partes Regis ſequebatur, etſi avum ſuum de ſeque benemeritum, in vinculis detentum videret.

Exierat Aula regia, Pariſioſque reliquerat noſter Maurocenus, ut Ducem Menæ conveniret, unum ex Catholicæ Societatis principibus, quocum de novis conditionibus ageret. Congreſſus nihil elicuit a Duce, ſui propoſiti quam tenaciſſimo. Interim fuit Rex a Summo Pontifice anathemate perculſus, facultaſque ſubditis data, ut ab illo citra piaculum deſciſcere poſſent. Noluerat enim Rex Præſules dimittere, in his Archiepiſcopum Lugdunenſem, quamvis ad id Paſtor noſter ſuo & Pontificio nomine humaniſſime hortatus eſſet. Quo tempore etiam Sabaudiæ Dux miſerat in Provinciam Comitem Franciſcum Martinengum ſui exercitus principem Ductorem, & Dominum Amadæum ſuum fratrem contra Genevenſes, qui defecerant. At cum omnia in pejus ruerent, interim vota Romæ ac Brixiæ ob reditum noſtri Mauroceni ad Deum effundebantur.

Reverſus Romam, expoſita Romano Pontifici legatione ſua, & ab illo approbata, inde Brixiam in ſuæ Sponſæ ſinum convolavit, Gregemque maxima lætitia affecit. Ingreſſus eſt per portam, quam DD. Nazarii & Celſi appellant.

Ipſius adventus magna celebritate ſuſceptus fuit. Orationum, Laudationum & Carminum in virtutes tanti Principis, ſummi ergo gaudii, quo exultabat Brixiana populoſiſſima vrbs, tanta fuit

ſuit copia, ut, ſi vellem ſingula referre, magni voluminis moles exurgeret (a).

Interfuit deinde duorum Pontificum creationi Urbani VII. XVII. Cal. Octobris anno MDXC., & Innocentii IX. Nonis Decembris ejuſdem anni. Egreſſus e Pontificiis Comitiis, impetrataque a novo Summo Hierarcha facultate remeandi ad cariſſimum, quo nihil ei erat antiquius, Gregem ſuum, Albertum Valerium celeberrimi illius Cardinalis Auguſtini ex fratre nepotem, electum Epiſcopum Famaguſtæ in regno Cyprio, *Coadiutorem* deinde patrui *cum ſpe futuræ ſucceſſionis* ad Eccleſiam Veronenſem, initiavit Epiſcopali charactere anno MDXCI. eximia pompa in principe Brixiano Templo, manibus adjutus, juxta ſacrorum Canonum ſanctiones, duorum Epiſcoporum, Cremenſis nempe & Bergomenſis. Hinc Diœceſi caſtioribus moribus imbuendæ ſe totum devovit, nullumque non movit lapidem, ut vitia cum publica, tum privata evellerentur, unde regimen ejus numeroſiſſimi quamvis populi ſine turbis fuit, nec adverſa paſſus eſt. In cauſſa erant, ut ajebat ipſe, Statuta Sanctioneſque ſacræ Caroli Cardinalis Borromæi, quæ ſibi ceu canonem ac normam ſuæ adminiſtrationis propoſuerat, tantique a Brixiano populo fiebant, ut iis non parere piaculum duceretur. Verum totus ovilis curæ dum incumbit, iterum Romam a ſummo Pontifice Clemente VIII. Innocentii IX. Succeſſore accerſitur; tantaque continuo apud novum Pontificem valuit auctoritate & gratia, ad ejus ut arbitrium graviora quæque expedirentur negotia. Suæ tamen Sponſæ haud oblitus, omnem in eo poſuit curam, ut quamquam corpore abeſſet, animi tamen præſentiam experiretur. Vicarios Generales frequentiſſimis literis admonebat, ut in officium ſibi creditum ſtrenue incumberent, ſeque de ſingulis Eccleſiæ neceſſitatibus certiorem facerent. Ut novis Dominicæ vineæ Cultoribus Brixiana Eccleſia ditaretur, dedit operam ut Fratribus S. Franciſci de Paula locus tribueretur in urbis ſuburbio ad Orientem, & F.F. Min., vulgo *Cappuccini*, in Urbem reciperentur. Inſuper

(a) Ingenti plane Volumine ſplendidiſſimo Brixiæ anno ſequenti 1591. per Vincentium Sabbium edito, quem fecit Brixia magnificus apparatus deſcriptus eſt, in quo arcuum triumphalium icones typis æneis exhibentur, eorumque inſcriptiones aptiſſimæ & doctiſſimæ a Publio Fontana Bergomate Poeta celebri; cujus carmina celebravit Cardinalis Quirinus Epiſtola Viro Cl. Jo: Chryſoſtomo Trombellio nunc Præſide Generali Congregationis Can. Regul. S. Salvatoris data: in unum autem collecta volumen Alexander Furiettus S. R. E. Cardinalis, præmiſſa erudita Præfatione, jamdiu vulgavit. Advertere placet poſt pag. 46. in icone ſtatuarum Corneliorum & Maurocenorum ſub Aloyſio Card. Cornelio legi, *Epiſc. Brixiæ*, cum legendum ſit, *Epiſcopus Bergomi*. Idem error irrepſit & in pag. 48.

ob oculos ipſos habens probeque ſciens quantum in expolienda populorum pietate, boniſque fovendis moribus, atque Eccleſiaſtica diſciplina promovenda valerent Clerici Regulares, vulgo *Theatini*, novum Eccleſiæ ſuæ adminiculum paraturus, cum Patribus hujus Inſtituti, qui ob celebranda Generalia Comitia Romæ coierant, enixe egit, ut quod D. Carolo Borromæo Metropolitæ ſuo pro Eccleſia Mediolanenſi paucos ante annos indulſerant, id ſibi ejuſdem Archiepiſcopi *Suffraganeo* minime denegarent pro ſua. Poſtulabat ſcilicet ut aliquot ex ſuis viros mitterent, quorum vitæ probitate, aſſiduiſque laboribus vinea hæc excoleretur, exhibita eiſdem vacante D. Georgii Parœcia; at cum Patribus, explorata propius re, ſuſcipiendæ Theatinorum diſciplinæ ſuiſque muneribus exercendis ea ſedes minus opportuna viſa fuiſſet, ab incœpto deſtitit. Negotium hoc epiſtola Romæ ſcripta die XXIX. Aprilis an. MDXCV. piiſſimo viro Alexandro Lucciago ſignificavit, cujus ipſe conſiliis in hujus Eccleſiæ adminiſtratione prudenter utebatur; quanta enim pietas & prudentia eſſet in Lucciago, *oſtendunt* res ab eo geſtæ, typiſque Brixiæ editæ ab Octavio Hermanno familiari ſuo anno MDCVIII., ſed in primis Acta Apotheoſeos, quam hiſce, quibus hæc ſcribimus, diebus urgent conatu omni nobiles Lucciagorum familiæ. Epiſtolæ fragmentum a Mauroceno ſcriptæ afferendum exiſtimamus ex Autographo nobis communicato a clariſſimis Lucciagis, quos honoris gratique animi cauſſa nominatos volumus.

Illuſtre Signore come Fratello. Io ſperavo d' aver guadagnati i Padri Teatini, che ſe ne veniſſero a Breſcia in S. Georgio, ma in effetto nel loro Capitolo l' anno ricuſato, e ſe bene ancora io vado ſperando di fare, che la Santità del Pontefice [che s' è con molta pronezza contentato] li poſſi perſuadere, nondimeno io temo anco il contrario, & in tal caſo reſtarei con gran penſiero di quello che ſi poteſſe fare per provvedere a quella cura di S. Georgio, che eſſendo nella Città, ed avendo li Carcerati ſotto il ſuo governo, mi pare che meritarla perſona di qualità, e di bontà maggiore dell' ordinario. Però prego V. S. a conſiderare bene ſopra di ciò, e vedere quel Soggetto le parerà a propoſito per quella Chieſa.... In effetto deſidero da V.S. il conſiglio, & aviſo per proveder bene a quella Chieſa, quando non ſi poſſano convertire queſti Padri Teatini. E queſto che le ſcrivo V. S. lo tenirà ſecreto appreſſo di ſe, e mi aviſarà quanto prima il ſuo parere. &c. Faccio fine, e me le raccomando, pregandole dal Signore Iddio col Signore ſuo Padre, & tutta la Caſa ogni contento.

Di V. S. *A* XXIX. *d' Aprile* MDXCV.

Amoroſiſs. Fratello
Il Card. Moroſini.

Jam

Jam vero cum intellexiſſet Cardinalis, oblatam Eccleſiam minus *Theatinis* arriſiſſe, re infecta, ſuæ Sponſæ deſiderio permotus, pervicit tandem ut ſibi ejuſdem inviſendæ a Romano Pontifice fieret poteſtas. Itaque anno quinto ſupra milleſimum quingenteſimum nonageſimum inter obſequia Virorum nobilium, & plauſus univerſi populi Urbem Brixiam ingreditur, tantum eidem afferens lætitiæ, quantum diſceſſu ſuo Romanæ Aulæ attulerat triſtitiæ. Anno proxime ſequenti annos octo & quinquaginta natus, diem obiit ſupremum die Januarii decima quarta hora noctis ſexta anno MDXCVI. Morienti adſuit Joannes Baptiſta Milanus Patricius Venetus, e Clericorum Regularium familia ad Bergomates Inſulas promotus, qui & juſta perſolvit: funeri interfuere Prætores Urbis Joannes Baptiſta, & Theodorus Balbi. Grex mœſtiſſimus in obſequia & laudes ſe effudit tanti Paſtoris deſiderio. Fuerat amantiſſimus Pauperum, ad eoſque ſublevandos quam promtus vivens, tam beneficus moriens; urbanos enim pauperes inſtituit ex aſſe hæredes. Religione ac vigilantia inſignis, *Juſtus*, *Gravis*, *Prudens*, *Pius*, *Temperatus & Sanctus* appellatus. Monumentum Brixianis reliquit Numiſma cum Indulgentiis, munus Sixti IV. Pont. Max., quod aſſervatur in Stylobate Sanctæ Crucis dictæ *D'Oro-Fiamma*. Jacent ipſius Oſſa in Templo principe exadverſum Aræ SS. Crucis ſplendiſſime repoſita; elegantem inſcriptionem, quæ vitæ & rerum ab eo præclare geſtarum epilogus eſt, inſculpi juſſit Marinus Georgius ejus frater patruelis, qui eidem in Epiſcopatu ſucceſſit: qua, utpote hoc in Opere (a) edita, prætermiſſa, aliam ſubnectimus æque elegantem, quam Auguſtinus & Aloyſius Mauroceni, Franciſci fratres, marmori incidi fecerunt Venetiis in Sacello de jure gentis Maurocenæ, quod ad ſiniſtram exurgit aræ principis Eccleſiæ Monialium S. Crucis de Judaica:

D. O. M.

Jo: Franciſco Mauroceno S. R. E. Cardinali, Viro, qui & generis nobilitate, & ſumma in rebus agendis prudentia, & eximia in Deum pietate ita claruit, ut omnibus Europæ Principibus gratus in primis, atque acceptus fuerit, eum vero Reipublicæ Venetæ Byzantii Legatum Sixtus V. Brixianæ Eccleſiæ præfecit, non multo poſt autem Apoſtolicæ Sedis Nuntium in Galliam miſit, ibique recrudeſcentibus illius regni motibus, inſolita honoris prærogativa Cardinalem & Legatum creavit, quo in munere ſumma fide, & integritate ſe geſſit; propterea ſequentium ſummorum Pontificum, præſertimque Clementis VIII. gratia floruit, qui tanti Viri obitum humaniſſime deflevit.

(a) Pag. 249.

flevit. Mortuus eſt Brixiæ anno Domini MDXCVI. *ætatis ſuæ* LVIII., *ibique eo ſic jubente ſepultus eſt. Verum Auguſtinus & Aloyſius Mauroceni, ut aliquod ſui in fratris meritum grati animi teſtimonium extaret, hic, ubi Gentilium ſuorum oſſa condita ſunt, exiguum pro illius promeritis monumentum PP.*

XXXV.

LAURENTIUS PRIULIUS *Anno* MDLXXXXVI.

PRIULIUS LAURENTIUS primus, qui in ampliſſimam Priuliorum gentem intulerit Cardinalitiam Dignitatem, ineunte juventute, *Sapiens*, ut vocant, *Ordinum* delectus cum eximie Patribus ſe probaviſſet, ad præcipuos Europæ Principes Orator, Brixianam demum adminiſtrans Præfecturam, Venetus eligitur Patriarcha. Eo ornatus honore, tantos emiſit virtutis radios, ſacra in primis juſſu Pontificis Maximi Clementis VIII. omnium Ordinum luſtratione, ut abſentem in ampliſſimum S. R. E. Senatum Pontifex pridie Nonas Junias anni *1569.* cooptarit, miſſo Venetias, qui rubrum deferret pileum, Aſcanio Columna viro nobiliſſimo. Eſt apud Eggers (a) locupletiſſima Laurentii mentio, & ut alios omittam, apud præſtantiſſimum Venetarum Eccleſiarum Scriptorem.

XXXVI.

JOANNES DELPHINUS Senior *Anno* MDCIV.

JOANNIS DELPHINI ad Summum Pontificem Clementem VIII. Oratoris, celebris eſt *Curiæ Romanæ* deſcriptio, qua uſus eſt Amelotius in Cardinalis d'Oſſat Vita, & in annotationibus ad Epiſtolas ejuſdem (b).

XXXVII.

FRANCISCUS VENDRAMENUS *Anno* MDCXVI.

FRANCISCUS VENDRAMENUS, geſtis pro patria legationibus, cum extra ordinem Legatus una cum tribus aliis recentem Pontifi-

(a) Tomo III. Purpuræ Doctæ pag. 180. & Supplementi pag. 466. Quæ vero hic Scriptor de Benjamino Priulio cive Veneto celebri in primis apud Gallicarum rerum Scriptores habet, a Veneta Hiſtoria parumper diſſident.

(b) Apud Fuſcarenum loco citato pag. 464.

Digitized by Google

tificem Paullum V. ſalutatum jamjam iturus eſſet, in patriæ Patriarcham tertio Nonas Julias eligitur anno 1605. At ſubortis Paulum inter V., Venetumque Senatum celeberrimis offenſionibus, dilata in annum 1608. ejus confirmatione, in ſuæ Eccleſiæ poſſeſſionem non venit niſi xv. Calendas Februarii anni 1619. (a). Commiſſam ſibi provinciam mirifice adminiſtrans ſacro ab eodem Pontifice anno 1616. cooptatur Collegio. Uſus eſt prudentia ſingulari in diſcernendo ſpiritu Mariæ Benedictæ de Rubeis pietate celebris, piiſſimique Aſceterii S. Mariæ Gratiarum de Buriano Ordinis Servorum Fundatricis (b). In Eccleſia Ordinis Servorum patrui Andreæ Ducis monumentum poni curavit, quod eſt apud Cornelium (c).

XXXVIII.

MATTHÆUS PRIULIUS *Anno* MDCXVI.

MATTHÆUM PRIULIUM XIII. Cal. Septembris anno 1618. inter Purpuratorum Patrum numerum a Paullo V. adſcriptum fuiſſe eſt in Ciacconiano Opere ad eum annum affirmatum: quamobrem ejus nomen Auguſtini Superbi diligentiam fugiſſe reor, qui hujus Priulii non meminit, etſi duodecim poſt annos Venetæ libros ſuos inſcripſerit Reipublicæ (d).

XXXIX.

PETRUS VALERIUS *Anno* MDCXXI.

PETRUS VALERIUS Aloyſii filius, vir acri ingenio, eximioque in æterni Numinis, ejuſque Matris Mariæ cultum augendum ardore, poſt patrui Cardinalis mortem utriuſque, ut ajunt *Signaturæ* in Urbe Referendarius, & S. Severinæ Gubernator (e) a Famaguſtana in Regno Cyprio Eccleſia ad Cretenſem Archiepiſcopatum, Veneto petente Senatu, translatus VIII. Cal. Februarias anno 1619. (f). Duobus deinceps poſt annis Paulli V. munere die XI. Januarii anni 1621. Cardinalitia ornatus fuit dignitate. Do-

(a) Cornelius loco citato Tomo XIII. pag. 183.
(b) Cornelius loco citato Tomo X. Parte II. pag. 20.
(c) Cornelius Tomo XIII pag. 184.
(d) *Trionfo glorioſo di Eroi di Venezia*.
(e) Ventura in Vita Cardinalis Auguſtini Valerii in Opuſculis Calogerianis Tomo XXV. pag. 99.
(f) Cornelius Cretæ Sacræ Tomo II. pag. 101. Venetiis 1754.

Dominicus Maria Mannius bene ob editos libros de literaria republica meritus, e tenebris eruit vulgavitque ſigillum, quo exprimitur Valeriorum gentilitium ſtemma, circumductis hiſce literis. *Pet. Valerius Epiſcopus Famaguſt.* (a). Præter inſcriptiones ab Ughello, & Ciacconio relatas, hanc Mannius refert exciſam in columna ſub effigie Petri in Cathedrali Patavina:

Petro S. R. E. Cardinali Valerio Epiſc. Pat. Hujus Eccleſiæ primum Canonico. Et inde ad ſublimiores Titulos evecto. Canonici hæredes ex Aſſe poſt Conſtructum ex pia ejus voluntate B. V. Sacellum, Aram erectam, Sacerdotes ad faciendum inſtitutos, Grati P. Anno 1651. Juribus Familiæ Zabarellæ Illæſis permanentibus.

Alteram quoque retulit (b), in domo Petri de Abano exiſtentem, ex ejuſdem Petri Vita a Comite Mazzuchellio, quem ſæpius laudavimus, edita, quamque hic damus

Petri Valerii S. R. E. Card. Epiſc. Patavini ſit Benedicta anima, benedicti cineres, & memoria.
M. D C. X X X.

X X X X.

FEDERICUS CORNELIUS Junior *Anno* MDCXXVI.

Splendido elogio, quod de CORNELIO ex Ciacconiano Opere protulimus, nihil addendum nobis ſupereſt, niſi lectori ſignificemus, numiſma D. Thereſiam exhibens, in laudato Opere commemoratum, extare penes celebrem Comitem Mazzuchellium, cujus imago exhibebitur in altero ſui Muſæi Tomo propediem edendo.

XXXXI.

(a) *Oſſervazioni Iſtoriche ſopra i Sigilli antichi* Tomo XVI. *pag.* 26. *Fiorenza* 1744.
(b) Loco citato,

Digitized by Google

X L I.

Marcus Antonius Bragadenus *Anno* MDCXXXXI.

Marcum Antonium Bragadenum, æquiſſimo jure ab Eggers inter Cardinales doctrina celebres recenſitum (a), non ſolum ob ejus, verum etiam patrui merita Marci Bragadeni Salaminæ Præfecti a Turcis excoriati, Summus Pontifex Urbanus VIII. in Sacrum cooptavit Cardinalium Senatum. Hujus eximia premens virtutum veſtigia Joannes Bragadenus, Veronenſi Epiſcopatu egregie adminiſtrato, in Patriarchali Venetorum ſede hodierna die omnibus, quæ verum decent Paſtorem, emicat virtutibus.

X L I I.

Christophorus Vidmanus *Anno* MDCXXXXVII.

Christophorus Vidmanus ob mores ſuaviſſimos, prudentiam in rebus agendis ſingularem, juriſque ſacri ac civilis peritiam in ipſo juventutis flore, annum quippe ſecundum ſupra triceſimum agens, ab Innocentio X. S. R. E. Cardinalium albo adſcriptus, atque ab Oldovino & Eggers inter Cardinales doctrina celebres inlatus eſt.

X L I I I.

Petrus Otthobonus *Anno* MDCLII.
Pontifex deinde Maximus
A L E X A N D E R VIII.

X L I V.

Gregorius Barbadicus *Anno* MDCLX.

Venerabilis Gregorius Barbadicus ex nobiliſſima ſua gente ſecundus, qui eminentiſſima fuerit Dignitate inſignitus, Bergomenſi Eccleſia annis circiter quatuor omni virtutum odore adminiſtrata, Patavini Epiſcopatus provinciam ſibi demandatam ut diligentia omni ac ſollicitudine gereret, cæteris, quibus eadem florebat, ſacris

(a) Loc. cit.

ſacris Inſtitutis Congregationem addidit Oblatorum, inſtar illius a S. Carolo fundatæ. Eam ob rem domum ſatis amplam e regione Seminarii de ſuo emit, legeſque ſapienter deſcripſit, quas illi Sacerdotes obſervarent (a). Sacris intentus curis, literarum etiam ſtudia enixe promovere non prætermiſit. Iccirco cum eruditiſſimis viris literarum commercium inſtituit, libros, qui identidem edebantur non ſolum intra Italiam, verum etiam diſſitis in regionibus, coemere & legere ſatagebat. Theologiam Dionyſii Petavii inſignis S. J. Theologi in breviarium redigere ad ſui Cleri commodum meditabatur, quinque in eam rem delectis viris, quibus & id in juſſis dedit, ne, ſicubi opus foret, criticæ parcerent. Eccleſiaſticæ lectionem hiſtoriæ ut redderet utiliorem, animo verſabat novam Annalium Baronii editionem ad ſeveriorum Criticorum regulas, addita ſuo quaque loco hiſtoriæ profanæ narratione. Ad hæc aliaque quam plurima perficienda Bibliothecam a fundamentis prope novum, quod ipſe condiderat, Seminarium, erexit, & ſelectiſſimis replevit voluminibus. Præterea *Typographiam* omnibus Orientalium litterarum formis inſtructam, exemplum ſecutus Cardinalis Federici Borromæi, & Ferdinandi Primi Magni Etruriæ Ducis, inſtituit: ne vero in poſterum deficeret (b), Sacerdotia, quibus ipſe cumulatus erat, obtenta a Pontificibus facultate, tanto operi addixit, hæredemque una cum Seminario ex aſſe ſcripſit. Præceptores earundem linguarum accivit, inter quos Aloyſium *Mariam* Benetellum ex Ordine Minimorum S. Franciſci de Paula, qui primus Seminarii Clericos lingua erudivit ſancta (c). Illuc etiam celebrem Benedictum Averranium linguæ græcæ peritiſſimum *Florentia* traducendum curavit (d). At ipſum meliorem *fortaſſe* Præceptorem dixerim, qui ſæpius alumnos inviſere, ad ſtudia excitare, cum ipſis convivere, ipſos interrogare, quandoque etiam e cathedra erudire, in ſpiritualibus exercitationibus, & præcipue cœleſtium meditationibus inſtruere, ac demum per publica examina ſingulorum mores ae ſtudia quotannis arctiſſime probare, loco ſummæ ac pene unius ſolicitudinis habuit. Neque pauperum indigentiis minus intentus, ad quos ſublevandos ad octingenta nummum millia erogaſſe conſtat. Præterea exemplo Divi Caroli, quem ſibi ad imitandum propoſuerat, binos Sacerdotes ſpectatæ inter cæte-

(a) Numiſmata Familiæ Barbadicæ num. LXX.

(b) Iſthæc omnia, & plurima alia ad litteraria Barbadici ſtudia ſpectantia diſcimus ex vigintiquinque Barbadici Epiſtolis, quas ab anno 1685. ad 1689. celeberrimo dedit Antonio Magliabechio; editæ ſunt ſub initium Tomi II. Epiſtolarum Clarorum Venetorum ad Magliabechium. Florentiæ 1746.

(c) Apud laudatum Mazzuchelium Tomo IV. pag. 832. V. Benetelli.

(d) Ex citatis Epiſtolis.

cæteros probitatis elegit, a quibus, ſiquid fortaſſe præter ſui nominis dignitatem ipſe admitteret, moneri volebat: eorumque nomina typis impreſſa exponi juſſerat in Epiſcopali Tabulario, ut oſtenderet ſe aliorum admonitiones æquibonique conſulere. Tanta demum per triginta tres annos divina quadam mentis vi Patavinam rexit Eccleſiam, ut ſeveritate diſciplinæ, contemtu rerum omnium, jugi rerum æternarum meditatione, ardenti propagandæ veriſſimæ Religionis ſtudio, nulli Epiſcoporum aut Cardinalium fuerit ſecundus. Obiit Patavii XVII. Cal. Julias anni MDCXCVII., tumulatus in principe Eccleſia, univerſa non ſolum Diœceſi, verum etiam Italia lugente. Funebrem laudis Orationem dixit Jacobus Jacobettus celeberrimus ille in Patavino Lyceo Ethices Profeſſor. In Italia Sacra, in Cardinalium Elogiis, in ſexcentis libris eximie laudatus. Clemens XIII. Pontifex ille, qui hauſtis a Sanctiſſimo hoc ſuo in Eccleſia Patavina Prædeceſſore virtutum omnium inſtitutis, rem Chriſtianam e Pontificio ſolio mirifice juvat & ornat, ſolemnem Gregorii apotheoſim jamjam eſt celebraturus.

X L V.

JOANNES DELPHINUS Junior *Anno* MDCLXVII.

Die ſeptima Martii anni 1667. Alexander VII., quem antea deſtinarat, JOANNEM DELPHINUM evulgavit Cardinalem. Hic ætate florente latinas diligenter græcaſque didicit litteras: adjunxit etiam purioris italici ſermonis cognitionem: peritus deinde ac doctus evaſit in philoſophicis diviniſque ſcientiis. Poetis multum delectatus, ad Rempublicam cum acceſſiſſet, animum graviſſimis curis oppreſſum luſibus hiſce mulcens, poetica ingenii ſui monumenta italice conſcripta haud pauca poſt ſe reliquit. Dialogum in primis de Poeſi, Tragœdiaſque hauſtas e græcis fontibus, iccirco harum rerum peritis valde probatas, & poſt ejus obitum Romæ primum anno 1733., deinde Patavii recuſas habemus. Præterea non ſolum ex dramaticis Operibus, verum etiam ex Dialogis noſtra memoria in lucem emiſſis, perſpici facillime poteſt, eum metaphyſicis & philoſophicis in rebus, Theologico dogmate non offenſo, plurimum valuiſſe; ſunt autem iſti: *La Creazione* Dial. I., *L'Anima* Dial. II., *Gl'Atomi* Dial. III., *L' Aſtronomia* Dial. IV., *Le Meteori* Dial. V., *La Chimica* Dial. VI. (a).

(a) Editi ſub initium Tomi I. *Della Miſcellanea di varie Operette. Venezia* 1740.

Quocirca inter doctos Cardinales jure ac merito recenſetur (a).

X L V I.

PETRUS BASADONNA *Anno* MDCLXXIII.

Celebris ad Venetum Senatum de Romana Curia CARDINALIS BASADONNÆ eſt *Relatio*, qua in Sermonibus politicis Amelottius uſus eſt (b). Tres quoque editæ ſunt ejuſdem Epiſtolæ (c). Ob prudentiæ laudem a Pontificiæ Venetæque hiſtoriæ Scriptoribus celebratur.

X L V I I.

MARCUS ANTONIUS FRANCISCUS BARBADICUS *Anno* MDCLXXXVI.

MARCUS ANTONIUS FRANCISCUS BARBADICUS Corcyrenſibus Inſulis admotus, Clero reformando, quem ſcientiæ & diſciplinæ pene expertem offendit, ære ſuo Seminarium erexit, pluresque Clericos ipſe veſtivit, aluit, erudivit; ad hæc annuo cenſu diravit, ut his in poſterum oneribus ferendis par eſſet. Eccleſiam ut ſibi commiſſam juxta Tridentini Concilii Decreta componeret, pravoſque plebis mores reformaret, præter aſſiduam Chriſtianæ Doctrinæ operis culturam, ſe ipſum eximiæ pietatis præbuit exemplar. Ejus caritas præcipue enituit, cum poſt Turcicum bellum expoſitas in Xenodochio Venetas copias, ibique fœtida ſcabie *mortifer*aque febri æſtuantes, ſedulo inviſens, animabus corporibuſque curandis inſtans, mirum in modum reficiebat & ſolabatur (d).

Sacro juri & Eccleſiaſticæ puriori diſciplinæ addictiſſimus; noxiis ideo curis præpeditus, Venetias primum, deinde Romam, tamquam ad tutiſſimum ſui aſylum advolavit, eumque Innocentius XI. æquus germanæ virtutis æſtimator nil tale omnino cogitantem, & præter totius Curiæ opinionem Patres inter Purpura-

tos

(a) Eggers loc. cit.
(b) Fulcarenus loc. cit.
(c) Una eſt præmiſſa Tomo I. Epiſtolarum Senecæ in vulgarem linguam editar. Venetiis 1703., altera exſtat in *Scelta di lettere memorabili, raccolte dall' Abate Giuſtiniani. Napoli* 1683., tertiam edidit Cornelius loc. cit. Tom. X. parte II. pag. 374.
(d) Quæ Archiepiſc. geſſit Corcyrenſis italico ſunt Commentario litteris conſignata a quodam Corcyrenſis Cathedralis Canonico, quod in publica Biblioth. Quiriniana inter MSS. Codices aſſervatur.

Digitized by Google

tos ſecunda Septembris die anno 1686. cooptavit. Eccleſiam S. Iſidoro ſacram Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ nationis Hybernicæ v. Cal. Novembris conſecravit (a). Venetorum Reipublicæ atque adeo Patriæ peramanter partes ſuſcepit, eaſque quantum in ipſo fuit, apud Romanam Curiam, quoad Romæ ſubſtitit, diligentiſſime procuravit. Ad Montis Faliſci & Corneti Infulas Cal. Novembris anno 1687. translatus, magnificentiſſimum Collegium erexit, in quo non modo ad Eccleſiæ diſciplinam Clerici erudirentur, ſed etiam ex univerſa Italia nobiliſſimi adoleſcentes ingenii cultum caperent, atque ad omnia pietatis munera formarentur. Bibliothecam ſumtu magno inſtruxit, excitata in arce urbis Typographia, ex qua libri cum pro ſcholarum uſu, tum ad fovendam pietatem, & utilia juvanda ſtudia prodirent; quas in res, aliaque pietatis opera argenteorum nummum millia amplius centum impendiſſe fertur (b). Diœceſim inſtar patrui Gregorii ſtrenuiſſime adminiſtrans, obiit in oſculo Domini.

XLVIII.

PETRUS OTTHOBONUS *Anno* MDCLXXXIX.

PETRUS Card. OTTHOBONUS, quoad vixit ejus patruus Pontifex Maximus, Patriæ gratiam colere & augere ſtuduit; at mortuo Pontifice, exterorum honorum ſplendore captus, Galliarum Regis Protectoris munus, Venetis legibus neglectis, aſſecutus, Patriæ gratia decidit: ejus nomen de Libro *Venetæ Nobilitatis* obliteratum eſt, Eccleſiaſticis, quos in Veneta ditione conſequutus fuerat, redditibus interdictus: verum non paucos ante obitum annos in Patriæ gratiam, primævis omnibus reſtitutus honoribus, rediit (c). Munificentiæ ejus in Divinum cultum augendum plane eximiæ novem atteſtantur, quæ in urbe Roma viſuntur, publica monumenta: præterea numiſmata tria quæ in altero Mazzuchelliani Muſæi Tomo propediem apparebunt, quæque nos ab amiciſſimo Comite nobis communicata hic repræſentamus:

I.

PETRUS OTTHOBONUS CARD. S. R. E. V. CANCELL. CŒLESTIS ORIGO MDCCIX.

II.

(a) Galletius loc. cit. pag. XXI.
(b) Numiſmata gentis Barbad.cæ num. LXXVIII.
(c) *Diedo Iſtoria di Venezia* Tom. IV. pag. 66. *Venezia* 1751.

I I.

PETRUS S .R. E. DIACON. CARDINALIS
OTTHOBONUS VICECANCEL. &c.
OMNES DE PLENITUDINE EJUS ACCEPIMUS

I I I.

PETRUS CARD. OTTHOBONUS S. R. E.
VICECANC. CLEM. XI. BENEFICIO SS. BASIL.
LIBERIAN. ARCHIPRESBYTER PORTAM
AUREAM APERUIT . MOX EPIS. SABIN. CLAUSIT.
BEN. XIII. SEDENT.
FELIX CŒLI PORTA ANN. JUB. MDCCXXV.

I L.

JOANNES BAPTISTA RUBINUS *Anno* MDCLXXXX.

L.

GEORGIUS CORNELIUS *Anno* MDCLXXXXVII.

Dignus habitus eſt GEORGIUS CORNELIUS qui Gregorio Barbadico Epiſcopo nulli plane pietate ſecundo, in Patavina Sede ſuccederet. Neque Pontificis Summi Innocentii XII. univerſæque *Italiæ* conceptam ſpem Cornelius ſefellit. Statim enim ac regiminis habenas ſuſcepit, nihil habuit antiquius, quam ſanctiſſimi Prædeceſſoris inſiſtere veſtigiis. Res in primis Seminarienſes cordi ipſi cum fuiſſent, Præceptorum auxit numerum: alumnos cum ad pietatis culturam, tum ad litterarum amorem conatu omni exhortatus eſt. Libri maxime utiles ſua ex Typographia ut prodirent adhibito Magliabechii conſilio ſatagebat (a); Grammaticæ palæſtram pro juvenibus pauperibus in urbe aperuit ſine ullis accedentium expenſis, quas e Trieſtenſi, æquo jure ab ipſo ſublato, tranſtulit Collegio.

L I.

VINCENTIUS GRIMANUS *Anno* MDCLXXXXVII.

L II.

(a) Duæ ſunt Cardinalis hujus ad Maghabechium Epiſtolæ Tom. II. Epiſtolarum Claror. Venet. ad Maghabechium pag. 269.

L I I.

DANIEL MARCUS DELPHINUS *Anno* MDCIC.

Pontificis Legatum Pariſiis agens, DANIEL MARCUS DELPHINUS Brixianis Infulis primum, deinde Cardinalitia ornatur dignitate. Litterarum cultor eximius, ubivis gentium & maxime in Gallia dum fuit, ſelectiores coemere ſolebat libros, quos copia maxima ultimis tabulis Dionyſio fratri Patriarchæ Aquilejenſi relictos, intulit hic in Bibliothecam propriis ſumtibus Utini publico commodo excitatam.

L I I I.

JOANNES BADUARIUS *Anno* MDCCVI.

JOANNES Cardinalis BADUARIUS Epiſtola Roma data die 3. Julii Brixianam Civitatem de ſua ad illius Eccleſiæ regimen electione certiorem fecit; ad cujus clavum ut ſedit, ſedandis componendiſque fluctibus, quos famoſus Beccarellus pravis moribus doctrinilque excitarat, inſtans, eundem damnavit lecta in eum ſententia in Cathedralis platea coram ipſo Cardinali, & Prætoribus, univerſoque Clero ac populo. Eam ob rem cuſum ei fuit æneum numiſma exhibens hermam ipſius Cardinalis effigiem, litteris hiſce circumductis: *Jo: Cardinalis Baduarius Epiſcopus Brixiæ*, ſubjecto lemmate: *S. P. Q. B. ob Cives ſervatos*. In adverſa vero parte draco jacet, quem indicans Daniel, ſtans prope Regem Babylonis, eundem ſic alloquitur: *Ecce quem colebatis*. In ima parte vero MDCCX.

Ad fovendam cumulandamque erga SS. Chriſti Corpus pietatem cum Brixiæ, tum in Diœceſi ope Clericorum Regularium Sodalitium erexit nuncupatum *Adorationis perpetuæ SS. Sacramenti*. Manum deinde admovit, ut ſua in Diœceſi piiſſimo ſacrarum Virginum Viſitationis, ſive S. Franciſci Saleſii Inſtituto locus aliquis attribueretur: voti tandem compos factus, cum Salodienſes nullis parcentes expenſis præclarum recipiendis illis Virginibus condidere Aſceterium, treſque Arrona acceſſitæ illud ingreſſæ ſunt ſolemni pompa XII. Cal. Januarii anno 1712.; quo tempore Romam Joanni contendere ob S. Marci titulum, qui recenter ei obtigerat, neceſſe fuit, ipſo tamen invito ac dolente (a). In Urbe

(a) Teſte ipſomet Baduario Epiſtola octavo Junii ann. 1712. Roma Aloyſio

Urbe dum verſaretur, cum in diem vaſtiſſimi agri augerentur curæ, ſibique vires deficere ſentiret, in Epiſcopalium munerum levamen Epiſcopum auxiliarem Comitem Jo: Franciſcum Martinengum Inſignis Collegiatæ SS. Nazarii & Celſi Præpoſitum obtinuit (a). Redux tandem ex inferæ Diœceſeos Viſitatione die 7. Maji in febrim incidit, & novem poſt dies, recurrente eo anno Dominicæ Aſcenſionis Octava, ad Superos migravit. Corpus conditum ex Teſtamento in Sacello Divo Antonio ſacro in nova Cathedrali hac inſcriptione, quam vivens ipſe ſibi confecerat, ultimaque voluntate monumento ſuo inſcribendam mandaverat:

OSSA
JOANNIS CARDINALIS BADUARII
EPISCOPI
EXPECTANTIA RESURRECTIONEM MORTUORUM
ORATE
UT COMMISSORUM ET OMISSORUM SUORUM
DEUS MISEREATUR.
OBIIT DIE XVII. MENSIS MAJI.
ANNO SALUTIS MDCCXIV.
ÆTATIS AUTEM SUÆ LXVI.

Ejus inferiæ repetitæ ſunt tanta magnificentia ac ſolemnitate; quanta regio viro poterat convenire (b).

L I V.

PETRUS PRIULIUS *Anno* MDCCVI.

Clemens XI. PETRUM PRIULIUM ætate florentem xv. Cal. Junias anno 1706. ampliſſimo cooptavit Cardinalium ordini: Cal. deinde Julii anno 1708. Bergomatem conſecravit in Baſilica Liberiana Epiſcopum. Laus eximia ei tribuitur, quod ſuppellectilem ſuam om-

ſio Margaritæ Epiſcopatus Cancellario data, ad quem ſuorum conſiliorum participem quampluri mas ipſe ſcripſerat Epiſtolas, quas nobis legendas humaniſſime exhibuit Coſtantius Zinellius Margaritæ ex ſorore nepos, utriuſque juris Doctor, horumque cymeliorum Collector diligentiſſimus

(a) Hujus rei diffuſam narrationem in tanti Cardinalis gratiam, poſteritati conſignare voluit in ſuo *De Synodo Diœceſana Tractatu* pag. 572. Benedictus XIV. P. O. M.

(b) Ex relatione de Baduarii obitu Brixiæ vulgata, atque ex Collectione Orationum Franciſci Herculani S. J., a quo Baduarius fuerat ea occaſione laudatus, edita Venetiis 1728.

omnem argenteam ſeptem circiter ducatorum millibus exiſtimatam; Patriæ Turcico bello vexatæ contulerit, priſcos imitatus Patres, qui captivis redimendis vaſa ſacra conflare docuerant. Neque minus in egenos liberalis, pauperibus puellis dotalia ſubſidia non raro ſuppeditavit: pauperes ſanguine junctos ſed ſanguinis honori non parcentes, ære ſuo obtento a *Dataria* legis laxamento, canonicum ſanguinis impedimentum, ut nuptias celebrare poſſent, ſæpius removit. Gregem ipſe ſuum divini verbi pabulo ſæpius alebat; præterea accomodatiſſimos ad Clerum identidem habebat ſermones. Synodum optimis inſtitutis refertam anno 1725. celebravit. Laboribus tandem fractus, ſenioque confectus, Venetiis, quo valetudinis cauſſa conceſſerat, obiit piiſſimus vir intra domeſticos parietes IX. Cal. Februarii anni 1728. Corpus Bergomum tranſmiſſum, ſepulturam accepit in Cathedrali.

L V.

Aloysius Priulius *Anno* MDCCXII.

Aloysius Priulius inter XII. Viros adlectus, qui Romæ juri dicundo præſident, vocanturque Sacræ Rotæ Auditores, tantam virtutum, in primiſque juſtitiæ [ex qua una virtute viri boni appellantur] laudem conſecutus eſt, ut a Clemente XI. Pontifice, ſi quiſpiam alius, virtutis judice ac æſtimatore integerrimo, auguſto Cardinalium Senatui adſcribi meruerit.

L V I.

Joannes Franciscus Barbadicus *Anno* MDCCXX.

Joannes Franciscus Barbadicus Veronenſem Epiſcopatum gerens, ardenti fragrans deſiderio ut veterum Patrum ſcripta Clerus verſaret, animo cum propoſuiſſet, S. Zenonis, Veronenſis olim Epiſcopi, Sermones e veterum Patrum Bibliotheca excerpere, atque eruditis illuſtratos Annotationibus recudere, clariſſimum virum Antonium Magliabechium rogavit (a), ut afferendis Divi Zenonis Sermonibus opem ferret (b). Brixianis deinde datus Epiſcopus, ingreſſus civitatem die XIII. Novembris anno 1714. omnium

(a) In lucem prodiere Patavii 1710. Mazzuchellius *Degli Scrittori d' Italia* Tom. III. V. *Gian-Franceſco Barbarigo*.
(b) Ejus extat in hanc rem Epiſtola ſcripta Veronæ die XIII. Aprilis 1704. Tom. II. Epiſtolarum Cl. Venet. ad Magliabechium pag. 271.

nium ordinum ſpiritualem ſalutem ſumma cura ac diligentia enixe complexus eſt, Chriſtianæ Catecheſi adeo ſe dedidit, nullum ut prope ſit in urbe Templum, quod eum Catechiſten non audiverit: inopum inſuper mulierum atque virorum catechiſticam ſcholam inſtituit, in qua miſera illa turba, ſtipe etiam allecta, ſalutis æternæ inſtrueretur rudimentis. Vacationibus autumnalibus ruſticabatur ipſe, & venabatur non aves ſed animas, coactoque in Templis populo, quæ Dei ſunt proponebat, exquirebat, explanabat. Anno 1717. Valles luſtravit Sabinenſem, Triumpilinam, Camuniam; Benacenſem ripam & Sebinam, occiduamque planitiem, quam *Francia curta* vulgus appellat. Rerum Seminarienſium cura eum maxime ſollicitum tenuit, ibique ſtudiis latinæ eloquentiæ ſcholam græcam adjunxit, dato præceptore Panajota illo græco (a), cujus nomen inter Eruditos haud eſt obſcurum, & quos Clericos in ſpem excellentis litteraturæ adoleſcere cognoſcebat, collatis etiam aliquando muneribus, aliquando etiam eccleſiaſticis titulis ad altiorem excitabat virtutem. Sed cum ſacra ſtudia maxime ipſi cordi forent, provinciam dedit Paullo Galeardo principis Brixianæ Eccleſiæ Canonico, viro cum politioribus, tum ſacris litteris peritiſſimo, ut S. Gaudentii, Ramperti, & Adelmanni ejuſdem Eccleſiæ Epiſcoporum Opuſcula meliori luce donaret (b). Optimum Epiſcopum inter Cardinales retulit Clemens XI. die XXIX. Novembris anno MDCCXIX., quem non vulgavit niſi die XXX. Septembris anno ſequenti.

L V I I.

ANGELUS MARIA QUIRINUS *Anno* MDCCXXVII.

Celeberrimi Cardinalis QUIRINI elogio per Guarnaccium elucubrato ſubnectenda ducimus quæ nos in Pontificum Brixianorum Commentario collegimus. Brixianæ igitur Eccleſiæ adminiſtratione ſuſcepta medio Martio anni MDCCXXVIII., novæ ſtatim Cathedralis, centum jam & quod amplius excurrit ab annis conatu plane regio inceptæ, urgendæ abſolutioni animum intendens, tantam auri vim contulit, tantoque ſtudio promovit, ut præter omnium ſpem divino cultui ſplendide aptam reddiderit, primumque inſigni pom-

pa

(a) Hujus vitam ſermone græco & italico conſcripſit, pluribuſque politioris literaturæ acceſſionibus auctam Brixiæ edidit anno proxime delapſo Petrus Barzanus Sacerdos Brixianus, Rhetorices, linguarumque græcæ & hebraicæ optimus profeſſor.

(b) Prodiere Patavii typis Cominianis anno 1720.

pa ſacrum celebrarit, Homiliamque e Sede Epiſcopali recitarit anno MDCCXXXVII. die ſolemni Paſchæ, quæ incidit in die XXI. Aprilis. Mortuo Benedicto XIII. Romam remeavit, ut Pontificiis intereſſet Comitiis. A novo Pontifice Clemente XII. Bibliothecæ Vaticanæ accepit Præfecturam ea conditione, ut Romæ perpetuo hærere non cogeretur, ſed ſimul Brixiani Antiſtitis cura defungi poſſet. Expectationem Summi Pontificis de collata in ſe Præfectura non ſolum cumulate implevit, verum etiam ſuperavit donatione ſelectiſſimæ librorum ſuorum ſupellectilis, in Vaticanam Bibliothecam inferendorum, quos poſtea, ſolutis mille Romanis ſcutis, poſtliminio revocavit, ut publica, de qua mox dicturi ſumus, Quiriniana Bibliotheca ditaretur. Novam ſimul aggreſſus eſt e Mss. Vaticanis Codicibus græcis & ſyriacis S. Ephrem Syri Operum editionem, diligentia uſus & eruditione Joſephi Simeonii Aſſemanii Vaticanæ Bibliothecæ ſecundi Cuſtodis, & Petri Benedicti Maronitæ S. J.

Quibus feliciter geſtis, in ſuæ Sponſæ amplexus iterum convolavit; cumque pro certo haberet, quemadmodum ſine pietate doctrinam non ſolum eſſe inutilem, verum etiam ut plurimum obeſſe: ita pietatem ſine doctrina non eſſe magnopere utilem, novis ſuam Eccleſiam Colonis augere voluit; Presbyteros qui *Miſſionis* vocantur, e Cremona adſcitos, una cum aliis Brixiæ degentibus ſacræ vineæ cultoribus, adhibuit, ut uberiores in dies ex ea fructus perciperet, ſacraque utilius luſtratione Diœceſim obiret. Illud autem præ ceteris laudandum eſt illius luſtrationis opus, quo piiſſimum Saleſianarum Virginum Aſceterium, in oppido Darfenſi ante paucos annos ſingulari Vallis Camuniæ bono condi cœptum, firmavit collato annuo proventu centum circiter nummum aureorum, quos Brixiano Epiſcopo ea pendet regio; quam animi liberalitatem expertæ quoque ſunt poſterioribus annis *Viſitationis* Moniales Salodii, quibus illud conceſſit vectigal, quod Brixianis Epiſcopis ea pendet *Riperia*. Ad ſtudia vero literarum fovenda anno 1734. duos accerſivit ex Ordine Cl. Regular. Præceptores, ſcilicet Florentia Joannem Baptiſtam Scarellam, atque Patavio Joan. Hieronymum Gradonicum, quibus Seminarienſem commiſit, alteri Philoſophicis, alteri Theologicis Diſciplinis juventutem inſtruendam, quibus ipſi muneribus ad quindecim functi ſunt annos. Ad hæc manus ipſe admovit, ut domeſtica Brixianis proponerentur exempla, quibus ſacra & profana quovis ævo floruit Brixianorum literatura. Quamobrem quatuor venerandæ antiquitatis hujus Eccleſiæ Epiſcoporum SS. nimirum Gaudentii & Philaſtrii, B. Ramperti & Ven. Adelmanni aurea ſcripta in unum collecta fuiſſe, eoque cultu

Paulli Galeardi laboribus ornata, ut parem nulla alia jactare poſſit Italica Eccleſia editionem, Quirini laudibus tribuendum eſt, qui & opportunos ex Gallia Germaniaque Codices MSS. deſcribi curavit, & pecuniam omnem ſuppeditavit, & luculentiſſima Epiſtola Clementi XII. volumen nuncupavit. Ut vero ad politiores literas vehementius excolendas Brixianorum animi excitarentur, Opus in lucem emiſit *De Brixiana Literatura renaſcentium literarum ætate*, quo ante eorum oculos proponit præclaros majorum ſuorum labores, quibus typographica arte vix inventa, in omni fere politiorum floruerunt ſtudiorum genere. Eodem tempore retractatum & auctum ſecundis curis edidit *De primordiis Corcyræ* librum. At curæ iſtæ literariæ quantumvis ita eum oblectarent, ut non ſolum literæ ſecum pernoctare, ruſticari, ſed etiam novo verbo *epiſcopari* dicerentur, ſacræ tamen multo acrius urgebant, cui rei certiſſimo ſunt argumento & Paſtorales Epiſtolæ, & Conciones de loco edito habitæ, & ſolicitæ per Diœceſim ad Paſtoralia munera obeunda curſationes.

Almam quoque Urbem frequens adibat, modo Patriæ negotia perfecturus, modo Vaticanæ Bibliothecæ incrementis conſulturus, modo quatuor Romanarum Baſilicarum S. nimirum Alexii, S. Marci, S. Gregorii, & S. Praxedis ſplendorem novis ſubſtructionibus ornamentiſque aucturus, quas aggreſſus erat vel exædificandas vel inſtaurandas vel ornandas. Quibus tamen itineribus literæ ipſæ ſecum peregrinabantur; aliquot enim habemus politiora Opuſcula, quæ rheda vectus moliebatur, hoſpitia vero ingreſſus conſcribere ſatagebat. Hujuſmodi hoſpitiis, quæ ſæpius cœnobitica erant, latis ut exciperetur ulnis, ſuæ fecere liberalitatis fructus, cujus memoriam poſteritati tradunt inſcriptiones Templorum faciebus inſculptæ.

Studiis hiſce modo Brixiæ modo Romæ diſtentus, conſilium cepit e tenebris eruendi Franciſci Barbari non minus literarum peritia quam rebus geſtis clariſſimi Patritii Veneti epiſtolas, quas duobus voluminibus annis 1741., 1743., in lucem prodire juſſit. Quibus ſub prælo ſudantibus, epiſtolas typis impreſſas ad celebriores mittere cœpit totius Europæ viros, urbanis ſalibus aſperſas, eruditione refertas, inlatis etiam qua ſoluto, qua numeris adſtricto ſermone ſive ſuis, ſive aliorum Opuſculis. Dum Vaticanæ Bibliothecæ Præfecturæ abdicationem animo verſaret, obiit Clemens XII., idcirco Romam perrexit, Pontificiis ut intereſſet Comitiis. *Conclave* ingreſſus eſt magna ſtipatus librorum & Mss. Codicum copia, queis poſſet iis horis, quas Comitialis actio reliquas ipſi faciebat, in aſſueto pulvere verſari, integrumque compoſuit typiſque commiſit de Pauli II. geſtis & vindiciis librum.

Pro-

Proſper Cardinalis Lambertinus omnibus virtutibus excultiſſimus in Petri Cathedram, Benedicti XIV. aſſumto nomine, ſubrogatus, ipſo aſſumtionis momento honorificentiſſimis verbis Quirinum cohortatus eſt, ut relictis Brixianis inſulis, ob majora S. Sedis commoda Romæ ſubſiſtere vellet, poſteroque die in ſuæ exiſtimationis pignus, Sacri Cardinalium Cœtus librorum examini delecti Præfectum renuntiavit. Verum neque Albanenſis Eccleſiæ decore, cujus aſſequendæ facultas tunc ipſi obtigerat, neque ulla alia ratione paſſus eſt ſe abduci a dilectiſſimæ Sponſæ ſinu. Quocirca poſt duos menſes, petita a Pontifice venia, in ejuſdem amplexus convolavit. Confeſtim de nova methodo in examine ac proſcriptione librorum, a S. Indicis Congregatione ſervanda, conſilium per literas Summo Pontifici expoſuit, quod maximo ſibi uſui fuiſſe novas pro eadem Congregatione ſtatuenti regulas, Pontifex ipſe Conſtitutione in eam rem VII. Idus Julii anno MDCCLIII. vulgata teſtatus eſt.

Secum deinde reputans Quirinus, ex rerum divinarum ignorantia praviſque Cleri moribus, ceu ex gemino fonte, Proteſtantes argumentum elicere quod Achilleum vocant, ut veterem ſuorum, a Romana Eccleſia ſeceſſionem tueantur, illud cepit conſilii, ut nonnullorom Romanæ Eccleſiæ Procerum ea ætate florentium & mores caſtiſſimos & profundam in rebus ſacris peritiam in quodam quaſi theatro collocaret: eiſque exadverſum Lutheri eique adhærentium corruptos mores tenuemque Theologicarum quæſtionum cognitionem opponeret, iſtaque comparatione elumbe illud argumentum & nemine impellente concideret, & furtivis nudatum coloribus perpetuo jaceret. Divino plane conſilio factum eſt, ut Vaticanos verſanti Codices, nondum editæ Cardinalis Reginaldi Poli, aliorumque ea tempeſtate in Eccleſia Romana magni nominis virorum epiſtolæ occurrerint, quibus ad utramque eam rem nihil accomodatius eidem obvenire poterat. Quatuor Tomos ipſe edidit, quintum poſt ejus mortem edidere Bibliothecæ Præfecti. Hac percitus *aviditate Eccleſiam Evangelicam convertendi, in ſpecula quaſi conſiſtens, unum oculum in Italiam, alterum autem in Germaniam adjacenteſque conjiciebat terras, in rebus Proteſtantium judicandis uſus oculis Lynceis* (a). Ob eum finem peroptabat quacunque in plaga veriſſimæ Religioni ſuccurrere, neque averſabatur in ipſum Germaniæ ſinum penetrare, neglectis quibuſcunque devexæ ætatis viarumque incommodis. Reipſa multas extremis vitæ ſuæ annis peragrarat inferioris Germaniæ urbes, ubique locorum ſpargens liberalitatis, doctrinæ, pietatiſque monumenta ſempiterna.

Eo

(a) Verba ſunt cujuſdam in Lipſienſi univerſitate Profeſſoris in Epiſtola edita in nuncupatione Tom. IV. Epiſtolar. Cardinalis Poli.

Eo etiam ſpectabat frequens illud literarum commercium, quod omni caritatis genere cum doctioribus coluit ex Proteſtantibus. Eo illa regio effuſa more pecuniæ copia, quam in ornatum ſolvit Templi, quod Catholici Berolini exſtruxere, annuente celeberrimo illo Boruſſorum Rege, quocum inierat Quirinus literariam conſuetudinem ea ſpe ductus, ut illum alliceret ad firmandam cumulandamque facinorum ſuorum gloriam veriſſimæ Religionis amplexu; quæ pientiſſima Quirini vota dum ſuis ornare Rex ille laudibus non omiſit, haud ſibi fuiſſe ingrata ſatis oſtenderat. Eo tandem ſpectabant opes, quas mirifice impendit ſuſtentandis ſacris Miſſionibus in ditione Rhætica, Hannoverana, Pomerana, Saliſburgenſi, quarum ipſe curarum hunc inter alios tulit fructum, ut & melius audiat apud Proteſtantes Catholico-Romana Religio, & in Eccleſiæ cœnobiique ſinum unus redierit ex illis, Jordanus nomine, quos errantes ut ad ſanctiſſimæ Matris gremium reduceret, non conſilio pepercerat, non labori, non ſumtibus, non auctoritati.

Externa interim privata & publica dum curaret Religionis negotia, ſuæ tamen Sponſæ nulla eum ceperat oblivio. Ut rugæ omnis Clericalis ordo expers foret, peramplam nobilemque domum juxta ruſticationis Epiſcopale palatium ædificandam curavit, ut ibi Eccleſiaſticæ diſciplinæ rudimentis imbuerentur ad Sacerdotale faſtigium aſſumendi, eorumque anteactam vitam ſimul agendamque exploraret. Bibliothecam vero in Epiſcopalis Viridarii fundo eleganter conſtructam, ſelectiſſimis libris refertam, dote locupletatam ad eruditionis ac pietatis præſidium a fundamentis excitavit, publicæque donavit utilitati.

A Franciſco fratre Quirino hæres fiduciarius inſtitutus, & auctus annuo cenſu bis mille & amplius aureorum, hunc unum, victu cultuque ſibi parciſſimus, tulit fructum, ut & pauperibus largius opitularetur, & ſacrorum ædificiorum conſtructiones & ornamenta ſplendidius proſequeretur.

At majora in dies moliens, viribus adhuc florens, octavo Idus Januarias repentino apoplexiæ ictu correptus obiit, annum agens ætatis LXXV., Pontificatus vero viceſimum octavum. Cardinalitio more, ſummoque ſplendore inferiæ celebratæ ſunt, ſepulturæque traditus ante principem novæ Cathedralis Aram. Quam ipſe fecit & incidendam ſuo ſepulcro reliquit, en inſcriptio:

HIC
REQUIESCUNT OSSA
ANGELI M. QUIRINI
S. R. E. CARD. BIBLIOT.

AR-

ARCHIEP. EPISC. BRIXIÆ
OBIIT VIII. ID. JANUARIAS MDCCLV.
ORATE PRO EO.
CONGREGATIO APOSTOLICA HÆRES
P.
EX TESTAMENTO.

Apertis Teſtamenti tabulis, quas ipſe anno MDCCXLIX. obſignaverat, lecti ſunt Curatores Sebaſtianus de Madiis & Philippinus de Æmiliis Cathedralis Canonici Seminariique Præſides, qui Congregationi Apoſtolicæ ex Teſtamento hæreditatem tradidere, piis quibuſdam legatis antea perſolutis.

Splendida quæ deinceps non ſolum a ſuæ Sponſæ filiis, verum etiam a diſſitis provinciis ei fuerunt celebrata funera, ipſi citato alias Elogio deſcripſimus, perinde ac novem Quirino cuſa numiſmata, omniumque quos typis conſignarat, librorum indicem. Iccirco iſta a nobis minime recenſenda putamus, eo vel maxime quia typis Brixianis repreſentata denuo ſunt hiſce diebus duplici volumine, quo clariſſimus P. Federicus Sanvitalius S. J., ſuppetias ferente Abb. Antonio Guelfio, Quirini ſtudiorum conſiliorumque ferme omnium participe, Quirinianis Commentariis faſtigium fecit: ex iſtis extremam nobis periodum hic exſcribere placet: *Has profecto virtutes* (nempe Religionem, Munificentiam & Scientiam, quas numiſma repræſentat Romæ anno 1746. Quirino cuſum) *idem Cardinalis impenſius coluerat. Has ſummo hodie Brixianæ Eccleſiæ commodo is colit, quem eidem Divina Providentia, Cardinali Quirino extincto, Paſtorem ac Patrem dedit, præſtantiſſimus atque ampliſſimus Joannes Molino, quemque ut diu nobis ſoſpitem incolumemque ſervet votis omnibus comprecamur.*

L V I I I.

CAROLUS REZZONICUS *Anno* MDCCXXXVII.
Summus hodie Pontifex
CLEMENS XIII.

Mortuo Cardinali Quirino, ad titulum Divi Marci, relicto eo S. Mariæ in Ara-Cœli, translatus fuit Cardinalis CAROLUS REZZONICUS; iccirco ea ſunt corrigenda, quæ ob Quirini mortem hoc de titulo nobis inconſultis e calamo excidere. Quatuor præ oculis habemus huic Pontifici cuſa numiſmata, quæ ad calcem proferentur Tabulæ numiſmatum Venetis Pontificibus Summis cuſorum.

LIX.

L I X.

Daniel Delphinus *Anno* MDCCXLVII.

Ex titulo S. Mariæ ſupra Minervam tum ſolum Daniel Delphinus, cui Joannes pater fuit, ad illum D. Marci translatus eſt, cum Carolus Rezzonicus ob ſuam in Pontificem Maximum electionem illum dimiſit. Huic præter Patriarchæ, Archiepiſcopi etiam Utinenſis nomen & titulum Benedictus XIV. attribuit: eique Bartholomæum Gradonicum, quem ſupra nominavimus, Veneto petente Senatu, in perpetuum aſſignavit Coadjutorem. Cum nova in Utinenſi Eccleſia hinc fuerit inſtituta Hierarchia, duplex in eam rem in lucem emittere monumentum nec injucundum putamus nec inutile.

1752. 3. *Febbraro. In Pregadi.*
Al Sommo Pontefice.
Beatissimo Padre.

Dopo che la paterna ſollecitudine della Santità Voſtra ha dato fine alle controverſie, che da lungo tempo continuavano circa il Patriarcato d' Aquileja, colla ſuppreſſione del medeſimo fatta di conſentimento della Repubblica noſtra, e colla ſucceſſiva erezione di due Arciveſcovati, uno cioè nella noſtra Città di Udine poſta nel Dominio Veneto, e l' altro in Gorizia ne ſtati ereditarj della Imperatrice Regina d' Ungheria ſecondo il tenore della Coſtituzione 6. Luglio dell' anno 1751., *la quale comincia*: Injuncta Nobis &c. *dando così a ciaſcuna delle due nuovamente erette Dioceſi il proprio Paſtore, e concedendo alla predetta Repubblica noſtra con egual titolo, e diritto, che è ſtato conceſſo alla predetta Imperatrice Regina, il Jus di preſentare i futuri Arciveſcovi d' Udine alla Santità Voſtra, ed ai ſuoi Succeſſori, eſſendo ora già eretta in Chieſa Metropolitana della Dioceſi Udineſe la fu Collegiata di S. Maria Maggiore di detta Città d' Udine, parimenti ſuppreſſa dall' autorità di Voſtra Beatitudine col conſenſo pure della Repubblica noſtra, ed eſſendo intenzione di Voſtra Santità pur coll' intelligenza noſtra, che l' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Cardinale Patriarca Delfino continui, e ſia anche Arciveſcovo di Udine, conviene, che ſi provveda parimenti al Prelato, che prima gli era ſtato conceſſo in Coadjutore con futura ſucceſſione nel Patriarcato ora eſtinto d' Aquileja. Per lo che avuto rifleſſo alle benemerenze della Nobile noſtra Famiglia Gradenigo, la quale in tutti li tempi ha dato più Soggetti non ſolo della Patria, ma anche della Santa Chieſa benemeriti, che hanno retto non ſolo*

l' eſtinto

l' eſtinto Patriarcato, ma anche queſto della Città noſtra di Venezia, e governate parecchie altre Chieſe del Dominio noſtro con edificazione de' Popoli Dioceſani delle medeſime, e conſiderando ancora, che Monſignor Reverendiſſimo Bartolomeo Gradenigo Veſcovo di Tiatira in partibus Infidelium *per le doti, e qualità ſue era ſtato dai Santi Preceſſori di Voſtra Beatitudine riputato degno di ſuccedere nel Patriarcato d'Aquileja prima, che s' eſtingueſſe; ſiamo col Senato noſtro venuti in deliberazione di nominarlo, e preſentarlo, come in effetto lo nominiamo, e preſentiamo, e lo dichiariamo per ſufficientemente nominato, e preſentato alla Santità Voſtra ora per allora, che per morte, o dimiſſione del predetto Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Cardinal Patriarca Delfino vacherà l' Arciveſcovato, in futuro Arciveſcovo d' Udine, ricercando con la debita filiale oſſervanza, e riſpetto, che Ella ſi degni ricevere, e confermare queſta noſtra nomina, e preſentazione, e condecorare eſſo Monſignor Gradenigo con tutte le grazie, privilegj, e facoltà, che alla Dignità Arciveſcovile competono per diritto, e per conſuetudine; e maſſimamente ſecondo il tenore della predetta Coſtituzione* Injunčta Nobis, &c.

Di che tutto rendendo alla Santità Voſtra riverenti grazie, preghiamo il Signore, che lunghiſſimamente la conſervi per felicità della ſua Chieſa, implorando con filial riverenza l'Apoſtolica Benedizione.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
Venerabili Fratri Bartholomæo Gradenigo moderno Epiſcopo Thyatirenſi Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Romanus Pontifex, quem Paſtor ille Cœleſtis Eccleſiis prætulit univerſis, Gregis ſibi commiſſi curam ſedulo adimplere procurans, modo per ſimplicis proviſionis officium, quandoque vero per Coadjutoriæ Miniſterium operoſæ diligentiæ ſtudium adhibet opportunum, ut Eccleſiis ipſis, quæ propriis viduatæ Paſtoribus, aut illis præſidentium ſenio confectorum [cauſa] *ſeu alias in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta pati comperiuntur, Præſules præficiantur idonei, per quorum ſolertiam providam Eccleſiæ prædictæ continuis proficere valeant incrementis.*

Sane cum Nos pridie per Conſtitutionem Noſtram, quæ incipit: Injuncta *Patriarchatum Aquilejenſem, ad notoria diſſidia tollenda, Apoſtolica Auctoritate ſuppreſſerimus, & extinxerimus, & pro Dominiorum diverſitate unam Utinenſem, & alteram Goritienſem Eccleſias in Metropolitanas etiam perpetuo erexerimus, & inſtituerimus, nec non unicuique ſuum reſpective Archiepiſcopum & Paſtorem præfecerimus, ac quod Eccleſiam Utinenſem Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci & Reipublicæ Venetiarum, quoties ipſam Utinenſem Eccleſiam quovis modo, non tamen per obitum, apud Sedem Apoſtolicam vacare contigerit, Jus*

 nomi-

Digitized by Google

nominandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti Perſonam idoneam per Nos & Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes ad Archiepiſcopatum Utinenſem promovendam, eique præficiendam perpetuo conceſſerimus, & indulſerimus. Nuper autem prædictæ Eccleſiæ Utinenſis erectioni modum, & formam imponentes, per alias Noſtras Apoſtolicas Literas incipientes: Suprema Diſpoſitione, *erectionem hujuſmodi motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine confirmaverimus, prout in prædictis Literis plenius, & latius continetur.*

Hinc nos peculiaribus cauſis, & circumſtantiis adducti, de conſenſu Ducis, & Reipublicæ præfatorum te, quem Dux, & Reſpublica præfati juxta indultum hujuſmodi eiſdem Duci, & Reipublicæ, ut præfertur, conceſſum, Nobis ad id per ſuas Literas nominarunt, & cujus qualitates a Sede Apoſtolica prædicta approbatæ fuerunt, cum Eccleſiæ Thyatirenſi, quæ in partibus Infidelium exiſtit, in Epiſcopum præfectus fuiſti, ac munus conſecrationis ſuſcepiſti, & Pontificalia exercuiſti ſolemniter celebrando, ac verbo, & exemplo profeciſti, Dilecto Filio Noſtro Danieli Cardinali Patriarchæ Delphino nuncupato, ejuſdem Eccleſiæ Utinenſis moderno Archiepiſcopo quoad vixerit, & præfatæ Eccleſiæ Utinenſi præfuerit in Coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem, cum futura ſucceſſione in regimine, & adminiſtratione ipſius Eccleſiæ Utinenſis in ſpiritualibus, & temporalibus, cum plena poteſtate omnia, & ſingula, quæ ad Coadjutoris officium de Jure, uſu, conſuetudine, atque aliis quomodolibet pertinent, faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi. Ita tamen quod tu, Coadjutoris officio durante, niſi quando, & pro tempore, quo dictus Daniel Cardinalis Patriarcha & Archiepiſcopus voluerit, & expreſſe permiſerit, te in regimine, & adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium dictæ Eccleſiæ Utinenſis, illiuſque menſæ Archiepiſcopalis bonorum, reddituum, & proventuum perceptione quovis modo, vel quæſito colore per te, vel alium, ſeu alios intromittere nequeas, niſi ipſius Danielis Cardinalis Patriarchæ & Archiepiſcopi expreſſo accedente conſenſu, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus. Et nihilominus præfato Daniele Cardinale Patriarcha & Archiepiſcopo cedente, vel decedente, ſeu regimini, & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Utinenſis præeſſe deſinente, & ipſa Eccleſia Utinenſi quovis modo etiam apud Sedem Apoſtolicam prædictam vacante, etiamſi tempore vacationis hujuſmodi Officium perpetui Coadjutoris exercere non inceperis, & per te ſteterit quominus illud exerceris, ac eaſdem præſentes eidem Danieli Cardinali Patriarchæ & Archiepiſcopo, & Dilectis etiam Filiis Capitulo ipſius Eccleſiæ Utinenſis, & aliis ad quos ſpectat, non intimaveris, ex nunc prout ex tunc de Perſona tua eidem Eccleſiæ Utinenſi earumdem tenore præſentium providemus. Teque illi in Archie-

Digitized by Google

ebiepiſcopum, & Paſtorem præficimus, ac præfectum fore, & eſſe decernimus, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Utinenſis tibi in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. Volumus autem, quod ab alienatione quorumcumque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium Menſæ Archiepiſcopalis Utinenſis penitus abſtineas. Et quod de geſtis, & adminiſtratis per te ratione Coadjutoris Officii præfati, juxta tenorem Conſtitutionis fel. rec. Bonifacii P.P. VIII. Prædeceſſoris Noſtri ſuper hæc editæ, quæ incipit Paſtoralis, *rationem reddere tenearis. Quodque cum primum in vim proviſionis, & præfectionis hujuſmodi pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Utinenſis, ac illius bonorum, ſeu majoris partis eorum aſſequutus fueris, ipſa Eccleſia Thyatirenſis vacare cenſeatur eo ipſo. In illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia Utinenſis ſub tuo felici regimine & adminiſtratione regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, regimen, & adminiſtrationem hujuſmodi ſic ſollicite geras, & fideliter proſequaris, quod exinde ſperati fructus proveniant, & tuæ bonæ famæ odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipſaque Eccleſia Utinenſis Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, Noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Nos enim ad ea, quæ in tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi, quod ad prædictam Eccleſiam Thyatirenſem, donec illa ab Infidelibus detinebitur, accedere, & apud eam perſonaliter reſidere minime tenearis, Apoſtolica Auctoritate prædicta, earumdem tenore præſentium indulgemus.*

Volumus præterea, quod tu, antequam regimini & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Utinenſis te in aliquo immiſceas, in manibus Venerabilium Fratrum Noſtrorum Patriarchæ Venetiarum, & Torcellani Epiſcopi, ſeu alterutrius eorum, fidei Catholicæ Profeſſionem juxta unam emittere, ac fidelitatis debitæ ſolitum Juramentum juxta alteram formas, quas ſub diverſis Bullis Noſtris mittimus incluſas, præſtare, & ſic a te emiſſæ Profeſſionis, & præſtiti Juramenti formas ad Urbem intra legitima tempora tranſmittere tenearis, quibus & eorum cuilibet per alias Noſtras Literas mandamus, ut ipſi, vel eorum alter a te profeſſionem, ac Noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine Juramentum hujuſmodi recipiant, ſeu recipiat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, quarto Idus Martii Pontif. Noſtri anno tertiodecimo:

L X.

Carolus Rezzonicus *Anno* MDCCLVIII.

Vicarias Cardinalis D. Marci in Urbe vices egerat Carolus Rezzonicus nomine Caroli Cardinalis Rezzonici patrui, a quo inhabitandas etiam accepit Marcianas Ædes.

L X I.

Antonius Marinus Priulius *Anno* MDCCLVIII.

L X I I.

Sanctes Veronensius *Anno* MDCCLIX.

Sanctes Veronensius quartum & quintum ætatis luſtrum Romæ peregit, ubi egregiem ſtudiis operam navantem Georgius Card. Cornelius Epiſcopus Patavinus, vir graviſſimus, in ſuæ Eccleſiæ Canonicorum Collegium anno 1708. adlegit: in quo, perinde ac in præclarioribus cæteris, quibus ornatus eſt, Patavinæ Eccleſiæ muneribus ita præclare ſe geſſit, ut non ſolum Patavinis ſe probaverit Epiſcopis, verum etiam quamplurimis Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, Pico in primis Mirandulano, Jacobo Cardinali Boncompagno Bononienſium Archiepiſcopo, Pierio Theologo eximio, Quirino, Nerio Corſino, Marino Priulio, qui ſæpiſſime ad graviſſimas dirimendas controverſias ejus conſilium exquirere conſueverant. In hiſce porro conſiliis tantæ prudentiæ ſpecimen præſetulit, ut Sereniſſimus ipſe Princeps ad graviſſimas finiendas cauſſas haud raro ejuſdem opera uſus ſit. Tantam inde conſecutus eſt non ſolum apud proximas Urbes, verum etiam apud Urbem Romam nominis celebritatem, ut Benedictus XIV. P. M. Famaguſtanas *in partibus* Infulas ultro eidem obtulerit. Tarviſinæ deinde Eccleſiæ eundem præfecit, quam ut a ſe dignitatem deprecaretur, heroica ejus fecit animi moderatio; cujus rei locupletiſſimum teſtem damus ipſummet Pontificem Summum Clementem XIII., qui Patavinum ad clavum ſedens, eximio hoc Vicarium ſuum Generalem Veronenſium exornavit elogio (a): *Recreat tamen animum recordatio, me*

(a) In Relatione Status ſuæ Eccleſiæ S. Congregationi data die 6. Decemb. anno 1750. dum Romæ Card. Rezzonicus degebat.

me Diœceſis Patavinæ gubernium commiſiſſe curæ, vigilantiæ, & zelo D. Sanctis Abb. Veronenſii Vicarii mei Generalis, cujus merita, ſicuti etiam S. Sedi non ſunt ignota, ita ejus virtutes nulla alia meliori via EE. VV. perſpectas facere valeo, quam ipſis in memoriam redigens, laudabile, & inveniri non ſolitum, humilitatis exemplum, quo electioni de ipſo ad Tarviſinam Eccleſiam a SS. D. N. factæ heroice renuntiavit. Cui præclaro teſtimonio & aliud ejuſdem Cardinalis Rezzonici ſubnectere placet. *Ex Canonicorum Collegio* (ſunt hæc ejus (a) verba) *in partem ſolicitudinis Nob. Virum Sanctem Abbatem Veronenſium J. U. D. Patritium Venetum in Vicarium meum Generalem delegi, qui, quo merito & laude hujuſmodi munus ſub meo Prædeceſſore exercuit, pari nunc proſequitur ſtudio; ita ut quidquid tam quoad Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtabilitatem atque incrementum, quam quoad moralis præſertim Theologiæ, Eccleſiaſticis ſpeciatim viris ſumme neceſſariæ, ſtudium & profectum, in meo ad hanc Civitatem acceſſu probandum inveni, totum ipſius curæ & vigilantiæ tribuendum fatear.*

N U-

(a) In alia Relatione Status Patavinæ Eccleſiæ, ut ſupra, die 10. Martii anno 1747.

NUMISMATA
VENETIS PONTIFICIBUS SUMMIS
C U S A. (a)

EUGENIUS IV.

I.

EVGENIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum triplici regno, & pluviali.*
Inſignia familiæ Condulmeriæ, quæ ſunt faſciæ duæ tranſverſim ductæ, cum clavibus, & Regno.

II.

SVB. EVGENIO. PAPA. IIII. ANNO XPI. MCCCCXLI. VNITI. SVNT. *Pontifex Pontificiis veſtibus ornatus, ſedens cum pallio, dextera benedicens, & ſiniſtra claves tenens: Ab utroque latere duo parva ſtemmata, in uno claves, in altero faſciæ.*
GRAECI. ARMENI. IN. SYNODO. FLORENTINA. CVM. SEDE. APOSTOLICA. *Effigies coronata genibus flexis, manibuſque junctis: In dextera alia ſimilis effigies, genibus etiam flexis; & in ſuperiori parte caput Divi Petri inter nubes.*

III.

EVGENIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies, ut num. I.*
NICOLAI. TOLENTINATIS. SANCTITAS. CELEBRIS. REDDITVR—SIC. TRIVMPHANT. ELECTI. *Pontifex habitu ſacro cum Cardinalibus inter*

(a) Quæ Eugenio IV., Paullo II., & Alexandro VIII. excuſa ſunt deſumſimus ex Rodulphini Venuti libro, cui titulus *Numiſmata Romanorum Pontificum præſtantiora*: quæ vero cuſa viventi Summo Pontifici damus, ea Mazzuchelliano debemus Muſæo.

ter Sanctos adſcribit Nicolaum Tolentinatem *ante Altare* : *In ſuperiori parte* , *Spiritus Sanctus*.

I V.

EVGENIVS. IIII. PONT. MAX. *Effigies*, *ut in præcedenti*.

QVEM . CREANT . ADORANT — ROMAE . *Pontificis coronatio*.

PAULUS II.

I.

PAVLVS . II. VENETVS . PONT. MAX. *Pontificis effigies capite nudo*, *pluviali iconibus Apoſtolorum ornato* , & *Pontificiis inſigniis*.

ANNO . MCDLXIV — ROMA. *Inſignia Gentis* Barbæ, *Leo ſaliens cum tranſverſa faſcia*.

I I.

PAVLVS. II. VENETVS . PONT. MAX. *Effigies ſimilis cum pluviali ſimplici*.

Inſignia eadem corona circumdata ; a Bonannio omiſſa.

I I I.

PAVLO. VENETO. PAPE. II. ITALICE. PACIS. FVNDATORI — ROME . *Effigies dimidiata Pontificis cum pluviali*.

Pontificis Inſignia.

I V.

Aliud ſimile cum Inſigniis intra coronam , *ut Num. III.*

V.

Aliud Numiſma cum eadem effigie, & *epigraphe in utraque parte*.

VI.

Digitized by Google

VI.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

ANNO. CHRISTI. MCCCCLXX. HAS. AEDES. CONDIDIT. *Ædium proſpectus.*

VII.

Aliud Numiſma cum eadem epigraphe intra coronam quernam.

VIII.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies præcedentibus ſimilis.*

HANC. ARCEM. CONDIDIT. ANNO. CHRISTI. MCCCCLXV. *In medio Inſignia Pontificia cum Tiara triplici corona redimita, abſque clavibus.*

IX.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

HILARITAS. PVBLICA. *Mulier ſtans, cornu copiæ in læva, palmam in dextra habens; juxta pedes ſpicæ: & corona in altero latere.*

X.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut aliæ, pluviale ſimplex.*

HILARITAS. PVBLICA. *Mulier ſimilis cum cornu copiæ, palma, & duobus pueris, qui circa eam ludunt.*

XI.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

CONVIVIVM. PVB. ERGA. POP. ROM. *Duplex cornu copiæ, & in medio:* ROMA.

XII.

X I I.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies præcedentibus ſimilis.*

LAETITIA. SCHOLASTICA. A. BO. *Mulier ſtans florem in dextra tenens, circumque duos pueros.*

X I I I.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Effigies Pontificis cum Tiara, & pluviali.*

AVDIENTIA. PVBLICA. PONT. MAX. *Pontifex ſupra Thronum duobus Cardinalibus comitatus; vir genua flexus illius pedes deoſculatur, alii genibus etiam flexis, manibuſque ante pectus junctis, ſupplices illi præſentantur.*

X I V.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, ut numero. I.*

PABVLVM. SALVTIS. *Sancti Apoſtoli Petrus & Paulus inſidentes radicibus rupis, unde egreditur fons, ad quem oves multæ ſitientes accedunt; ſupra fontem viſitur agnus cum nimbo, in dextra calix, e lateribus duæ exſurgunt palmæ.*

X V.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Caput, ut in aliis.*

ANNO. CHRISTI. MCCCCLXX. HAS. AEDES. CONDIDIT—TRIBVNA. S. PETRI—ROMA. *Proſpectus antiquæ Tribunæ Baſilicæ Vaticanæ.*

X V I.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Pontificis effigies, ut in poſtica.*

PAVLO. VENETO. PAPA II. ANNO. PVBLICATIONIS. IVBILAEI—ROMA. *Effigies Papæ cum Tiara, vittis pendentibus, & pluviali. Numiſma forma ovali.*

XVII.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *SS. Petrus & Paulus Apoſtoli.*

PAVLVS. PP. II. *Pontifex ſedens ſupra ſolium duobus ſtipatus Cardinalibus, & aliquot Perſonæ ante ipſum genibus flexis.*

XVIII.

SACRVM. PVBL. APOSTOLIC. CONSISTORIVM. PAVLVS. VENETVS. PP. II. *Papa in Conſiſtorio in medio Cardinalium, & coram magno Populo: Inferius vero Pontificis Inſignia Gentilitia.*

IVSTVS. ES. DOMINE. ET. RECTVM. IVDICIVM. TVVM. MISERERE. NOSTRI. DO. MISERERE. NOSTRI. *Judicium Univerſale.*

XIX.

PAVLVS. II. PONT. MAX. *Caput nudatum cum pluviali, & in Rationali Inſigniis.*

SOLVM. IN. FERAS. PIVS. BELLATVR. PASTOR. *Aper in Silva a Venatore, & canibus inſequutus.*

XX.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, ut in primo.*

TV. PRO. ME. NAVEM. LIQVISTI. SVSCIPE. CLAVEM. *Brachium, quod e nube egreditur, & manu clavem tradit cuidam, qui ex parte viſitur, quique illam manibus velatis excipit.*

XXI.

Digitized by Google

X X I.

PAVLVS. II. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies numeri I.*

IACOBVS. GOTTIFREDVS. ROMAN. PHISICVS. EIVSDEM . SVFFRAGIO . HAS. AEDES . A. FVNDAMENTIS. EREXIT.

ALEXANDER VIII.

I.

ALEXAN. VIII. OTTOBON. P. O. M. CRE. VI. OCT. 1689. *Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio ; inferius* : IO: HAMERANVS. F.

MVNIT. ET. VNIT. *Globus, cujus pars ſuperior cœlum, inferior terram deſignat ; Zona Zodiacum repræſentans, quæ globum ſecat, Cœlum a terra dividit,*

I I.

ALEXAN. VIII. PONT. M. A. I. *Effigies, ut ſupra; inferius* : I. H.

DOMINI. EST. ASSVMPTIO. NOSTRA. *S. Petri Cathedra ; in exergo*: 1690.

I I I.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, cum Tiara Pontificia, & pluviali, in quo S. Bruno expreſſus ; inferius* : I. H.

Poſtica, ut numero I.

I V.

ALEXAN. VIII. PONT. M. A. I. *Effigies cum Regno, & pluviali, in quo S. Bruno.*

SVAVITATE. *Thuribulum, e quo thus fumicat.*

V.

ALEXAN. VIII. PONT. M. A. I. *Eadem effigies; inferius*: I. H.
EXEMPL. DEDI. VOBIS. *Chriſtus Apoſtolorum pedes lavans*.

VI.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio*.
TV. DOMINVS. ET. MAGISTER. *Jeſus Chriſtus S. Petri pedes lavans; in exergo*: EXEMPL. DEDI. VOBIS.

VII.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. AN. I. *Effigies, ut ſupra; inferius*: IOS. ORTOLANI. VEN. F.
VICTRICEM. MANVM. TVAM. LAVDEMVS. *B. Virgo in nubibus ſedens, Puerum* IESVM *habens in ulnis; inferius mare, in cujus littore duo Trophæa, & duo Turcæ manibus retrorſum vinctis*.

VIII.

ALEXANDER. VIII. PONT. MAX. 1690. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio*.
NON. PRAEVALEBVNT. *Mulier velata, in cujus capite Spiritus Sanctus, in ſcuto vero Pontificis ſtemma, Cruce, quam dextera tenet, Hydram percutit, pedibuſque proterit*.

IX.

ALEXAN. VIII. P. M. OTTHOBONVS VENETVS. *Effigies, cum camaleucio, & brevi pallio; inferius*: I. H.
LAVRENTIO. IVSTINIANO. IN. SS. ALBVM. RELATO. *S. Epiſcopus ſedens cum pedo, & mitra; in*

in exergo: PETRO. ET. IOANNE. LANDIS. ORAT. VEN. ADNITENTIBVS.

X.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra; inferius:* TRAVANVS.

NOSTRA. FELICITAS. *Mulier ſedens ſupra ſolium, caduceum dextra, læva cornu copiæ tenet; in exergo*: 1690.

X I.

ALEXAN. VIII. OTTOBON. P. O. M. CRE. VI. OCT. *1689. Effigies Pontificis cum camaleucio, & brevi pallio.*

OPT. ORBIS. PASTORI. AN. II. 1690. *Superne Pontificia Tiara, cum clavibus decuſſatis; omnia intra lauream coronam.*

X I I.

ALEXANDER. VIII. PONT. OPT. MAX. *Effigies cum Regno, & pluviali; inferius*: ROMA.

AMORE. ET. CORDE. *Reges Magi munera offerentes Puero* IESV *ſedenti in ſinu Matris: ſuperne Stella.*

X I I I.

ALEXANDER. VIII. PONT. MAX. CREAT. A. 1689. D. 6. OCT. *Effigies cum camaleucio, & brevi pallio; inferius*: P. H. M.

NOMINE. DEPOSITO. PETRVS. INCIPIT. ESSE. SEDENDO. OTTOBONVS. TOTO. CORDE. SIT. ERGO. BONVS. EVENIVNT. VENETIS. VEGETIS. IAM. PROSPERA. QVAEVIS. ID. SATIS. IPSE. RECENS. PAPA. LATINE. PROBAS. 1689. *Superne Pontificis ſtemma.*

XIV.

XIV.

ALEXANDER. VIII. OTTOBONVS. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra; inferius*: N. O. C.

CREAT. D. VI. ET. CORON. D. XIV. OCT. MDCLXXXIX. *intra coronam lauream.*

XV.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, & brevi pallio.*

D. SI. VIS. POTES. *Leproſus genibus flexis ante Salvatorem ſtantem.*

XVI.

ALEX. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut numero ſuperiori.*

S. PETRVS. APOSTOLVS. *S. Petri protome, claves manu tenentis.*

XVII.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Eadem effigies, ac ſupra.*

SPIRITVS. CONSILII. *Spiritus Sanctus radiis circumdatus.*

XVIII.

ALEXAN. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

EIA. HIC. MARE. HIC. PORTVS. *Mulier ſedens quatuor pueris circumdata.*

XIX.

ALEXAND. VIII. PONT. MAX. *Effigies, ut ſupra.*

ADDITO. IN. VATICANO. SAPIENTIAE. TABVLO. *Abacus, ſuper quo libri; ſuperne Aquila biceps, inter ungues tæniam tenens, in qua*: EX. REGIIS. CHRISTINÆ. THESAVRIS; *inferius*: 1690.

XX.

X X.

ALEXAND. VIII. PONT. MAX. *Eadem effigies.* SAPIENTIA. FVNDAVIT. STABILIVIT. PRVDENTIA. 1689. *Bibliotheca Vaticanæ adſpectus.*

X X I.

ALEXANDER. VIII. OTTHOBONVS. VENETVS. PONT. MAX. *Effigies, cum pileolo, palliolo, & ſtola.* PETRVS. CARD. OTTHOBONVS. S. R. E. VICECANC. PATRVO. MAG. BENEMERENTI. POSVIT. MDCC. *Pontificis tumulus; urnæ inſcriptum eſt:* ALEX. VIII. PONT. MAX. *Inferius:* COMES. CAROLVS. S. MARTIN. INVEN. *& ſtemma Cardinalis Otthoboni; e lateribus ſtemmatis:* S. V. *hoc eſt:* S. VRBANVS.

X X I I.

SEDE. VACANTE. MDCXCI. *SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Capita.*

VENI. LVMEN. CORDIVM. *Spiritus Sanctus in columbæ ſpeciem.*

CLEMENS XIII.

I.

Numiſma majoris formæ in parte adverſa *exhibet* CLEMENTIS *imaginem hermam, ſiniſtrorſum converſam, circumſcripto titulo:* CLEMENS. XIII. PONT. MAX. AN. I.

In averſa *plures diſcipuli conſpiciuntur pictoriam tabellam tenentes, circa Magiſtrum ſedentes, ſuperaddita inſcriptione:* SCHOLA. PICTORVM. CAPITOLINA.

In

Digitized by Google

II.

In hoc ejuſdem prope formæ eminet ſimilis imago, circumductis literis: CLEMENS. XIII. PONT. MAX. *In parte* poſtica *ſublimem in aere B. V., puerulum* IESVM *ſinu geſtantem ſuſpicit, eandemque penicillo in tabula effingit D. Lucas, ut bos indicat pone tabulam jacens.*

III.

Minoris formæ hoc eſt: in antica *parte caput & ſumma pectoris refert* CLEMENTIS *dextrorſum converſi, extantibus circa oram numiſmatis literis*: CLEMENS XIII. PONT. MAX. *In* poſtica *ſtat mulier ſtolata cornu copiæ ſiniſtra tenens, libramque dextera, gemina æque pendente lance, præfixo titulo*: ORIETVR. IN. DIEBVS EIVS. *Infra*: MDCCLVIII.

IV.

Ejuſdem iſtud formæ eandem omnino refert imaginem eundemque titulum. In parte altera ſtat eadem femina ſtolata, cornu copiæ ore deorſum verſo effundens, circumſcripto lemmate: DEDIT. PAVPERIBVS. *In ima parte* MDCCLIX.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX
NOMINUM ET RERUM.

A

Academicorum quorundam Romanorum nequitia. pag. 54.
Acolytorum Collegii Veronæ fundatio. 29.
Æneas Silvius Eugenii IV. laudator. 347.
Aleriensis (Andreas) Epiſcopus laudatur. 54.
Alexander VIII. Petrus Ottobonus ad Summum Pontificatum evectus. 307. Ejus ingenii laus. 309. Briniana Monumenta in ejus laudem. 310. In Patriam beneficus. ibid. Oratorum Regum jus Immunitatis moderatur. ibid. Pontificem inter, & Gallorum Regem pax restituta. 311. Sanctorum numerum auxit. ibid. nonnullas morum propoſitiones proſcripſit. ibid. Sanctæ Sedis jura defendit. ibid. Peſtilentiam Romanis cavit. ibid. Agrariam rem reſtituit, ibid. MSS. Codd. coemit, eiſque Vaticanam Bibliothecam ditat. 312. Senio confectus obiit. ibid. Mauſoleum & inſcriptio. ibid. Numiſmata ei cuſa. ibid. & 435.
Aloyſius Piſanus. V. Piſanus.
Aloyſius Priolus V. Priolus.
Amaſæus (Romulus) Orationem de laudibus Card. Contareni in ejus funere habuit. 178.
Ameiotius laudatur. 406.
Amulius (Marcus Antonius) Patriæ nomine plures rexit Civitates, & Legationes geſſit. 214 EumRomæ Oratorem agentem Veronenſi Eccleſiæ præficere ſtatuit Pontifex. ibid. Invitum Pius IV Cardinalem creat. 215. Epiſcopus Reatinus, mox Bibliothecarius Apoſtolicus. ibid. Ejus eruditio. 383. Patriarchæ Orientalis Aſſyriæ Profeſſionem Fidei excepit. ibid. & 383. Collegium Adoleſcentibus nobilitatis Venetæ erexit Patavii. 216. Moritur. 215. Venetias ejus Corpus transfertur. ibid Ejus Opera, laudes, & numiſmata. 216. Bibliotheca ſelectiſſimis referta libris. ibid. Vid. Annot. 383.
Anconæ Portus & Templum reſtitutum. 7.
Angelus Barbadicus. V. Barbadicus.
Angelus Corrarius. V. Corrarius.
Angelus Maria Quirinus. V. Quirinus.
Antoninos S. præconiis Gregorium XII. exornat. 355.
Antonius Corrarius. V. Corrarius.
Antonius Marinus Priolus. V. Priolus.
Apophtegmatum utilitas. 159.
Aretinus (Carolus) laudatur. 12. 52.
(Leonardus) laudatur. ibid.
Argentinus (Franciſcus) ex Epiſcopo Concordienſi Datarius, deinde Cardinalis. 87. Magnam Doctrinæ famam ſua ætate conſequutus. ibid. & 174. Pontificium jus interpretatus eſt. ibid. Ejus mors, Epitaphium, & Opera. 88.
Armeni victi rationibus Latinorum ſubſcribunt una cum Græcis in Concil. Florentino. 10.
Aſſemanus (Joſeph Simeonius) laudatur. 419.
Averranius (Benedictus) Linguæ Græcæ peritiſſimus. 410.
Aurispa Siculus laudatur. 12. 51.

B

Baduarius (Jo. Albertus) Franciſci & Helenæ Michaeliæ filius, ſub Epiſcopi Cremenſis patrui diſciplina pietate, & literis imbutus. 289. Clericali militia initiatur. ibid. Romæ laurea doctorali ornatur. 290. Archidiaconus Cremæ, deinde Paduæ Canonicus, poſtea Ducalis Venetæ Eccleſiæ Primicerius. ibid. Pietatis fama, & virtutum celebris Patriarchali Eccleſiæ præficitur. ibid. Paſtorali regimini, & Cleri reformationi ſedulo incumbit. ibid. Nova inſtituit Seminaria, & Academias aperit. ibid Frugalem vitam ducit & aſperam. ibid. Cardinalis creatur, & Brixianæ Eccleſiæ præficitur. 291. Ejus vigilantia. ibid. & 425. Viſitationis laboribus fractus in febrim incidit, & piiſſime moritur, civibus omnibus collacrimantibus. ibid. Ejus laudes. 292. Plura de eo Vid. Annot. p. 425. & ſeq.
Baptiſta Card. Zenus. V. Zenus.
Barbadicus (Angelus) Gregorii XII. ex ſorore nepos. 25. Veronenſis Epiſcopus. ibid. Cardinalis creatus Epiſcopatum dimittit. ibid. Ejus laudes. ibid. Conſtantienſi interfuit Concilio, & redux Januæ obiit. ibid. Vid. Annot. 361.
Barbadicus (Gregorius) adhuc adoleſcens comes datur Aloyſio Contareno Legato in Germaniam. 272. Belgium & univerſam Galliam eruditionis cauſa peragrat. ibid. Bergomenſis Epiſcopus. ibid. Ad Patavinam transfertur Eccleſiam. ibid. & 409. Cardinalis creatur. ibid. Oblatorum Congregationem inſtituit. 410. Ejus ſtudia. ibid. Bibliothecam & Typographiam erexit. ibid. Orientalium literarum Præceptores accivit. ibid. Octingenta nummum millia pauperibus erogavit. ibid. Pietate & literis inſignis. ibid. & 411. Obiit Patavii: tumulatus in principe Eccleſia. 411. Hujus ſolemnis Beatificatio jam-

jamjam celebranda. *ibid.* Vid. Annot. 410. & ſeqq.

Barbadicus (Jo: Franciſcus) Marci Antonii D. Marci Procuratoris, & Claræ Duodo filius, Gregorii Card. Barbadici ex fratre nepos, & alii Card. Marco Ant. Barbadico affinis. 288. Pietatem & literas coluit, ac Patriæ honores geſſit. *ibid.* Magni Sapientis munere functus, Gallica Legatione poſthabita, Clericalem vitam arripuit. *ibid.* Primicerius Eccleſiæ Ducalis Venetæ eligitur. *ibid.* Veronenſi Eccleſiæ præficitur. *ibid.* Verbo & exemplo præeſt. *ibid.* Mariam Caſimiram Poloniæ Reginam Verona pertranſeuntem in ſuo Epiſcopali Palatio ſplendidiſſime excepit. 296. Pontificio parens imperio Brixianam Eccleſiam regendam ſuſcepit. 296. Sacra Purpura redimitur. *ibid.* Virtutibus clarus. *ibid.* Patavinam ad Sedem transfertur. *ibid.* Præclara ejus geſta. *ibid.* S. Zenonis, & S. Gaudentii Opera ſuis ſumtibus recuſa. *ibid.* Barbadicæ Gentis numiſmata collegit, & magnifice cuſa edidit. *ibid.* Ven. Gregorii patrui virtutum æmulator. 297. Obiit, *ibid.* Vid. Annot. 417. 418.

Barbadicus (Marcus Antonius) Card. Gregorii Barbadici agnatus, ac Auguſtini Barbadici, & Claræ Barbadicæ filius. 279. Ad Corcyrenſem Archiepiſcopatum admovetur. *ibid.* Ipſius zeli & pietatis monumenta. 412. Ob ritus cæremoniales orta ibidem controverſia cum Barbono Mauroceno Mariæ Præfecto, in Patriam revocatur. *ibid.* A Pontifice rubro Galero donatur. *ibid.* Ad Eccleſiam Montis-Faliſci transfertur. *ibid.* & 413. Paſtoralis ſollicitudinis & liberalitatis ejus argumenta. 280. Reip. Venetæ partes peramanter ſuſcepit. *ibid.* Ejus mors. *ibid.* Vid. Annot. 412. ſeqq.

Barbarus (Franciſcus) Legationes varias obiit. 98. Ejus Epiſtolæ & res geſtæ duobus voluminibus illuſtratæ a Card. Quirino. 97.

Barbarus (Hermolaus) Litteris & Legationibus clarus. 99. Oratoris munus agens Romæ Cardinalis deſignatur, & Patriarcha Aquilejenſis. 78. 80. 78. Propterea viſus eſt civibus ſuis deceſſiſſe ab officio Legati. *ibid.* & 104. Inflictam pœnam forti animo tulit. *ibid.* Doctorum teſtimonio doctiſſimus. 79. 80. 98. & ſeqq. Ejus Opera. 79. & 106. Opus ejus *de Legato* in Codd. MSS. Vatic. item Epiſtolæ & Annotationes variæ. 79. & 106. Moritur. *ibid.* Vid. Annot. 178. & ſeqq.

Barbarus (Zacharias) præclarus in Legationibus. 98.

Barbus (Ludovicus) inſtaurator Congreg. S. Juſtinæ Patavii. 4.

Barbus (Petrus) V. Paulus II.

Barbus (Paulus) ejus Oratio ad Lud. XI. 148.

Barocius (Petrus) Epiſcopus Patavinus. 370.

Baronius Cæſar laudatur. 185.

Barzanus (Petrus Antonius) laudatur. 418.

Bartholomæus a Monte Politiano laudatur. 81.

Baſileenſe Concilium. V. Concilium.

Baſadonna (Petrus) a Procuratoria D. Marci dignitate ad Cardinalatum evectus. 375. Chriſtianis virtutibus inſignis. *ibid.* Triennium cum Veneto Legato Byzantii moratus. *ibid.* Ad Regem Hiſpanum olim Orator, centum octoginta millia ducatorum retulit in bellum contra Turcas. *ibid.* Reipublicæ Venetæ Orator ad Alexandrum VII. virtutum commendatione Cardinalis creatus. *ibid.* Congregationum negotia mira dexteritate ſuſcepit. *ibid.* & 412 Mavult Patriæ dignitati conſulere, quam ſibi. *ibid.* Ejus mors, & Epitaphium. Vid. Annot. 412.

Beatianus (Auguſtinus) tumulum Bembi Card. inſcripſit. 208.

Beccatellus (Ludovicus) Card. Contareni familiaris. 176. 180. 381. Delet notam huic improbe inuſtam a Bernardino Ochino. 381.

Bembus (Bernardus) juris ſcientia & prudentia clarus, Legatus ad Florentinos. 192.

Bembus (Petrus) præclariſſimus. 191. 192. dulci Hetruſcorum ſermone Florentiæ imbutus. *ibid.* in Sicilia Græcas didicit literas. 128. 380. Ejus ſcripta *ibid.* & 195. Facies ejus & animus. 196. Acceſſitus a Leone X., Pontificiis Epiſtolis ſcribendis præponitur. 197. Canonicus Patavinus. 198. Ejus lapſus facete purgantur. 199. 380. Legatus Pontificius ad Venetos. *ibid.* Cardinalium Albo inſcribitur. 201. Eugubinam Eccleſiam, dein Bergomenſem regendam ſuſcepit. 203. 381. Ejus obitus & funus. 205. Ejus marmoream ſtatuam in D. Antonii Æde Patavii locandam Hieronymus Quirinus curavit. 206. Civitas Eugubina ejus memoriam item ſtatua exornavit. *ibid.* Ejus Operum Index. 208. Venetæ Bibliothecæ præfuit aliquando. 209. Laudes & numiſmata. 381.

Benedictus (Petrus) Soc. J. laudatur. 419.

Benedictus XIII., Petrus ſcilicet de Luna, ſe Pontificatu abdicaturum jurat. 1. Vid. Annot. 151. & ſeqq.

Benedictus XIV. laudatur. 416.

Benedictinorum Congregatio S. Juſtinæ Patavii unde exorta. 4. Ad antiquum Religionis decus Ludovicus Barbus eam reduxit. *ibid.*

Beneficia Dei occulta. 391. ſeqq.

Beneventani Epiſcopi ex quodam priſco more olim Tiara utebantur. 20. Eis Paulus II. ademit, & Sanctiſſimam Euchariſtiam ante ipſos deferri vetuit. *ibid.*

Bene-

Benetelius (Aloyſius Maria) Ord. Minimorum S. Franciſci de Paula Linguæ Sanctæ profeſſor. 420.
Bernardus Navagerius. V. Navagerius.
Beſſarion Cardinalis laudatur. 56.
Blondus Forojulienſis laudatur. 12. 31. 54.
Bragadenus (Joannes) Venetus Patriarcha. 409.
Bragadenus (Laurentius) Dialecti... Venetiis Profeſſor. 137.
Bragadenus (Marcus Antonius) utriuſque Signaturæ Referendarius. 269. Cremenſis, dein Cenetenſis, & demum Vicentinus Epiſcopus. ibid. Ejus in ſacro regimine vigilantia. ibid. Cardinalis creatur. ibid. Ejus mors, & elogium. ibid. Vid. Annot. 409.

C

CÆſarem inter, & Venetos pax opera Card. Contareni magna ex parte confecta. 150.
Cajetanus (Petrus Antonius) laudatur. 374. 375.
Campanus (Jo: Antonius) laudatus. 54.
Canonicis Congregationis Frigidianæ Cœnobium S. Leonardi Veronæ conceditur. 25.
Canonicorum Regularium S. Salvatoris Silvæ lacus prope Senas Congregatio confirmatur. 4. Stephanus Senenſis ejus inſtitutor. ibid.
Capellus (Petrus Andreas) Brixianæ Provinciæ Prætoris, & Præfecti nomine Adminiſtrator. Præf. Card. Quirini memoriæ, & hujus Operis perfectioni maxime ſtudet. ibid. Splendidis licet Patriæ muneribus diſtractus, literis vacat ſtudioſiſſimus, & litteratorum curas juvat. ibid.
Capiteliſta (Jo: Franciſcus) Legatus ad Concil. Ferrar. 8.
Cappuccini FF. Minores in urbem Brixiam recipiuntur. 403.
Carolus Card. Rezzonicus. V. Clemens XIII.
Carolus Card. Rezzonicus. V. Rezzonicus.
Caraffa Petrus Card. 377.
Carolus de Monte Granello laudatur. 336.
Caſa (Joannes) laudatur. 154. 278. 377. 381.
Caſa (Jo: Baptiſta) Bellunenſis Epiſcopus laudatur. 156.
Chriſtophorus Vidman. V. Vidman.
Ciera (Petrus) probitate inſignis. 87. Magnæ doctrinæ fama ſua ætate clarus. 97. Cardinalis renuntiatus, antequam declararetur, migravit e vita. 87. Vid. Annot. 374.
Cintius Romanus laudatur. 31.
Clemens XIII. Carolus Card. Rezzonicus ad Summum Pontificatum evectus. 314. Publicæ, privataque lætitiæ ſigna. 315. Numiſmata ei cuſa. 439. Inſcriptiones ei dedicatæ. 316.
Clerici Regulares (vulgo *Theatini*) urbanam Brixiæ Parœciam ipſis oblatam recuſant. 404.
Cœnobium S. Bernardini Veronæ conſtruitur. 29.
Collegium Acolytorum Veronæ fundatus. 29.
Collegium Cardinalium e Chriſtianorum flore decerptus. 164.
Commendonus (Jo: Franciſcus) vernacula & Romana facundia clarus. 255. 185. Julio III. carus, ad Cæſarem Legatus. 226. ex Hadrienſi ad Zacynthi & Cephaloniæ Epiſcopatum translatus. ibid. Aliæ ejus Legationes. ibid. Interfuit Synodo Diœceſanæ Card. Hoſii. 557. Patres Societatis Jeſu laudat, & juvat. ibid. Cardinalis creatur. ibid. Plurimis aliis Legationibus clarus. 553. Moritur. ibid. Ejus ſcripta & laudes. ibid. Vid. Annot. 385. 386.
Concilium Baſileenſe Bononiam transfertur. 7. Confirmatur. 8. Ferrariam transfertus. ibid. Exorditur præſente Imperatore, Patriarcha Conſtantinopolitano, & Græcis. ibid. Ferrarienſis peſtis Florentiam transferri ſuadet. 9. Græci Latinorum dogmata complectuntur. 10. Iiſdem Armeni ſubſcribunt. ibid. Biennio poſt Græci ad vomitum revertuntur. ibid. Marci Epheſii pertinacia. ibid.
Condulmerius (Franciſcus) Eugenii IV. ex fratre nepos. 28. Ejus munera ſacræ Purpuræ ſplendore inſignita. 29. 367. Veronenſis Epiſcopus Collegium Acolytorum ibidem fundavit. ibid. Legatus ad Venetos contra Turcas. 30. Pontificiæ claſſi præfuit. ibid. & 367. Palatium Romæ ædificavit. ibid. Præfuiſſe Eccleſiæ Veſuntionienſi ſcribunt Galli. ibid. Moritur. ibid. Vid. Annot. 367.
Condulmerius [Gabriel] V. Eugenius IV.
Contarenus (Aloyſius) laudatur 379.
Contarenus [Gaſpar] ſumma indolis adoleſcens. 137. Ejus ſtudia Venetiis & Patavii. ibid. Profectus ingenii & vitæ ſuæ curſus. 138. 179. Phyſicas quæſtiones ſubitaria reſponſione diſſolvit 139. Theologicis in rebus peritus. 377. & ſeqq. Cum Novatoribus diſputat. 378. Ordine diſcebat, & diſcendum eſſe docebat. ibid. Studiorum ducem D. Thomam Aquinatem elegit. ibid. Græce & Latine doctus. ibid. & 378. Moribus, & pietate doctiſſimis ornat. 141. Ad Carolum V. Orator. 142. Cæſarem inter & Venetos pacem felici exitu ſucceſſu. 150. Brixiæ Præfectura ei demandatur, quam recuſavit. 147 Sapiens Magnus, & Conſiliarius Patriæ eligitur. 158. Theologiæ cognitio & uſus. ibid. In Cardinalium numerum cooptatur. 153. Bellunenſis Epiſcopus. 156. Ejus mores non mutant honores. 157. 160. 161. ſeqq. Græcæ Nationis reliquias fovit. 158. Æs alienum ſtata die diſ-

diſſolvit. *ibid.* Quæſtus odit illiberales. 159. Ad Ratisponenſem Conventum Legatus. 165. Ad Imperatorem. 189. Ejus acta Germanica defenduntur. 169. 170. 178. Mediolanum Cæſaris ſplendide ingredientis lateri hæret. 170. Lucæ a Summo Pontifice hilari vultu excipitur. 171. Lauretano B. V. Templo Protector datur. 172. Bononiam Legatus mittitur. *ibid.* Ejus laudes. 173. Ad Cæſarem in Hiſpaniis degentem Legatus. 174. Ejus Pietas, mors, & Epitaphium. 177. 178. 179. Elogia. 179. ſeqq. Ejus Opera. 388. Vid. Annot. 377.

Contarenus (Jo: Baptiſta) laudatur. 352. 388.

Corraria Gens brevi temporis ſpatio Venetam Hierarchiam plurimum exornavit. 30.

Corrarius Angelus. V. Gregorius XII.

Corrarius (Antonius) Gregorii XII. ex fratre nepos, Congregationis S. Georgii in Alga profeſſor, & inſtitutor. 6. 23. Cardinalis creatus. *ibid.* Eccleſiam Bononienſem, parte fructuum retenta, dimiſit. 23. Concilio interfuit Conſtantienſi, Martini V. partes ſequutus. 22. 331. Ejus animi virtutes præſtantes. 42. ſeqq. 331. ſeqq. Senectutem traduxit in Cœnobio Patavino S. Jo: Baptiſtæ. 24. Huic Bibliothecam ſuam rarioribus MSS. refertam dono dedit. 332. Obiit Sacri Collegii Decanus. 23. Bibliothecam S. Georgii in Alga plurimis MSS. auxit. 24. de ejus vita & obitu ſcripſit Gregorius Corrarius. 40. 331. Ei laudes a Sanctis viris tributæ. *ibid.*

Corrarius (Gregorius) tranquillam vitam degit in Zenoniano Cœnobio, cujus fuit Abbas Commendatarius. 332. Scripſit *Soliloquium ad Deum de vita & obitu Antonii Epiſcopi Oſtienſis*. 40. Alia ejuſdem ſtudia, & Opuſcula. *ibid.* & 332. Ad Inſulas Vicentinas vocatur. 30. Cum Patriarchalibus Venetiarum eas commutare adactus fuit ex Patriæ ſuæ poſtulatione. *ibid.* At vix electus fato ceſſit. *ibid.* Index ſuarum lucubrationum. *ibid.* Vid. Annot. 331. 332. Ejus Epiſtola ad Cæciliam Virginem de fugiendo Sæculo. 333.

Cornelius (Aloyſius) 382. Cardinalis. 383. Protector Cruciferorum. *ibid.* Ejus mors. *ib.*

Cornelius (Andreas) junior Franciſci Cardinalis Cornelii ex fratre nepos. 213. Archiepiſcopus Spalatenſis Lateranenſi interfuit Synodo; & Tridentini Concilii Seſſionibus VI. VII. VIII. Cardinalis. *ibid.* Brixiæ Epiſcopus. *ibid.* & 382. Obiit florente ætate. 212. Ejus laudes. 382.

Cornelius (Aloyſius) Catharinæ Reginæ Cypri pronepos, Marci, & Franciſci ex fratre nepos, aliorumque Cardinalium conſanguineus. 212. Jadrenſis Epiſcopus Cardinalatus faſtigium conſequitur. *ibid.* Quartus ex Cornelia gente Cardinalis. 239 Epiſcopatum Bergomenſem, Archiepiſcopatum Tragurienſem, & Tranenſem adminiſtravit. *ibid.* Caroli Cardinalis Caraffæ capitali judicio præfuit. *ibid.* A Pio V. pro Cypri Regno opem petit, & obtinet. *ibid.* Ejus laudes, mors, & Epitaphium. 271 Vid. Annot. 382

Cornelius (Federicus) Joannis Cornelii filius, 241. Cypri Prior, Epiſcopus Tragurienſis, dein Bergomenſis, ac demum Patavinus. *ibid.* Interfuit Conc. Tridentino. *ibid.* Seminarium erexit, & duo Sacrar. Virg. Collegia Patavium deduxit. *ibid.* Synodos celebravit. *ibid.* Templa conſecravit; & in Eremo *de Rua* ſibi Sacellum extruxit. 244. Ejus mors, & laudes. 245. Vid. Annot. 392.

Cornelius (Federicus) junior Joannis Venetiarum Ducis filius, & Franciſci Card. Cornelii nepos. 258. Juvenili ætate domi Academiam erexit, & rexit. *ibid.* Epiſcopus Bergomas & Cardin. S.R.E. *ibid.* Ad Vicentinam, deinde ad Patavinam translatus Eccleſiam. *ibid.* Ejus geſta. 259. 260. Paſtorale officium ſumma cum laude exercuit. 261. Ejus elogia. 262. Moritur. 263. Laudes & numiſmata ei cuſa. 264. 268. Vid Annot. 408.

Cornelius Flaminius Senator præſtantiſſimus laudatur. 142. 349. 365. 166. 169. 174. 390. & ſeqq.

Cornelius (Franciſcus) Corneliæ Reginæ Cypri nepos. 94. Adoleſcens Martem ſequutus. *ibid.* & 175. Hieroſolymam pietatis ergo petit. *ibid.* Patriæ Magiſtratuum honoribus auctus. *ibid.* Legatus ad Carolum Hiſpaniæ Regem. *ibid.* Clericali militiæ nondum adſcriptus, Cardinalis creatus. 95. 176. Brixianam Eccleſiam Epiſcopus rexit. *ibid.* Andreæ nepoti eam reſignat. *ibid.* Excellens ingenium, & graves ejus in Senatu ſententiæ. *ibid.* Pietatem coluit. *ibid.* Moritur, & in ejus funere Orationem habuit Hieronymus Niger. 96. Vid. Annot. 376.

Cornelius (Georgius) Venetæ Reip. Duces avum, ac fratrem habuit. 281. Liberalibus diſciplinis Veronæ incubuit. *ibid.* Juris prudentiæ laurea Patavii ornatur. *ibid.* Ejus peregrinationes. *ibid.* In Patria ſecularibus vacat muneribus. *ibid.* Orator ad Lud. XIV. Galliarum Regem. *ibid.* Protonotarius, & Præſes Cameræ Apoſtolicæ. 283. Rhodienſis Archiepiſcopus, Nuncius ad Luſitanos. *ibid.* Cardinalis creatus. *ibid.* Epiſcopus Patavinus. *ibid.* Ejus laudes. *ibid.* & 414. Abbas Commendatarius S. Andreæ de Buſco. 286. Cypri Commendam jure ſuo aſſequitur. *ibid.* Obiit. *ibid.* Vid. Annot. 414.

Cornelius (Marcus) Corneliæ Cypri Reginæ conjunctus ſanguinis neceſſitudine. Cardinalis creatus. 84. Præfuit Eccleſiia

Con-

Digitized by Google

Conſtantinopolitanæ, Veronenſi, Neritonenſi, ac Patavinæ. 85. Summa probitate ac prudentia. *ib.* Cathedralem Veronenſem auxit, & ornavit. *ibid.* Moritur. *ibid.* Vid. Annot. 373.

D

DAodalus (Matthæus) Romæ Orator. 154.
Daniel Card. Delphinus. V. Delphinus.
Daniel (Marcus Delphinus) V. Delphinus.
Datus (Leonardus) a Secretis Cardinalis Condulmerii. 51.
Delphinus (Daniel) Joannis & Piſanæ Bembo filius, pietatis & literarum cultor ab adoleſcentia. 317. Patruo Aquilejenſi Patriarchæ Adminiſter additus. *ibid.* Patriarchatus regimen ſuſcepit. *ibid.* Præclara ejus geſta. *ibid.* Cardinalis creatur. 318. Ultimus ex Patriarchis Aquilejenſibus, & primus ex Utinenſibus Archiepiſcopis. *ibid.* Vid. Annot. 414.
Delphinus [Daniel Marcus] Joannis Card. Delphini ex fratre nepos, & alterius Joannis Card. Delphini abnepos, patrem habuit Nicolaum, & matrem Eliſabetham Gradonicam. 288. Avenionenſis Eccleſiæ jura, Gallis infenſis, defendit. *ibid.* Gallicam Legationem ſuſcepit. *ibid.* Solers in promovenda Eccleſiæ Romanæ debita reverentia. *ibid.* Sibi parcus, largus egenis, & magnificus. *ib.* Meritis commendatum Summus Pontifex ad Epiſcopatum Brixienſem admovit, & inter Cardinales aſſumſit. *ibid.* Ejus laudes, & obitus. 289. Vid. Annot. 415.
Delphinus (Joannes) Romæ Oratorem agens, laicalem Togam in Eccleſiaſticam commutare ſtatuit. 252. Procurator S. Marci. *ibid.* Vicentinæ Eccleſiæ præficitur, & Cardinalium Cœtui adſcribitur. *ibid.* Prudentia celebris & Gallicarum partium director. *ibid.* Ægrotans penſiones Eccleſiaſticas in familiares tranſtulit. *ibid.* Ejus facies. *ibid.* Mors & Epitaphium. 253. Laudes. 254. Vid. Annot. 406.
Delphinus (Joannes) junior, Joannis Card. Delphini ex fratre nepos, & Nicolai Senatoris ex Eliſabetha Priola filius. 373. Latinæ & Græcæ linguæ peritus, ſcientias & jura perdidicit. *ibid.* Poetis etiam delectatus. 419. Sapiens Ordinum ac Terræ firmæ inter Senatores Reip. ſedit. *ibid.* Gallicam Legationem deprecatur. 374. Aquilejenſis Coadjutor Sacra Purpura ornatur. *ibid.* Ejus ſcripta. *ibid.* Vid. Annot. 421.
Delphinus [Petrus] Camaldul. Generalis laudatur. 116. Quæ inter ipſum, & P. Quirinum, ac Paulum Juſtinianum Eremiticæ Vitæ aſſertores interceſſit diſſenſio minime eorum Sanctitati officit. 115. 116.
Dominicus de Dominicis laudatur. 336.
Dominicus Grimanus Card. V. Grimanus.
Donatus (Ludovicus) Minorita, Procurator Generalis, Inquiſitor, & Provinciæ S. Antonii Miniſter. 22 & 149. Urbani VI. partes in ſchiſmate ſequutus, Cardinalis creatus. *ibid.* Vir doctrina inſignis. *ibid.* Legatus Pontificius Neapolim ad Carolum III. *ibid.* Conſpirationis reum Urbanus VI. eum ſuſpicatur, carceri mancipatur, & Genuæ interficitur. *ibid.* Ejus in tormentis patientia. *ibid.*
Donatus (Nicolaus) a Venetis Patribus communi ſuffragio Patriarcha Aquilejen. delectus. 105.

E

ECkius (Jo:) laudatur. 171.
Eliſabetha Franciſci Gonzagæ ſoror cum Guidoubaldo Feltrio nupta, laudatur. 295.
Eugenius IV. Summus Pontifex. 5. Adoleſcens patrimonium pauperibus diſtribuit. 6. Ordinis Canonicorum S. Georgii in Alga profeſſor, & Inſtitutor. *ibid.* Picentes in fide Eccleſiæ confirmat. 7. Anconæ portum, ac Templum reſtituit. *ibid.* Sigiſmundum Romanorum Regem corona redimivit. *ibid.* Monaſtico tectus cucullo fugam arripuit. *ibid.* Bononiam Concilium Baſileen. tranſtulit. 8. Columnenſes, & Sabellos domat. *ibid.* Pax inter Papam & Principes publicatur. 9. Conjurationis rei puniuntur. *ibid.* Ipſo abrogato, Baſileenſe Concilium Amadeum Sabaudiæ Ducem Pontificem creat, Felicemque appellat. 10. Trifariam Eccleſia dividitur, aliis Felici, aliis Eugenio, neutri aliis obtemperantibus. *ibid.* Partes ſuas aucturus XVIII. Cardinales creat, ex quibus duo Græci, Ruthenus, & Nicænus. 10. Ejus cura in deferenda Sacra Purpura Viris undecunque conquiſitis. 31. 32. 147. Romam redit, unde annos 9. & ultra abfuerat, ibique honorifice excipitur. 11. Rebus geſtis inſignis. Ejus facies & animus. 12. Præclara ejus merita in juvanda re literaria. 50. 51. Liberalis in pauperes, in dotandas puellas, & Virgines collocandas 12. 13. 50. 51. Tardus ad iram. 12. Gymnaſia fovit, & præ cæteris Romanum. *ibid.* Familiares ejus perpauci, ſed docti. *ibid.* Palatium Apoſtolicum, & templa refecit. 13. Scripſit adverſus Concil. Baſileenſe 14. Decretum edidit Unionis Græcorum & Latinorum, quod Cardinalis de Turrecremata illuſtravit. 15. Conſtitutiones ejus Eccleſiaſticæ, & Epiſtolæ plurimæ. *ibid.* Moritur. 11. Vindicatus e calumniis Poggii Florentini 52., a cri-

mi-

mioationibus Bruji , & Theodorici a Niem. 144 & ſeqq Ejus monumentum . 348. Numiſmata ei cuſa . 432. ſeqq.

F

FAmiliaris rei procuratio negotium odioſum homini ſtudiis occupato. 133.
Federicus Cornelius . V. Cornelius.
Fei trius Guidus Ubaldus Urbini Dux maxime ſpectata virtute. 195.
Ferrarienſe Concilium . V. Concilium.
Ferrarienſis Marchionis ſplendidus Romam ingreſſus. 19.
Ferrei oris (Lodovicus) Philoſophus in Bononienſi gymnaſio celebris. 184.
Ferrerius [Vincentius S.] Petrum de Luna oppugnavit . 115.
Fiorentinius [Franciſcus] laudatur. 382.
Florentinum Concilium. V. Concilium.
Flotimontius [Galeatius] Sueſſæ Epiſcopus honeſtis artibus perpolitus, religione ac pietate incenſus. 141.
Folietta Ubertus laudatur. 118.
Fontana (Fabius) Poeta laudatur. 405.
Foſcarus (Petrus) Cardinalis præfuit Eccleſiæ Patavinæ. 32. Obiit ad balnea Viterbii. ibid. Vid. Annot. 371.
Franciſcus Argentinus. V. Argentinus.
Franciſcus Barbarus. V. Barbarus.
Franciſcus Condulmerius. V. Condulmerius.
Franciſcus Cornelius . V. Cornelius.
Franciſcus Laudus . V. Laudus.
Franciſcus Piſanus. V. Piſanus.
Franciſcus Vendraminus. V. Vendraminus.
Fridericus Ferdinandi Neapolis Regis filius a Paulo II. perbenigne ſuſcipitur , & Roſa donatur. 19.
Fridericus Imperator ad Lateranenſem Baſilicam cum Papa ſolemniter procedit. 18.
Frigidiana Congregatio . V. Canonicis.
Furiettus [Alexander] S. R. E. Card. eruditiſſimus . 403.
Fuſcarenus [Marcus] D. Marci Eques & Procurator laudatur . 386. 373. 374. 383. 391. ſeqq.

G

GAbrielius (Angelus) laudatus . 169.
Gabriel Condulmerius . V. Condulmerius .
Galletius [Aloyſius] Caſin. laudator. 348. 714.
Ganaſſonius (Franciſcus) Caſin. Sacrorum Canonum Profeſſor, laudatur . 131.
Gaſpar Contarenus . V. Contarenus.
Gaza (Theodorus) laudatur . 34.
Gauus [Marcus Antonius] laudatur . 239. 339.
Georgius (Dominicus) Romanæ Curiæ Præſul doctiſſimus. 50.
Georgius [Marinus] Senator clariſſimus . 122. ſeq.
Gerardus (Maphæus) ſeu (Matthæus) Vir doctus & pius Camaldulenſe Inſtitutum adoleſcens profeſſus eſt . 71. Exemplum innocentiæ dum vixit inter Monachos , & dum Patriarchales Patriæ infulas geſſit. 27. Ejus laudes. ibid. Cardinalis creatus. 74. Obiit Interamnæ. ibid. Ciaconius varia de eo ſcribens emendatus. 77. 73. Vid. Annot. 372.
Gberius (Coſmas) laudatur. 377.
Gradonicus (Bartholomæus) Thyatiræ Epiſcopus. 313. Commandatarius Abbatiæ Vangadicienſis. 318. Veneto petente Senatu, a Benedicto XIV. in perpetuum Coadjutorem cum futura ſucceſſione Archiepiſcopo Utinenſi aſſignatus. 424. Hejus rei monumenta. ibid. & ſeqq.
Græci rationibus victi in Concil. Florentino Latinorum dogmata complectuntur. 10.
Graſſis [Natalinus de] laudatur . 262. ſeq.
Gratiſous (Antonius Maria) Fraſoi Amerinus, laudatur. 239.
Gregorius XII. Summus Pontifex Innocentio VII. ſufficitur. 1. A pueritia ſanctitatis & ſapientiæ cultor . 2. Legem in Conclavi ſtatutam jurat de abdicando Papatu, ſi id, ut promiſerat, præſtitiſſet Petrus de Luna . ibid. 335. ſeqq. Theologia inſignis. ibid. Congregationem S. Georgii in Alga Venetiis confirmat. 4. Sanctæ Juſtinæ Patavii Monaſterium dat Olivetanis. ibid. Conſtitutionem de Reformando Monaſterio Ordinis S. Benedicti edidit . ibid. Conſtantia comparatur D. Stephano. ibid. Papatu ſe abdicat in Concilio Conſtantienſi. ibid. Ipſa tamen Synodus decrevit, eundem fore perpetuum Epiſcopum , Cardinalem, & Legatum Piceni. ibid. Ideo ſecundus poſt Romanum Pontificem dignitate & ordine habitus . 1. Moritur . ibid. Ejus Cadaver an. 1623. integrum inventum & habitu Pontificio adhuc ſarto ornatum. ibid. Laudatur ex Ms. Gregorii Corrarii. 92. Vindicatur a criminationibus Petri Bruji. 124. ſeqq. item a calumniis Theodorici de Niem. 315. Ejus Bulla de abdicatione Pontificatus. 212.
Gregorius Barbadicus. V. Barbadicus.
Gregorius Cornelius. V. Cornelius.
Grimanus (Dominicus) Patriarchatum Aquilejenſem prudentiſſime rexit. 30. Cardinalis creatus. ibid. Mira ejus pietas in patrem . 81. Literis & probitate egregie ornatus. 97. Inſignia ex præclari ingenii monumentis, & ex Legationibus ſplendide ac ſapienter obitis ib. Bibliothecam inſtructam octo millibus volum. ſibi paravit. 81. Hanc cœnobio S. Antonii Venetæ urbis dono dedit . 97. Obitus ejus, & ſepulcrum , ac elogium.

Digitized by Google

gium. 88. Ejus tabulæ teſtamentariæ. 81. Philoſophorum & Theologorum ſui ævi princeps. *ibid.* Numiſma ei cuſum. 84.
Grimanus (Marinus) Dominici Grimani Card. nepos 90. Patriarcha Aquilejenſis, & Cardinalis. 91. Literatorum Mecœnas. 90. Ejus Legationes 91. 97. Delectus a Paulo III. pro rebus Concil. Tridentini. 92. Literis, & probis moribus clarus. 97. Ejus mors, ſepulcrum, & inſcriptio. 92. Scripſit in Epiſt. D. Pauli. *ibid.* Templum S. Mariæ Transtiberim ornavit & auxit. 93. in Cenetanſi Templo organum conſtruxit, eique turrim campanariam adjecit. *ibid.* Duo ei cuſa numiſmata. *ibid.* Vide Annot. 371.
Grimanus [Vincentius] avitæ generis nobilitati adjunxit honoris lumen ex affinitate cum Mantuæ Principibus. 286. Liberalibus ſtudiis egregiam indolem ornavit. *ibid.* Lucedii Abbatia a Duce Mantuæ inſignitur. *ibid.* Ejus dexteritas, & prudentia. 287. Ad Cardinalatum aſſumitur, Cæſare ultro nominante. *ibid.* Juſtitiæ vindex, & liberalitatis exemplar. *ibid.* Moritur. *ibid.*

H

HErmolaus Barbarus. V. Barbarus.
Honores ſunt onus. 161.

I

JAcobetus (Jacobus) Ethices Profeſſor celeberrimus. 421.
Jo: Albertus Baduarius. V. Baduarius.
Jo: Baptiſta Rubinus. V. Rubinus.
Jo: Delphinus. v. Delphinus.
Jo: Franciſcus Barbadicus. V. Barbadicus.
Jo: Franciſcus Commandonus. V. Commendonus.
Jo: Michaelius. V. Michaelius.
Judicia confundit vulgus. 101.
Juſtinianus (Antonius) Dialecticæ Venetiis profeſſor. 127.
Juſtinianus (Paulus) Eremita Camaldulenſis amiciſſimus & conſiliarius P. Quirini. 113 Ejus pietas ſingularis. *ibid.* ſeqq. Ejus Epiſtolæ ad Contarenum repellentes dicteria in Quirinum jacta. 124. 126.

L

LAgomarſinius (Hieronymus) S.J. Gratiani libros e tenebris eduxit & doctiſſ. annot. illuſtravit. 187.
Landus (Franciſcus) L. V. D. Patriarcha Gradenſis, 27. Interfuit Conciliis Piſano, & Conſtantienſi. *ibid.* fit Cardinalis. *ibid.* Sacellum, & duas Capellanias in S. Mariæ de Præſepe erexit. *ibid.* Moritur: duplex ejus ſepulchri inſcriptio. 28. Picta ejus effigies olim in Aula Magni Concilii Venetiis viſebatur. *ibid.* Vid. Annot. 366.
Lanfredinus (Jacobus) laudatur. 321.
Langius (Matthæus) Gurcenſis Epiſcopus primas partes geſſit in fœdere Cameracenſi nomine Maximiliani Cæſaris. 326.
Latini & Italici ſermonis Bembi ævo inſcitia. 192.
Laurentius Priolus. V. Priolus.
Legati munera 90. ſeq. Crimina vindicanda. 103. Familiæ delectio, & diſciplinæ neceſſaria. 104.
Leonis X. Epiſtola ad Card. Grimanum. 83.
Lollinus (Aloyſius) laudatur. 388.
Longolius (Chryſtophorus) laudatur. 381.
Lucedii Abbatia prædives. 286.
Luccianus (Alexander) Ejus pietate, & prudentia utitur Cardin. Maurocenus 404. Acta illius Beatificationis compilantur. *ibid.*
Luna (Petrus de) ingenii ſubdoli. 325. ſeqq.
Loſrus (Antonius) laudatur. 51. 365.
Lutheranæ hæreſis primordia. 192.

M

MAdius (Vincentius) Philoſophiæ profeſſor Patavii. 219.
Maiſtreſta (Carolus) Gregorii XII. Legatus & procurator. c. 310.
Manolus (Dominicus Maria) laudatur. 408.
Mantius [Dominicus] Congreg. Matris Dei de Rep. Literaria optime meritus 367.
Manutius Paulus laudatur. 229.
Maphæus Gerardus. V. Gerardus.
Marcellus Chriſtophorus laudatur. 170.
Marcus Ant. Amulius. v. Amulius.
Marcus Barbus. V. Barbus.
Marcus Ant. Barbadicus. V. Barbadicus.
Marcus Ant. Bragadenus. V. Bragadenus.
Marcus Cornelius. V. Cornelius.
Marinus Grimanus. V. Grimanus.
Maripetrus (Aluyſius) Bi legavit Bibliothecam ſuam Card. Amulius. 234.
Martinengus (Jo: Franciſcus) Epiſcopus laudatur. 416.
Maſottus (Ludovicus) laudum Card. Jo: Delphini collector. 254.
Matthæus Priolus. V. Priolus.
Maurocenus Jo: Franciſcus legationibus celebris. 246. Inſignis pietate, integritate, & conſilio. *ibid.* Brixiæ Epiſcopus. *ibid.* & 400. Legatus, & Cardinalis una die pronuntiatur. *ibid.* Poſt mortem falſo inſimulatur. 248. cum S. Philippo Nerio fuit neceſſitudine conjun-

Digitized by Google

functos. *ibid.* Splendidus ejus Brixiam ingreſſus. *ibid.* Ejus laudes. 249. In morte pauperes Civitatis Brixiæ hæredes ex aſſe inſtituit. 250. Doctrinæ Chriſtianæ Regulas ordinatas Brixiæ edidit. *ibid.* Vid. Annot. 199. 599.

Meniocenus (Petrus) Artium Doctor Cardinalis creatur. 66. Legatus Pontificius in Regno Neapolitano. *ibid.* Explicavit Patavii Sextum Decretalium, ac Commentariis illuſtravit. *ibid.* & 166. Interfuit Concilio Conſtantienſi *ibid.* Ubi obierit duplex opinio. *ibid.* Sepulcri locus, & Epitaphium. 27. Vid. Annot. 366.

Mazzuchelli (Jo: Maria) laudatur. 373. 381. 384.

Medices (Franciſcus) laudatur. 119.

Medices (Julianus) Florentiæ favit negotiis Camaldulenſibus. 124. ſeqq. Ad eundem Epiſtola Petri Quirini rerum Venetarum Commendatitia. 165.

Mercurialis (Hieronymus) Medicæ rei & eruditionis gloria floruit. 499.

Michaellus (Joannes) Pauli II. ex ſorore nepos Cardinalitio Pileo ornatur. 17. Veronenſis Epiſcopus Veteris Palatii Epiſcopalis auguſtiorem erexit, & exornavit. *ibid.* Archidiaconatus dignitatem eidem Eccleſiæ reſtituit. *ibid.* Legationes feliciter geſſit. *ibid.* Invidia intercedente, in Hadrianam molem conjectus, veneno periit. 18. Quatuordecim millia aureorum Cathedralibus Eccleſiis Veronæ & Patavii legavit. *ibid.* Pater pauperum appellatus. 19. Ejus ſepulcrum, & inſcriptio ſepulcralis. 18. Vid. Annot. 169. ſeqq.

Mocenicus (Philippus) Archiep. Cypri. 393.

Monumenta Literaturæ Epiſcoporum Venetæ Ditionis illuſtrata. 51.

Montius (Philippus) Cardinalis laudatur. 352. 378. 380. 384.

Muratorius (Ludovicus Ant.) laudatur. 221.

Muſurus [Marcus] Profeſſor Patavii. 378.

N

NAvagerius (Bernardus) Philoſophiæ operam dat Patavii. 220. Ordinum Sapiens, ut vocant, creatus. *ibid.* Orationem habuit in funere Andreæ Gritti Principis, cujus juſſu ei viventi recitavit. *ib.* Ejus Legationes plurimæ. *ib.* Prætor Patavii, Decemvir creatus, Sapiens Concilii, & Gymnaſii Patavini moderator: *ibid.* Cardinalis creatur. 220. Epiſcopatum Veronenſem adminiſtrandum ſuſcepit. *ibid.* 384. Legatus a Latere in Concil. Trid. *ibid.* Ejus laudes. *ibid.* & 384. Synodum celebrat Diœceſanam. 223. Obiit. *ibid.* Ejus Vitam Petrus Valerius Auguſtini Card. nepos ſcripſit. *ibid.* & 385. Ejus Opera. 224.

Nicetonius corrigitur. 377.

Nicolaus V. Summus Pontifex laudatur. 51. Patrocinium literis, & literatis impendit. 51

Niger (Hieronymus) Epiſtola de obitu Card Grimani. 82.

Niem (Theodoricus a) refutatur. 114. ſeqq.

Nomiſmata Summis Pontificibus Venetis cuſa. 431. ſeqq.

O

OLiveto (Bartholomæus de) deſcribit ingreſſum Veronæ Angeli Barbadici Epiſcopi. 25.

Oltrocchius (Balthaſſar) laudatur. 388.

Ordina diſcendum. 137.

Ottobonus (Petrus) Marci magni Venetiarum Cancellarii, & Victoriæ Tornielæ filius. 271. 308. Patavii utrique Juri operam dedit. *ibid.* Pluribus ditionis Eccleſiaſticæ urbibus præfuit. *ibid.* S. Rotæ Auditor. *ibid.* Torcelli Epiſcopus, 303. Cardinalis creatus. 271. 303. Epiſcopus Brixiæ. *ibid.* Hac ſe dignitate abdicat Abbas factus Vangadicienſis. 271. 302. Datariæ præficitur. *ibid.* Doctrina, vitæque probitate floruit. *ibid.* Ejus Deciſiones editæ *ibid.* Majorum ſepulcrum in Eccleſia S. Marci Romæ reſtauravit, ſibique, ſuiſque paravit. *ibid.* Vide Alexander VIII.

Ottobonus (Petrus) Antonii, & Mariæ Moretti filius, ac Alexandri VIII. pronepos. 280. Cardinalis renuntiatus, & totius ditionis Eccleſiaſticæ adminiſtrator. *ibid.* Legatus Avenionenſis, & Apoſtolicus Vice Cancellarius. *ibid.* Sacerdotiis, & titulis ditiſſimus. *ibid.* Laute vixit, & more regio. *ibid.* Abſente Oratore Romæ, Reipublicæ arcana ei concreduntur. 281. A Rege Gallicarum Protector renuntiatus, & muneribus, ac Sacerdotiis auctus. *ibid.* & 413. Ejus viciſſitudines. *ibid.* Largitionem ſequitur æs alienum, cui par via fuit poſt ejus mortem diſſolvendo regia ſupellex. *ibid.* In ſacris functionibus diligens, aſſiduus, & pari decore nituit. *ibid.* Ejus pietas perſpicuis teſtata ſignis. *ibid.* Dramata conſcripſit, & populo magnifice exhibuit. *ibid.* Sacri Collegii Decanus obiit. *ibid.* Ejus numiſmata. 413. Vid. Annot. *ibid.*

P

PAccius (Guillelmus) laudatur 378.

Palearius (Aonius) laudatur. 381.

Paleottus (Gabriel) Cardinalis laudatur. 331.

Digitized by Google

Pallavicini Card. Hiſtoria Conc. 383.
Patavium urbs doctiſſimorum hominum plena, & liberalibus artibus affluens. 319.
Pcula (FF. S. Franciſci de) in Brixiæ ſuburbis recipiuntur. 402.
Paulus II. Summus Pontifex creatus. 16. Præclaris naturæ dotibus avunculo ſuo Eugenio IV. non inferior. 64. Ejus geſta vindicata adverſus Platinam 53. 55. & ſeqq. Literatis favet. 14. Bacchanaliorum ludis delectatur. 18. Ejus populares ludi & epulæ defenduntur. 19. Palatium S. Marci condidit & habitavit. 17 Marciani Templi refectio centum & ſexdecim millibus aureorum ipſi adhuc Cardinali conſtitit. 17. Hungaris cum Turca pugnantibus annua aureorum millia centum miſit. 18. In ſuas ad S. Marcum ædes ſtatuas veteres congeſſit. 18. Numiſmata, tabulae & ſigna, eruditionis cauſa, coemit. 19. Hoſpites magnifice excepit. ibid. Donare placuit, non donari. ibid. Cum Federico Imperatore ſolemniter ad Baſilicam Lateranenſem procedit. 18. Venetæ ditionis oras Turca occupante, ſupplicationem indicit, cui nudo intereſt pede. 19. Fridericus Ferdinandi Neapolis Regis filius perbenigne eb eo ſuſcipitur, & aurea Roſa donatur. ibid. Boemiæ Regi hæretico Regnum adimit. ibid. Pontificiam Tiaram Regnum mundi primus appellat. ib. Ejus Tiara centum octoginta millibus aureorum æſtimata. 19. Mitras indulget Cardinalibus. 22. Beneventano Archiepiſcopo triregalem Tiaram adimit, & 55. Euchariſtiam ante eum deferri vetat. ibid. Tegumenta, & capitia ruſſata Cardinalibus dat, & altiora ſubſellia. ibid. Ludovici Scarampii amplam hæreditatem ad pias cauſas detorſit. 61. Ejus laudes. 20. 53. & ſeq. Sepulcri locus, & Epitaphium. 20. 21. Ejus Vita ex MS. Cod. 53. Juſtitiæ, pietatis, & divinarum cæremoniarum religioſiſſimus cultor, & Eccleſiaſticæ libertatis defenſor. 66. Numiſmata ei cuſa. 431. & ſeq.
Paulus III. Summus Pontifex laudatur. 220.
Petavii (Dionyſii) Theologiam in breviarium redigere ad ſui Cleri commodum meditabatur Ven. Card. Barbadicus. 410.
Petrus Antiſtes Caprulanus laudatur. 70.
Petrus Barbus. V. Barbus.
Petrus Baſadonna. V. Baſadonna.
Petrus Bembus. V. Bembus.
Petrus Ciera. V. Ciara.
Petrus Foſcarus. V. Foſcarus.
Petrus Mauroceous. V. Maurocenus.
Petrus de Luna. V. Benedictus XIII.
Petrus Ottobonus. V. Ottobonus, & Alexander VIII.
Petrus Ottobonus. V. Ottobonus.
Petrus de Piſis laudatur. 210.
Petrus Priolius. V. Priolius.
Petrus Quirinus. V. Quirinus.
Petrus Valerius. V. Valerius.
Petruſci [Julii] Epiſtolæ. 214.
Petruſci (Marii) de literarum incrementis Oratio. 214.
Philoſophiæ moralis laudes. 146.
Piſanus (Aloyſius) Franciſci Piſani Card. ex fratre nepos ſumma prudentia, & felici auſpicio rexit Patavinam Eccleſiam. 224. & Tarviſinam. 383. Ad Concilium Tridentinum miſſus a Pio IV. 228. Latine & græce doctus. 385. Patavii Sacr. Virg. monaſterium S. Marci condidit. 228. Mors ejus & ſepulcrum. ib.
Piſanus (Franciſcus) Cardinalis, & ſacri Collegii Decanus. 88. Patavinus Epiſcopus. ibid. & 97. Quatuor aureorum millibus Venetos juvit in bello Turcico. 68. Eccleſiam Patavinam a fundamentis erexit, & Epiſcopale Palatium exornavit. ibid. Tarviſinam, & Æmonienſem Eccleſiam adminiſtravit. ibid. Narbonenſis Primas. 90. Ejus laudes. 89. Romanæ Urbis decus per quinquaginta tres annos, quos ſacra amictus Purpura tranſegit. 97. Ejus mors, ſepulcrum, & Epitaphium. 89. Vid. Annot. 574.
Platus (Hieronymus) de dignitate & officio Cardinalis. 184.
Poggius Florentinus, laudatur. 51. Corrigitur. 52.
Pola (Franciſcus] laudatur. 214. 253. 254. 391.
Polus (Reginaldus Card.) laudatur. 204. 226. 377.
Pomponatius (Petrus) laudatus. 117.
Priolius (Aloyſius) filius M. Ant. & Helenæ Baſadonnæ. 201. Abbas S. Zeni, & S. Euphemiæ. 394. Legum ſcientia eruditus, S. Rotæ Auditor eligitur. ibid. Cardinalis creatur. ibid. Ejus mors, & inſcriptio ſepulcralis. ib. Vid. Annot. 417.
Priolius (Antonius Marinus) ex Ant. Marino, & Cornelia Cornelia Joannis Vanaſiarum Principis filia. Patavinæ Cath. Archipresbyter. 320. Vicentinus Epiſcopus ibid. Vigilantia & animi dotes. ibid. Cardinalis creatur 321. Pluribus adſcriptus Congregationibus. ibid. Abbas Commendat. S. Georgii Venetiarum. ibid.
Priolius [Benjaminus) laudatur. 406.
Priolius (Laurentius) humanis, politicis, divinisque literis eruditus. 252. Ejus Legationes. ibid. Patriæ Patriarchatum ſumma cum laude gerit. 151. 406. Synodum Diœceſanam bis celebravit. ib. Clericorum Seminarium ædibus adauxit, & ſtudia promovit. ibid. Cardinalis erectus. ibid. 406. Laudatur. ibid. Theatinorum Venetiis primarium lapidem Templi dedicavit. 251. Patriarchalis Templi faciem marmoribus extruxit. ibid. Obitus ejus & ſepulcrum. 252. Vid. Annot. 406.

Priolius (Matthæus) Marci Ant. Veneti Ducis filius. 255. Romam a Paulo V. accerſitus, Cardinalis creatur. *ibid.* Tabe conſumtus moritur. *ibid.* Vid Annot. 407.

Priolius (Petrus) Aloyſii filius & Victoriæ Ottoboniæ proneptis Alexandri VIII. 292 Diſciplinis optimis inſtitutus. 293. Bergomenſibus ornatur infulis, & pileo Cardinalitio. *ibid* Ejus zelus & liberalitas. 417. Juſtitiæ adminiſtrandæ, & cultui divino amplificando impenſe, & pervigil navavit operam. *ibid* Moritur; ſepulcri locus. *ibid.* Vid. Annot. 416. & ſeqq.

Q

QUerengus (Antonius) eleganti elogio Card. Commendonum laudat. 228.

Quirinus (Angelus Maria) pietatis & literaturæ primis rudimentis in Coll. S. Antonii Brixiæ imbuitur. 297. Benedictinæ Familiæ Florentiæ nomen dat. *ibid.* Eruditorum conſuetudine utitur. *ibid.* Varia ejus itinera eruditionis cauſa. 298. Ejus Opera. *ibid.* 299. 300. 301. & 377. Laudatur. 377. 380. 390. 391. 392. & ſeqq. Romæ pluribus adſcriptus Congregationibus. 298. Caſinenſis Abbas *ibid.* Benedictinos Italiæ Annales conſcribendos ſuſcipit. *ibid.* Corcyrenſi admovetur Archiepiſcopatui. 299. Benedicti XIII. familiaritate fruitur. *ibid.* Ad Brixianum Epiſcopatum transfertur. 300. S. Officii Conſultor. *ibid.* Cardinalis creatur. *ibid.* Brixianæ Cathedralis ædificationem mirifice promovet. *ibid.* Optimi Paſtoris officia implet. *ibid.* Bibliothecarius Apoſtolicus. *ibid.* Venetas res Romæ curat. 301. Sui ſcripſit Commentarios hiſtoricos. *ibid.* Eorundem poſt ejus mortem Continuatio. 403. Vid. Annot. 419. & ſeqq.

Quirinus (Hieronymus) ſtatuam marmoream in Æde D. Antonii Patavii Bembo Cardinali locandam curavit. 206.

Quirinus [Petrus] Venetus, Senator primum, deinde Camaldulenſis Ord. profeſſor. 90. Cardinalis a Leone X. deſignatus. *ibid.* Probitate, & doctrina inſignis, & miræ humilitatis exemplar. 107. & ſeqq. 113. & ſeqq. Ejus animo reſpondit reliqua vitæ pars. 122 & ſeqq. Principum concordiæ operam dat feliciter. 128. 130. Paulli Juſtiniani amiciſſimus. 113. & ſeqq. Pro negotiis ſui Ordinis Florentiam & Romam petit. 124. Florentiæ a Juliano Mediceo humaniſſime, & Romæ a Pontifice exceptus. 124. Purpuratis Patribus invitum adſcribere cogitat Pontifex. *ibid.* Plura de hac re. 126. & ſeqq. Viſitatoris munus reſpuit, & celiæ vinariæ aut culinæ ſervire humiliter mavult. 126. 127. Ejus ſtudium a Cardinalatu alienum præcidit mors. 132. Fuit latine, græce, & hebraice doctus. *ibid.* Plurima ejus ſcripta in Eremo *de Rua* ſervantur. *ibid.* Recenſentur nonnulla. *ibid.* Theſes Philoſophicæ, & Theologicæ Romæ propugnatæ. 131. Inter Poetas eum recenſuit Creſcimbenius; & plurimum laudatur a Bembo, aliiſque. 134. quæ ipſum inter & Delphinum interceſſit diſſenſio, eos a nullo ſanctimoniæ gradu dejecit. 135. & ſeqq.

R

RAtisbonenſis Conventus, re infecta, diſſolutionis cauſæ. 168.

Rezzonicus [Carolus] Jo: Baptiſtæ & Victoriæ Barbadicæ filius, Rhetoricæ, & & Philoſophiæ Bononiæ, Juriſprudentiæ vero, & Theologiæ in Patria operam dat. 301. Doctoratus laurea Patavii inſignitur. *ibid.* Romæ in Academia utrique juri ſtrenue ſtudet. *ibid.* Protonotarius Apoſtolicus. 302. Ditionis Eccleſiæ civitatibus regendis admovetur. *ibid.* Rom. Rotæ Auditor, Cardinalis creatur. *ibid.* Patavinus Epiſcopus Sacri Paſtoris partes omnibus numeris implet. *ibid.* Vide Clemens XIII. & Annot. 423.

Rezzonicus (Carolus) S. R. E. Card. Clementis XIII. ex fratre nepos. 319. Indole & animo præclarus. *ibid.* Politioribus & Theologicis diſciplinis Romæ excultus. *ibid.* Juris utriuſque laurea redimitus Patavii. *ibid.* Cardinalis creatur. *ibid.* Vice-Cancellarius Apoſtolicus, & Abbatiæ Cryptæ Ferratæ Abb. Commendatarius. *ibid.* Ejus animi dotes. *ibid.* Vid. Annot. 428.

Riccius [Bartholomæus] Lugienſis laudatur. 381.

Roma a Cæſareis capta & direpta. 147. Cæſare invito, vaſtata. 148.

Romani moris cum Veneto collatio. 156.

Rubeis [Bernardus de] laudatur. 66. 104. 205. & alibi.

Rubinus (Jo: Baptiſta) Alexandri VIII. pronepos, Cathedralis Patavinæ Canonicus. 282. Laurea doctorali in ea Univerſitate ornatur. *ibid.* Præſul plures recit civitates ditionis Eccleſiaſticæ. 283. Vicentiæ Epiſcopus. *ibid.* Secretarius Status, & Cardinalis. *ibid.* Urbinatenſis Legatio ei demandata. *ibid.* Ejus mors, & ſepulcralis inſcriptio. *ibid.*

S

SAdoletus (Jacobus) Card. vir probus, & omni ingenii laude florens. 274. laudatur. 277.

Salomon Cyprianus Tabularium Eccl. Romanæ edidit. 186.

Sanctoninus [Paulus] Itinerarium Marci

Bar-

Barbi ad partes Germaniæ in Patriarchatu Aquilejenſi. 70. 71.
Sanctes Veronenſius. V. Veronenſius.
Sanderus (Antonius) laudatur. 425.
Sanderus (Nicolaus) laudatur. 227.
Sanutus (Marinus) & ejus Annales. 104.
Sarpius (Paulus) laudatus. 282.
Sartus (Maurus) Abbas Camaldulenſis. 281.
Saxius (Joſ. Ant.) laudatur. 190.
Scarampius (Ludovicus) Card. Amplam ejus hæreditatem ad pias cauſas Paulus II. datorſit. 61.
Scarella (Jo: Baptiſta) C. R. Philoſophiæ Profeſſor in Seminario Brixiano. 419.
Scopetinorum Congregationis inſtitutio. 4.
Siccus (Bartholomæus) laudatur. 54.
Sigiſmondus Rex Romanorum aurea corona redimitus. 2.
Societas Jeſu a Card. Commandono laudata. 227.
Speronius (Speronius) Orationem habuit in funere Card. Bembi. 205.
Stephanus Senenſis inſtitutor Congregationis Canonic. Regul. S. Salvatoris prope Senas. 4.
Strozzius [Veſpaſianus] laudatus. 54.
Superbi (Auguſtinus) laudatus. 384.

T

TAſſus (Bernardus) laudatur. 181.
Tegumenta & Capitia ruſſata Cardinalibus data. 20.
Theodorus Epiſcopus Tarviſinus, laudatur. 31.
Theupolus (Nicolaus) laudatur. 222. 224.
Tiara Pontificia Regnum mundi appellatur. 19. Eadem Beneventanus Epiſcopus ex quodam priſco more aliquando utebatur. 20. Eam eidem Epiſcopo Paulus II. ademit. ibid. Tiara Paulli II. centum octoginta millibus aureorum æſtimata. ibid.
Tiburtius P. Eremitici Cœtus Camaldul. in Romana Curia Proc. Generalis laudatur. 107.
Torricenus (Franciſcus) vir politioribus excultus litteris. 298.
Toſcanus (Jo: Matthæus) laudatus. 220.
Trapezuntius [Georgius] laudatur. 12. 51. 54.
Treviſanus (Zacharias) Orator gravis & elegans. 336. Ejus Oratio ad Gregorium XII. pro pace Eccleſiæ. 227.
Turrecremata (Cardinalis de) illuſtrator Decreti Eugenii IV. de unione Græcorum & Latinorum. 25.

V

VAlerius (Albertus) Auguſtini Card. Valerii nepos celeber. 405.
Valerius (Auguſtinus) & Valeriæ familiæ antiquitas. 229. Doctrinis, litteris & moribus excellens. ibid. & 187. Bonamicum ſuum Præceptorem laudat Oratione funebri. 230. Philoſophiam, jubente Senatu, publice docet. ibid. Græce & Hebraice doctus. ibid. S. Caroli Borromæi conſuetudinem coluit. ibid. Veronæ Epiſcopus. ibid. Ejuſdem præclara geſta. 231. Ænea Statua publico Veronenſium decreto eidem erigitur. ibid. Alumnos S. Franciſci de Paula, Societatis Jeſu, & Clericos Regulares Veronam invexit. 231. & 389. Viſitatur Apoſtolicus 231. & 390. Diſcordias ſedavit. ibid. Cardinalis creatus ibid. Homiliam habuit de Cardinalitiæ dignitatis onere. 232. 387. Obiit. 234. Ejus laudes Franciſcus Pola funebri Oratione eſt complexus ibid. Summis laudibus a doctiſſimis Viris extollitur. ibid. Ejus Opera 236. & ſeqq. Vid. Annot. 387. 388. & ſeq.
Valerius (Petrus] Auguſtini Card. Valerii nepos 236. ex Canonico Patavino Famaguſtanus, deinde Cretenſis Epiſcopus. ibid. Cardinalis creatus rexit Eccleſiam Cenetenſem; ea hac translatus ad Patavinam. ibid. In Cathedrali Veronæ B. M. V. cultui Sacellum erexit, novemque Sacerdotiis dotavit. ibid. Patavina in Cathedrali B. V. M. ſacellum reſtituit. ibid. Sua in morte hæredes Canonicos Patavii ex aſſe inſtituit. 238. Inſcriptio beneſacti teſtis. ibid. 285. Vid. Annot. 407. 408.
Vagius (Matthæus) laudatur. 22.
Vendramenus (Franciſcus) pro Patria præclara obiit munera apud Principes. 214. 406. Patriarcha Venetus, Cardinalitia dignitate exornatus. ibid. Ejus laudes. ibid. Deiparæ Imaginem prolana e domo in B. Mariæ Formoſæ tranſtulit. ib. Moritur. ibid. Vid. Annot. 404. 407.
Venerius (Franciſcus] laudatur. 191.
Venetorum leges de Legatis. 78. Mores cum Romana politia collati. 156. Regiminis laus. 152. Faſtus Eccleſiaſtici in Aula Ædium S. Marci Romæ penicillo adumbrati. Præf. 2.
Ventura (Joannes) laudatur. 287.
Veronenſius (Sanctes) Julii ex Daria Columba filius, pietate & litteris præſtat. 220. Patavinæ Eccleſiæ Canonicus, & Vicarius Generalis ibid. Tarviſinæ Eccleſiæ præficitur, & onus recuſat. ibid. Ad Patavinam evehitur invitus. 221. Ejus munera perfecte implet. ibid. Cardinalis creatur. ibid. Vid. Annot. 428. & ſeq.
Victorius (Marianus) laudatur. 216.
Victorius [Petrus) laudatur. 239.
Vidmanus [Chriſtophorus) Cameræ Apoſtolicæ Clericus, Generalis Auditor. 270. Cardinalis creatus. ibid. Urbinatem geſſit Legationem: moritur doctrina celebris. ibid. Venetis Epiſcopis Urbem adeuntibus, limina Apoſtolorum viſendi

gratia, domum inſtructam legavit. *ibid.* Ejus mors & elogium. *ibid.* Numiſma ei cuſum. 271. Vid. Annot. 409.
Vincentius Grimanus. V. Grimanus.
Virtutis ſplendor ſingularis. 111.
Viſitationis Moniales Salodium deductæ. 415. Vectigal quod Brixianis Epiſcopis ea pendat Riparia donatur eiſdem. 419. In Oppido Darfeoli novum earundem Monaſterium ſingulari Vallis Camuniæ bono conſtruitur, cui annuum Camunienſem cenſum, Brixiano Epiſcopo debitum, Card. Quirinus, uſque dum victurus eſſet, elargitus eſt. 419.
Vitalis (Janus) 179. 413.
Vulgus judicia confundit. 103.
Vulpius (Jo: Ant.) elegantiſſimus *Patavii* Profeſſor. 385. 398.

Z

Zeno (Apoſtolus) laudatur. 51.
Zeno (Baptiſta) Pauli II. ex ſorore nepos, Epiſcopus Vincentinus, Cardinalis creatur. 54. Legatus in Umbria, & ad Venetos. 55. Commendatam ſibi S. Zenonis Veronæ Abbatiam reſtauravit. *ibid.* Reficiendis Eccleſiis & piis Locis ad quinquaginta millia Scutatorum expendiſſe traditur. *ibid.* Locupletiſſimam ſibi inſtruxit Bibliothecam. 169. Moritur. 55. Ingentem pecuniæ vim Senatui Veneto legaſſe dicitur. *ibid.* Ejus Anniverſariis exequiis & Orationi funebri Dux Venetus cum Senatu, ac Principum Oratoribus intereſt. 56. Vid. Annot. 369.

F I N I S.

Errata

Errata	Corrige
Pag. XI. l. 2. Romanorum	Semmorum
XI. col. 2. lin. 1. Gerardus Maffæe	Maffæus Gerardoe
Pag. 20. lin. 11. dolorſa	coloria
33. l. 33. dilemmate	lemmate
35. l. 27. deſonctua	moriena
36. l. ol. ornamenta	ornameoti
64. l. 39. conſuetudini	conſoetudinis
66. l. 5. dicti	dictia
82. l. 16. diei	die
89. l. 34. Pontifici	Pontifice
l. 29. egatione	legatione
104. l. 9. aecuſare	accuſari
137. l. 26. pater	patet
140. l. 1. delarant	declaraet
142. l. 25. apod ſummoa	ad ſummos
145. l. 20. evadent	evadaot.
160. l. 15. Stiipooe	, Stilpone
164. l. 36. quidem	qoidam
170. l. 36. Id vero eum	Id vero eum
192. l. 16. repubilea	reſpublica
l. 32. iſe	Ipſe
195. l. 27. exempſo	eatemplo
199. l. 10. præſenaia	præſeotia non
201. l. 4. acceſſione	acceſſiooe
226. l. 4. ad regnum	ae regoom
l. 24. ioterſuit	interfuit :
l. 30. depoſcerat	depopoſcerat, reſpondit
228. l. 17. eloquentiæ	eloquentia
l. 13. doctrinæ	doctrina
229. l. 22. plurimam-	ploriom-
l. 28. eotonatua	coronatas
230. l. 7. navarit	oavavit
l. 13. dit, annos	dit. Anoos
l. 31. modo matora-	modo morrem matura-
l. 33. datue:	datus,
232. l. 34. eoſqoe	eoque
235. l. 21. appellavie	appellavit,
242. l. 13. Auſtria	Aoſtriace
l. 29. vivorum	virorum
l. 30. ſacra fuit	ſacra feelt
245. l. 5. vixiſti	vieiſti
l. 27. inviſeret, ot	inviſeret. Ur
244. l. 26. qua	qoo
246. l. 23. otbem depen-	arbem degen-
247. l. 3. abmotuit	obmotoit
l. 12. gubernaculo	gobernaculum
248. l. 26. Regnique	Regnoqoe
249. l. 8. hoſpes?	hoſtea!
252. l. 23. patriam	patriæ
257. l. 3. illam	ilium

Errata	Corrige
l. 11. quo	ſuo
l. 24. quiſque	ſuiſqoe
260. l. 13. uoriæ	uoitæ
l. 23. pateros	paternam
261. l. 24. voloerunt	volnit
262. l. 19. , ſapientiæ	ſapientiæ
265. l. 10. cooeedit.	concedit
l. 32. Marii	, Marii
270. l. 3. legatiooe	. Legatione
l. 14. , ægri eorporis eaoſa	ægri corporis cauſa,
l. 30. verſu	curſu
271. l. 14. ubi	oti
273. l. 32 in	ioter
276. l. 18 ditioni	ditionis
281. l. 20 & Fidelium	ut Fidelium
285. l. 13. his haud minoria	hic haod minor
l. 24. Gregorius	Georgius
287. l. 14. aſſeotitua	aſſenſua
l. 19. iteram	item
220. l. 14. Joannia	Joaonea
293. l 11. pie	die
l. 30. Turcos	Turcas
294. l. 3. ditataa	ditatus
l. 13. cum	eum
299. l. 31. cathedram	cathedra
300. l 5. beeevolentia	benevolentiam
301. l. 30. Utroque	Utriqoe
317. l. 1. Andrea	Joanne
323. l. 13. XIX.	XIII.
360. l. 21 *ea*	*ea*
l. 24 *confeſſiones*	*confeſſionis*
l. 34. *quempiam*	*quampiam*
361. l. 9 *beas*	*debeas*
322. l. 4. *miram*	*mirum*
l. 23. *mutatio*	*imitatio*
371. oot. (b) Venerorum	Veterum
376. l. ul. Veneriis, ut eſt	Venetiis, ut eſt a ooooullis affirmatum *, ſed Viterbii ſive die XXVI. Septemb., ſive prima Octobris. Cineres ea Hetruria io Patriam delati, curante Joaooe ejuſdem fratre, honorificeotiſſimo ſunere conditi ſunt apud S. Salvatorem, laudis Oratione coram Senatu
417. l. 3. junctoa	juncti
431. l. 32. & 25. inſignitis	inſignibus

* *Apud Florentem in Catal. Epiſcopor.*

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Serafino Maria Maccarinelli Inquiſitor Generale del Sant' Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Tiara, & Purpura Veneta ab Ann.* MCCCCLXXIX. *ad An.* MDCCLIX. *Ms.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Giammaria Rizzardi Stampator di Breſcia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe; e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 21. Luglio 1761.

[*Angelo Contarini Proc. Rif.*
[
[*Franceſco Moroſini 2.° Cav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a carte 91. al num. 285.

Giacomo Zuccato Segret.

Adì 24. detto.

Regiſtrato appreſſo gli Eccellentiſſimi Eſecutori contro la Beſtemmia.

Gio: Pietro Dolfin Segret.

MARIO CICCIORICCIO
LEGATORIA
ROMA - Borgo Vittorio, 86
005665135